7/7/1982

S. 1301 A



BRITISH MUSEUM NATURAL HISTORY



Noscitur hâc ſpecie jam latè nomine notus,
FEHRIUS, *hic Medici* PRÆSES, *Amorq; Chori.*
Si nequit egregiè de ſe Natura merentem
Ars ARGONAUTAM *ſervet amica diu!*

Præſidi pl. Venerando
M.M.P. *Helianthus.*

Joh. Alexand. Bæner ſc. Norib.


COLLEGIUM ACADEMIÆ NATURÆ CURIOSORUM
L
NUNQUAM OTIOSUS
EPHEMERID. GERM. MEDICO-PHYSICAR. CURIOSORUM
DEC. II. AN. VII.
ANIMALIA. MINERALIA. VEGETAB.
ANATOM. CHYMIA. BOTANICA.
GERMANIA
Vienna
Bohemia
Francon.
Noriberg
Misnia

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY.

MISCELLANEA CURIOSA
SIVE
EPHEMERIDUM MEDICO-PHYSICARUM GERMANICARUM ACADEMIÆ IMPERIALIS LEOPOLDINÆ NATURÆ CURIOSORUM

DECURIÆ II.

ANNUS SEPTIMUS,

ANNI M. DC. LXXXVIII.

Continens

Celeberrimorum Virorum,

Tùm Medicorum, tùm aliorum Eruditorum in Germaniâ & extra Eam

OBSERVATIONES

MEDICO-PHYSICO-CHYMICO-MATHEMATICAS,

annexâ

APPENDICE.

Cum Privilegio Sacræ Cæſareæ Majeſtatis.

NORIMBERGÆ,
Sumptibus WOLFGANGI MAURITII ENDTERI.
Anno M. DC. LXXXIX.

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY

POTENTISSIMO

Atque

INVICTISSIMO

IMPERATORI

LEOPOLDO,

SEMPER AUGUSTO,

PIO, JUSTO, FELICI;

ROMANORUM, GERMANIÆ, HUNGARIÆ, BOHEMIÆ, DALMATIÆ, CROATIÆ & SCLAVONIÆ,

REGI,

ARCHIDUCI AUSTRIÆ

&c. &c. &c.

Libertatis vindici acerrimo,
Artium Evergetæ clementiſſimo.

DUm, LEOPOLDE, orbem victrici perſtrepis enſe,
TE provocatus vindicem
fronte manuque geris;
Jam tamen & Charitum fixam, TUA lumina, ſedem
in *Curioſi* conjice
annua penſa chori:
TE verſante manus, ſubtilia licia miſcet;
movente telas, præpete
pectine currit opus.
Et TUA Penelope (liceat nunc eſſe ſuperbis
tam glorioſo nomine)
lætior auget opus.
Scilicet accedens ad nos, Auguſtus Ulyſſes,
(Auguſta teſtis) flammula
nos propiore foves.
TU propiore etiam nunc, Auguſtiſſime Cæſar,
precum foveris ignibus
fronte precante libri:
CÆSARIS extendat vitam Deus atque triumphos!
ſtirpique cognatæ ſibi
firmet utrumque decus!
Hocque det AUSTRIACIS ſignum Jovis eſſe perenne:
in hoſticum tonitrua
imbrem in amica pluant!

Sic fore confidunt

Academici Naturæ Curioſi.

SERE-

SERENISSIMO
AC
POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,
DN. JOHANNI GEORGIO III.

Duci Saxoniæ, Juliaci, Cliviæ & Montium, S. R. I. Archi-Mareſcallo, & Electori, Landgravio Thuringiæ, Marchioni Miſniæ & utriusque Luſatiæ, Comiti Principi Hennebergæ, Burggravio Magdeburgi, Comiti Marcæ & Ravensbergæ, Domino Ravenſteinii,

Domino noſtro & Principi Electori clementiſſimo.

SERENISSIME AC POTENTISSIME

PRINCEPS ELECTOR,

Domine Clementiſſime.

NE mirare, Heros fortiſſime, quod inter horriſona tormentorum tonitrua & ſibilantia pyrii pulveris fulgetra, quæ TE circumſtrepunt, faciles aures & benignos intuitus TUOS nobis & libro huic exorare ſuſtineamus. Equidem religioni nobis fuiſſet, generoſos impetus, quibus, imperii fines ab hoſtis immaniſſimi inſultibus, DUX PORTITOR ENSIS, liberare, feliciter allaboras, interrumpere: niſi, quem ideo à conſpectu TUO aliquandiu prohibuimus, ruptis repagulis ad TE liber properaſſet, à nobis, jam non renitentibus. Cui enim ſeſe prius ſiſteret, quam TIBI, Elector potentiſſime, per cujus vindicem dextram ea nunc nobis ſecuritas parata eſt, qua penſum hoc Collegii noſtri annuum lætiores abſolvere potuimus: quippe abs Te ſi fuiſſet, plurimos Collegas vel hoſtis furor vel belli contagium hauſiſſet; qui nunc extra teli jactum

ſuo

ſuo & publico nomine TIBI, Elector ſereniſſime, gratias agunt, quod primus pendentem in cervice Germanicæ libertatis enſem, juſto exercitu & præſens non gravatus fueris removere. Admitte ergo excluſum hunc varii ingenii fœtum benigne, vel eo nomine, quod devotæ & gratæ mentis, qua Celſitudini TUÆ Imperium noſtrum ſe obſtrictum confitebitur, publicus interpres eſt. Ut taceamus non abhorrere à conatibus TUIS, quibus in præſentia detineris, hanc rerum Medicarum farraginem: Sunt enim non emplaſtra tantum & lenimenta Hygiejæ; ſunt etiam ſeveritatis apparatus, cultri, lanceolæ, phlebotomum, forcipes, ſerræ, ferra cauſtica, cucurbitulæ, ſanguiſugæ; nec alii medendi, quam regnandi & bellandi ſunt aphoriſmi, quos qui probe in ſuccum ſibi convertit & ſanguinem, ad eam olim adſpirabit prudentiam politicam, quam in TE omni numero abſolutam ſubinde admiramur. Quare, quod iterum humillime rogamus, accipe non degenerem prorſus ab indole TUA conſummatiſſima partum, ab invidorum inſultibus hominem hunc ingenuum defende, atque ubi per hiberna quies Marti TUO parabitur, TU-

que,

que, inter opima ab hoſtibus, æternam vindicatæ patriæ famam à Germano reportabis, reporta etiam munus hoc Apollinis levidenſe, eique aliquem armarii angulum concede. Ita ejus auctores, ſibi de impetrata, apud Electorem magnanimum, gratia gratulati, impenſius gaudebunt. Ita Deum votis perpetuis fatigabunt, velit ille avitam Domus ſereniſſimæ & exercitus Saxonum, nunquam non fortitudinis laude efflореſcentis, gloriam omni victoriarum & felicitatis genere cumulare: TE vero potiſſimum diu incolumem Orbi Chriſtiano, Imperio noſtro, TUIS ſervare, qui, ſive de Dei cultu, ſive de libertatis uſu periclitentur, in TE intuiti confidenter pronunciant: *En duo ſunt enſes!* Non portat enſem fruſtra! Ita vovent, confidunt, augurantur


SERENISSIMÆ CELSITUDINIS VESTRÆ ELECTORALIS

humillimi devotiſſimique

PRÆSES & COLLEGÆ CETERI
Academiæ S. R. I. Nat. Curioſ.

HISTO-

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY


NUN-
QUAM
OTI-
OSUS
CÆSAREO LEOPOLDINA NATURÆ CURIOSOR. ACADEMIA.

HISTORICA CONTINUATIO
PROGRESSUS
ACADEMIÆ LEOPOLDINÆ IMPERIALIS
NATURÆ CURIOSORUM

Delineata

à

LUCA SCHRöCKIO, L. Filio, Med. D.
Archiatro Cæſareo, Comite Palatino, S. R. I.
Nobili, Ephemeridum Directore,
d. Celſo.

NORIMBERGÆ,
ANNO M DC LXXXIX.

*** *** ***

QUàm volubili innixa ſtet fundamento ſors mortalium, nec unquam diu læta eodem hæreat veſtigio, Academia noſtra Naturæ Curioſa ut novo non ita dudum firmavit exemplo: ita non minùs, quàm felici ſucceſſu laborioſa induſtria cæteris eam quaſi vinctam corruere prohibeat, teſtatum eadem reddidit. Gratâ animi propenſione primi noſtri Præſidis, Bauſchii Excellentiſſimi (liceat enim ad primordia Societatis paucis reſpicere,) memoriam colimus, & indefeſſam in Academia, quæ gloriam DEI, Medicæque artis illuſtrationem ac proximi exin reſultans commodum ſibi ſcopum præfixit, adornandâ & propagandâ ſtudium deprædicamus; quos arduos tamen auſus magna fatorum inclementia, optimum Virum noſtro conſortio citiùs eripiens, evertere, naſcentique Academiæ ultima ferè minari videbatur. Aſt laudabile hoc Germanorum inſtitutum cum Viro iſto laudatiſſimo non interiiſſe, ſed proſperè ſuperatis tot, quæ obſtabant, difficultatibus, lætiorem progreſſum habuiſſe, obfirmato in præclari moliminis continuationem animo tum nobiliſſimorum Collegarum, tum maturo inprimis conſilio & indefeſſæ vigilantiæ venerandi Fehrii debemus; cujus ſub auſpiciis celebriorum paſſim Medicorum aliorumque ſolertium naturalis ſcientiæ cultorum ad ſocias conferendas operas facta eſt acceſſio, & ſalubrium Legum vinculo Societatem firmari, Cæſareâ easdem authoritate ornari, annuumque inprimis Ephemeridum laborem cum curioſo Orbe communicari obtigit. Nollem prolixiùs hoc in publicandis iſtis Ephemeridibus ſtudium extollere, non quòd prudenter incepti & ſtrenuè hucusque continuati operis pœnitere nos queat, ſed ne actum agere videar, ipſo ſe Libro, licet non parem ubique

 curio-

curioſitatem, à tot locupletando illi operam navantibus calamis vix ſperandam, exhibeat, ubique tamen multiplici utilitate, non inamœnâ varietate, nec contemnendâ eruditione paſſim apud æquos Muſarum judices ſe commendante, ac ſolitarios quosdam contra Ariſtarchos, clanculùm in eminentioribus etiam locis innocentem librum ut inutilem allatrare auſos, ſatis ſplendorem ſuum vindicante; quibus neque aliud nos, quam Terentianum illud: homine imperito nunquam quidquam injuſtius, qui niſi quod ipſe fecit, nihil rectum putat, opponimus. Nos ſaniora exoſculamur judicia, & coram Sacratiſſimis quoque Summæ in hoc Orbe Majeſtatis oculis, quorum fulgorem fœdæ perferre nequeunt, imò ſubire indignæ ſunt noctuæ, intrepidè quòd comparere ipſi liceat, quin ex opulentiſſimo Ejus Cimeliarchio, naturæ & artis operibus, maximum quondam acceſſiſſe ornamentum, ac nuper demùm ſplendidum à Magno & glorioſæ memoriæ Electore Brandenburgico obtigiſſe additamentum, magnoperè lætamur, nobisque immensùm gratulamur. Hoc itaque opus, ut alacriùs in lucem prodiret, Fehrius præcipuos intendit nervos; hinc laborioſiſſimi noſtri Phoſphori, beati Sachſii, vigilantiæ commiſſum lætos in cultiſſima urbe Vratislavia habuit natales; qui vitam hanc caducam cum meliore ubi commutaſſet, Syrii noſtri, Excell. Dn. Vollgnadii, ejusque nobiliſs. Dnn. Collegarum curam laude meâ majorem feliciter exercuit. Verùm hoc quoque, præmaturo fato, ex Curioſorum cœtu ad Beatorum ſedes evocato, Collegisque ibidem partim itidem defunctis, partim aliorſum avocatis, integrâ tamen Annorum Decuriâ cum adplauſu in lucem jam productâ, ut pari ſollicitudine tela exorſa & dictas ob cauſas paululùm interrupta produceretur, noſtro ad invidiam usque commendatiſſimo Helianthо I. D. Volckamero, directio fuit commiſſa, atque Typographiæ locus Noribergam, urbem nimirum omnibus Collegis ad literarum commercia percommodam, translatus. Hanc quâ animi alacritate ſubierit,

ierit, continua annorum ſeries, quotannis penſum debitum ſiſtens, oſtendit; Cui, ne moleſto ſub hoc onere tot aliis occupationibus ætateque gravatus ſuccumberet, ſucceſſor datus eſt Celſus, haud invitus hanc Directoris ſpartam ſuſcipiens, quem ſequens Programma tunc in honorifico officio confirmavit.

S. R. I. NAT. CURIOSORUM PRÆSES
Dnn. Collegis ſuis Salutem & Felicitatem!

Symbolum Academiæ Nat. Curioſ. eſt, Nunquam otioſus! *quo ipſo ſinguli Academici ad præſtandam induſtriam & ſedulitatem decenter invitantur & ſevera quaſi lege incitantur; Decurrimus ergò in uno omnes ſtadio, remigamus in una eademque navi, ſed impari conatu, impari ſucceſſu; applauſum merentur omnes, tàm illi, qui rariores obſervationes, Euporiſta præclara, inaudita arcana Phyſica, Medica, Mathematica, &c. candidè communicant, quàm qui laborioſiſſimo collectionis, digeſtionis & impreſſionis munere fungentes, ea omnia in publicum ſiſtunt uſum, quos inter in priori Ephemeridum noſtrarum decuria maximè eminuit indefeſſa Dn. PHILIPP. JAC. SACHSII, Phyſ. Uratiſl. virtus, qui conducto à nobis bibliopola Dreſchero id unicè operam dedit, ut adſcitis ibidem fideliſſimis paraſtatis quantocyus lucem viderent publicam opera noſtra, quæ per duo luſtra felici cum ſucceſſu fuerunt publicata; Ipſo autem prematurè è vivis ſublato, Collegisq; ibidem partim itidem defunctis, partim aliorſum evocatis, idem onus hoc heroicè in ſe ſuſcepit Nobiliſſimus noſter HELIANTHUS JOH. GEORG. VOLCKAMER, & quod pluribus ferè impar videbatur, ſolus ſubibat moleſtiſſimum ſcilicet Collectionis & Impreſſionis onus, & quidem Noribergæ, urbe nimirum omnibus Collegis ad literarum commercia commodiſſimâ. Mirati ſumus omnes tanti Viri generoſitatem, in tam gravi ætate alacritatem, in tot occupationibus jam per triennium ipſum conſtantiam; Sed Is jam fractis ſenſim cum ætate viribus ad tranquilli-*

 tatis

tatis portum adſpirans, provinciam hanc Excell. Noſtro CELSO haud invito, quaſi per manus tradidit: id quod cùm de noſtra voluntate & conſenſu factum ſit, & laudatus Celſus muneri iſti ferendo maximè videatur idoneus, ideoq; Eundem novum Directorem *omnibus Dominis Collegis impensè commendamus, ac omnium Dnn. Collegarum complacentiam cum deſideratiſſimâ rararum & præclararum obſervationum fideli maturâq; communicatione ad Eundem efflictim expectamus, Eiq; ad maſculè ſuperandas laborioſiſſimæ hujus functionis moleſtias vividum vitæ robur cum proſperrima valetudine animitùs comprecamur. Svinfurti ex Muſeo, d. 9. April. Anno 1685.*

(L.S.)

Argonauta.

Ut verò debili enata ſtipite hedera in altum eniti haud valet, nî firmiori adhæreſcere arbori, eamq́ue circumreptando ſurgere detur: ſic privatorum inita hæc Societas caput extollere vix poſſe videbatur, potentiori deſtituta patrocinio; quæ itaque magno ut ſtaret tuta robore, non minima inprimis cura fuit Præſidis; cujus dexteritate quàm gratioſam protectionem à *Sereniſſimo Principe ac Domino, Dn. Raymundo S. R. I. Comite Montecucoli* &c. Armis & Literis inclyto Heroë, impetraverit, alibi jam deprædicavit Muſa noſtra; quo glorioſè defuncto, *Eminentiſſimi ac Celſiſſimi Principis & Electoris Moguntinenſis*, Evergetæ noſtri munificentiſſimi, gratia hucusq; nos clementiſſimè protegit; qua diutiſſimè ut gaudere liceat, annos Neſtoreos multamq́; Principe dignam felicitatem humilimè precamur.

Talis itaque tantusq́ue nobis fuit Fehrius, cujus virtus nec oblivione noſtrâ, nec reticentiâ poſterorum ſepulta eſſe pote-

poterit. In tantum ſanè hæc enituit, ut *Maximus Imperatorum, Inviƈtiſſimus LEOPOLDUS*, conſpicuo eam præmio decoraturus, ſimulque Collegii incrementum quantopere SIBI curæ ſit cordique, oſtenſurus, ipſum, unà cum Ephemeridum Directore, Heliantho I. Medici Cæſarei titulo decoratum, nec obſtante oneroſo bello Turcico, in majus Clementiæ argumentum, catenâ aureâ clementiſſimè donandum voluerit. Quo aureo etiam imbre, Anguſtâ nempe Imagine è torque aureo pendente, Ephemeridum Curioſarum Collectores Vratislavienſes, Excellentiſſimi Domini, Phil. Jacob. Sachſius, Henricus Vollgnadius atque Johannes Jæniſius, benigniſſimè quondam irrigati, & Cæſareæ Munificentiæ illuſtre documentum, & indefeſſi laboris pretioſum ſolatium obtinuerunt.

Læta jam hoc ſuo ſub Præſide Academia dum majoris progreſſus ſpem ſubinde conceperat, triſtis noſtros percutit animos ſævioris Morbonæ inſultus, cujus violentos in humanum genus impetus cùm ipſe Febrius prudenti medicandi arte ſæpiùs retudiſſet, jam apertas vitæ propriæ eam ſtruere inſidias expertus fuerat, gravi adfectu hemiplectico obrutus, ita ut Argo noſtra ſecundis hucusque ventis per diffuſum naturæ æquor vela pandens, fido expertoque hoc ſuo rectore & Argonauta jamjam deſtituenda videretur, tempeſtatum injuriis variè expoſita, naufragiiq; metu haud parùm perculſa. Sed novas Cœlo inſpirante vires, quod vigoris corpori deerat, animi firmitas ſupplebat; hinc quæcunque noſtræ utilitati velificabantur, ſtrenuè proſpicere, conſiliis juvare, atque prudenter exſequi mox pergebat. Sic publicum juvandi deſiderium ipſi tremulæ dextræ robur addebat, languidosque ſpiritus ſuſcitabat, eoipſo tamen ſeipſum conſumens, majorem virium jacturam ſubibat; quam expendens, & aſtutiam verſutiſſimi hoſtis, ex improviſo graviori ſæpe recidivâ ſubitò obruentis, veritus, ne à morte ſua, Præſidio vacante, qua-

lecun-

lecunque Academiæ periculum incumberet, aut ſibi in eo rerum ſtatu, cùm melioris ſanitatis ſpem alere vel ætatis gravitas prohiberet, inſerviendi facultas deeſſet, de nobili iſto præſidii officio deponendo, clavoque regiminis alteri tradendo cogitare incipiebat, non ſine magno noſtrûm, quibuscum hanc voluntatem ſuam communicaverat, dolore; quis enim tam fidum, tam peritum & indefeſſum Præſidem abire non ægrè ferret? quis mutare conſilium omnibus viribus non ſtuderet? Expendebamus cum Tullio, quòd nihil ſit præclarius, quàm honoribus & reipublicæ muneribus perfunctus ſenex; hinc quò minùs ornamentum hoc noſtrum decederet, & columen ſubtraheretur, anxii obſtitimus. Sed vicit tandem pietas, quæ tot curarum, totque laborum requiem denegare aut invidere tam benè merito ſanctè prohibuit; conſenſum extorſit amplior ſpes, quæ à Sene canitie venerando conſiliorum ſalubritatem non omninò nobis defuturam ſpondebat, quin digniſſimi Succeſſoris de electione haud vana perſuaſio omne tandem punctum tulit. Hinc publico mox Programmate d. 20. Julii Anno M DC LXXXVI. Collegio ſuo valedicere perrexit:

VIRIS
GENERE ET PROPRIIS VIRTUTIBUS
EXCELLENTISSIMIS, NOBILISSIMIS,
MAGNIFICIS, EXPERIENTISSIMIS,
PER
EUROPAM, ASIAM, INDIASQUE ORIENTALES CLARISSIMIS, PATRONIS, FAUTORIBUS ET COLLEGIS SUIS DEVOTE VENERANDIS,

SALU-

SALUTEM ET FELICITATEM!

PRimum omnium gratias, quas poſſum, ago maximas, Summo Noſtro Archiatro, DEO Ter Optimo Maximo; pro immenſis donis & beneficiis ſuis, quòd me Medicinæ jam mancipatum ſub feſtivitate reparatæ pacificationis Monaſterienſis & anno 1652. recens ab Excellentiſſimo D. Bauſchio adornatæ Academiæ Naturæ Curioſorum *Adjunctum primum eſſe voluerit, & hactenus ſalvum & incolumem conſervaverit, donec Anno 1666. ita volentibus fatis & Veſtris, Excell. Dnn. Collegæ, votis ad tenendum Clavum ſolenniter promoverer, ubi remis veliſq; omnem eò dedi operam, ut Argo noſtra indies in curſu ſuo magis magiſq; proveheretur, & expeditio hæc Argonautica tandem ad optatum portum appelleret, quod felici cum ſucceſſu divinitùs accidit.*

Deinde & magnas quoq; ago gratias Vobis, VIRI, Genere & propriis Virtutibus Excellentiſs. Nobiliſs. Magnific. Experientiſs. Dnn. Collegæ devotè venerandi, pro collato munere tàm honorifico, pro incomparabili Veſtro favore, patrocinio, ſtudio, munificentia, quâ me prodigè mactaſtis, DEUS Ter Optimus Maximus hæc omnia largiter reponat. Sed jam fata annis & infirmâ valetudine languidum me, fruſtra quidem obnitentibus Vobis, jubent deponere Clavum; pareo, ac lubens, eumq; trado quaſi per manus cum Archivo & Sigillo Academico, meritiſſimo ex Adjunctis, qui animi corporiſq; viribus & vivido vigore adhuc pollet, Eiq;, ſi pace Veſtrâ dicere liceat, in loco Vobis omnibus commodiſſimo: ſed Veſtrum eſt decernere, Agite ergò & enitimini plus ultrà, Vos divinæ animæ, pergite acriter & alacriter Nobiliſſimum hoc ſublimiorum ingeniorum certamen.

Salvete, Valete, Vivite, Arcanorum Naturæ omnium Heroës capaciſſimi. Svinfurti die 20. Julii An. M DC LXXXVI.

(L.S.)

Argonauta,

Tran-

Tranquillitatis ergo portum cùm attigiſſet Fehrius, unanimi Excellentiſſimorum Dnn. Adjunctorum voto, multâ doctrinâ, plurimoque rerum uſu, ac indefeſſo ſtudio celeberrimus Dn. Johannes Georgius Volckamerus Sen. clavum regiminis qui capeſſeret, dignus fuit judicatus, atque omnium cum Bonorum adplauſu mox Præſes ſalutatus, eò charior, quò meritis & virtute, emeritum Præſulem propiùs referebat. Sic Argo noſtra, naufragii ſecura, notum remetiri æquor valebat, ſic quoque ventis adjuta ſecundis abditos eruere theſauros feliciter perrexit. Ipſe etiam optimus Senex, ob tam exoptatum electionis ſucceſſum, ſilere haud valuit, quin altiùs impreſſam animo lætitiam, publico hoc Scripto expromeret:

INVICTISSIMI

ROM. IMPERATORIS

LEOPOLDI

MEDICUS

JOH. MICHAEL FEHR,

S.R.I. ACADEMIÆ NAT. CURIOSORUM
PRÆSES, d. ARGONAUTA.

NOBILISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS ET
EXPERIENTISSIMIS DNN. COLLEGIS
SALUTEM ET FELICITATEM!

INter Summa Imperia maximi ſemper habita eſt cæterisq; prælata Monarchia εἷς βασιλεὺς, καὶ εἷς κύριος ἔστω; *apicularum Regem omnes colunt, ſequuntur omnes; Monarchia Character Solis in Cælo: hic ſolus aſtrorum Rex eſt & Monarcha, ſtellarum exercitu ſemper comitatus. Complacuit Regius hic ordo ſtatim à primo*

mo exortu S. R. I. Academiæ Nat. Curioſ. & Nobiliſſimus Bauſchius *primus electus Monarcha : quo piè defuncto, ne caput Inclytæ jam dictæ Academiæ cum primo Authore penitus occidiſſe videretur, ex tenore Legum & votorum pluralitate convictus* Ego *ſubvectus ſum, majore licet in dies comitatu conſpectior.* Sol Ego *tùm veſter eram, at præfiſcinè dictum ſit, aſſurrexére ſtatim omnes, novo Regi alluxére faculas quisq; ſuas prodigè & confertim, ita ut totus ferè orbis exinde illuſtrior redderetur; occidit autem jam* Sol *iſte,* ὦ χαιρέοντες, *vaporum & fuliginum nebulis obnubilatus. Sed ecce, novus jam ex agro Franconico Vobis* Sol *oritur, Magnus ille Noricorum Æſculapius, Senior Medicorum Noribergenſium Primarius, JOHANNES GEORGIUS VOLCKAMERUS, Sacræ Cæſ. Majeſtatis Medicus,* Helianthus primus, *Vir ingenii ſublimitate & Eruditionis profundæ fulgore omnium Eruditorum oculos facilè perſtringens; quem ea, quâ par eſt ac decet, animi obſervantiâ ex tenore Legum & unanimi Dnn. Adjunctorum ſuffragio electum ac confirmatum* Acad. Nat. Cur. Præſidem *vobis ex officio SISTO, ut meritiſſimum & digniſſimum, Eumq; impensè commendo, ut Eundem raris & præclaris obſervationibus veſtris, quod hactenus gloriosè feciſtis, honorare, & hoc ipſo Academiam Nat. Cur. illuſtriorem reddere annitamini: Cui per me liberum quoq; eſto, alium Adjunctum, præ cæteris induſtrium &* φιλόπονον *pro lubitu & voto eligere, vel in viciniâ, vel in ipsâ urbe patria, quibus ambobus omnes hujus celeberrimi Regiminis moleſtias maſculè ſuperandas vividum vitæ robur, ac Neſtoreos ſimul annos, cum proſperrimâ valetudine animitùs comprecor.*

Vivite & valete omnes ac ſinguli Nat. Curioſi, cum Florentisſimâ veſtra Academiâ. Svinfurti dabam ipſis Idibus Decembris, Anno M DC XXCVI.

(L.S.)

Electus ſic novus Præſes, de ſplendore & incremento Academiæ magis magisque promovendo ſollicitus, nihil eorum, ſine ullo privati commodi ſtudio, intermiſit, quæ aliquid conferre poſſe, ac toti Ordini grata atque ſalutaria fore judicabat: ſingula autem hîc enumerare vel ideo ſuperſedeo cum plurimos Dnn. Collegarum latere ea nequeant, multaque recenſendo plura tamen intacta relinquere paginarum hæc anguſtia me cogeret. Illud tamen unicum ſi attingere negligerem, ingrati animi maculam Collegio noſtro ne adfricarem, mihi eſſet verendum; quanto ſcilicet ardore & quam felici ſucceſſu Mecœnatum favorem & patrocinium conciliare nobis laboraverit, quos inter inprimis *Illuſtriſſimum & Generoſiſſimum Dn. Sebaſtianum Lib. Baron. à Blumberg* &c. veneramur, quem pro dignitate laudare cum haud liceat, AUGUSTO tamen noſtro eſſe charum, Aulæ gratum, Muſarum delicium, Naturæ Curioſorum Parentem, dixiſſe addecet. Taceo jam alios Auguſtiſſimæ Aulæ Imperatoriæ Magnates nobis benignos, ſubmiſſoque cultu ſemper devenerandos. Quod ſi Æſculapios Cæſareos pro dignitate memorare deberem, in longum nimis excreſceret hæc relatio: Nunquam ſanè memoriâ noſtrâ excidet inſignis benevolentia *Illuſtriſſimi & Generoſiſſimi Dn. Nicolai Guilielmi à Beckers, Regni Hungariæ & S. R. I. Equitis ac Lib. Baron. de & in Wallhorn &c.* cujus merita nunquam ſatis æſtimanda comtior nuper demum publicè commendavit calamus; nec minori in Academiæ commodum gratiâ feruntur Magnif. & Illuſtr. Domini, *Dn. Fridericus Ferdinandus Illmerus à Wartenberg &c.* & *Dn. Joh. Ferdinandus Hertodt à Todenfeld &c.* ut non Patronorum tantùm encomium mereantur, ſed Collegarum etiam nomen haud reſpuant; quorum in adaugendo eruditæ curioſitatis ſtudio ardorem vel ſcripta Eorum eruditiſſima præclarè oſtendunt. Qua mente etiam *Illuſtr. D. Paulum à Sorbait &c.* nominatum volumus. Hisce itaque, totidem Diis quaſi Tutelaribus ſtipatus novus noſter Dn. Præſes, ad ſacros adrepere Maximi Jo-

vis Auſtriaci pedes auſus eſt, eumque à Glorioſiſſimo IMPERATORE Clementiæ cumulum, quem ſperare vix licuiſſet, aut exorare ipſe conatus fuiſſet, feliciſſimè, tum æternam in Academiæ laudem, tum ejusdem conſortium ambientium ſtimulum, impetravit, ampliſſimo Diplomate in membranâ elegantiſſimè ſcripto, Anno elapſo M DC LXXXVII. die 7. Menſ. Auguſt. Sacratiſſimæ Manus Cæſareæ ſubſcriptione, Majorisque Sigilli appenſione confirmatum; quo nempe in Protectionem Tutelamque Imperialem Collegium, Sacro CÆSAREÆ MAJESTATIS nomine inſuper dotatum, ſuſcipitur, præclara ei Inſignia conceduntur, Præſes & Ephemeridum Director in officiis confirmantur, inque eos, ut Academicis in negotiis expediendis occupatiores, dignitas Archiatrorum Cæſareorum, Nobilium, & Comitum Palatinorum, in eorum quoque Succeſſores, quò cæteri Domini Collegæ, ad præclarè inceptam naturæ penetralium perveſtigationem ſtrenuè continuandam, aut etiam alacriter ſubeundam, hoc ipſo invitarentur, hæreditario quaſi jure ſemper propaganda, derivatur, atque tandem Privilegium impreſſorium perpetuum, ad refrenandam Typographorum quorundam & Bibliopolarum effrenam audaciam, Scripta Academica contra Authorum conſenſum prelo denuo ſubmiſſuram, confertur.

Scilicet inter ardua, quæ à Divis Prædeceſſoribus ſuis Romanorum Imperatoribus in Potentiſſimum atque Invictiſſimum CÆSAREM, LEOPOLDUM, unà cum Imperiali Majeſtate (loquor autem ipſismet ferè, mox in Diplomatis exordio conceptis verbis) derivata ſunt munera, illud penè ampliſſimum eſſe SACRA CÆSAREA MAJESTAS reputavit, quod, præter ea, quæ ad Reipubl. Romanæ benè adminiſtrandæ gubernaculum ſpectant, id inprimis omni ſollicitudine ſtudioque curandum veniat, ut perſpicua hominum ingenia, animique divino quaſi impetu ad ſublimia Scientiarum Artiumque liberalium ſtudia concitati, tum præmiis debitis & honoribus, tum certis etiam immunitatibus, indultis

ac prærogativis alantur, ſed ferventiores etiam ardentioresque reddantur, adeoque univerſi Imperii Romani, ac potiſſimùm Germanicæ Nationis, ſeminaria, ad æmula cæterarum Gentium, ac tot retrò ſeculorum exempla, in omni doctrinarum, literarum & facultatum genere magis magisque illuſtrentur. Hinc jam tum ab eo, quo SACRA CÆSAREA MAJESTAS Thronum Imperialem conſcendit, tempore, hæreditariâ quaſi ſollicitudine non modò diverſas in Imperio Academias, ſed inprimis etiam Inclytam noſtram Naturæ Curioſorum Societatem, laudatiſſimâ quondam Joannis Laurentii Bauſchii, Archiatri Swinfurtenſis, Viri doctiſſimi, operâ ac induſtriâ, Anno milleſimo, ſexcenteſimo, quinquageſimo ſecundo, è primis exſtructam fundamentis, ac porrò ex eruditiſſimis in Orbe Germano Medicis, ſub auſpicio Cæſareo, inſigni Joh. Michaëlis Fehrii, Archiatri itidem & Prætoris Swinfurtenſis dexteritate magis coalitam, ſaluberrimis quibusdam Statutorum invicem initorum Legibus decennio abhinc probè communivit atque inſtauravit, ut in eum tandem, qui Gratiis uberioribus, præſtantioribusq; prærogativis ſe dignum reddiderit, Virorum eruditiſſimorum & excellentium numerum excreverit.

Præfatis itaque ſuperiùs velut æquis dignisque precibus perlibenter uti annuit Auguſtiſſimus IMPERATOR, ita Leopoldinum hoc Naturæ Curioſorum Collegium in Protectionem Tutelamque ſuam Imperialem ſuſceptum amplioribus & eminentioribus honoribus & prærogativis communiendum cenſuit, ac inprimis quidem benignè conſideratis & perpenſis laboribus & curis, quas *Præſes hodiernus*, *D. Johannes Georgius Volckamerus*, S. Imp. Civitatis Norimbergenſis Phyſicus primarius & Collegii Medici Senior *Helianthus I.* dictus, & *Lucas Schröckius*, Junior, S. Imp. Civitatis Auguſtanæ Phyſicus, & dictæ Academiæ Eph. Director, *Celſus* nominatus, in ejusdem ornamentum, commodum & incrementum, editis annuatim Ephemeridibus, toti Orbi literario impenderunt,

ulte-

ulteriusq; omni, qua poterunt, diligentiâ, dexteritate, ſagacitate, ſtudio & ſolertiâ continuare poſſunt, volunt, debent, ac pollicentur, ex certa ſcientia, animoq; benè deliberato, & Cæſareæ Poteſtatis plenitudine, non modò nominatos *Præſidem Volckamerum*, & *Directorem Schröckium*, ſed illos etiam, qui poſt horum obitum (quippe dum vixerint, iisdem illos, Succeſſoresque illorum fungi MAJESTAS SUA CÆSAREA voluit officiis,) juſtis votis ad ejusdem Præſidium & Directoriatum debitè legitimèque electi fuerint, in muneribus iſtis clementer confirmavit, hanc illis etiam benignè concedens & elargiens poteſtatem & authoritatem, ut, qui ſe Collegio huic Leopoldino-Imperiali, prærogativisque ejus dignos reddituri, ſingularia luculentaque ſagaciſſimæ Naturam inveſtigandi ſcientiæ ſpecimina edere voluerint, diligenter probèque conſideratis eorum meritis, eruditione ac honeſtate, in Cætum hunc doctiſſimum nobilemq; cooptare, ac proinde agnomine quodam, genii & ingenii ſymbolico, denotare, & inſignire queant ac debeant.

Ut autem Collegium hoc Noſtrum Leopoldino-Cæſareum (ſic ipſa verba Diplomatis ſe habent,) *etiam externo quodam clementiæ gratiæq; Noſtræ Imperialis ſigno in oculos hominum effulgeat, authoritate Noſtrâ prædictâ eidem Inſignia ſubſequentia concedimus & elargimur. Scutum videlicit cœruleum annulo aureo occupatum, quem bini ſinuatim ambiant ſerpentes caudis inferiùs conſertis, roſtris autem librum apertum ſuſtinentes, cujus paginæ dexteræ hæc verba auro inſcripta videantur:* Nunquam otioſus, *ex folii verò ſiniſtri angulo inferiori dextro oculus Solis radios ex ſiniſtro angulo ſuperiore evibratos pronus intueatur, Scuto Corona incumbat aurea unionibus coruſca, à binis Aquilæ volaturientis*

inſtar

inſtar alas explicantis ungulis ſuſtentata. Scutum integrum hæc ambiant verba: Cæſareo-Leopoldina Naturæ Curioſorum Academia; *ſigna quippe & indicia publica, quibus oſtendatur non ſolùm artem & ſcientiam Phyſico-Medicam, unde tot tamq́ uberes in univerſum genus humanum promanent, ac deriventur fructus, nullo non honoris ac dignitatis præmio eſſe donandam, ſed iis etiam, qui ſcientiæ huic animum applicare deſiderent, atq́ ad Academiæ hujus penetralia adſpirent, id quam maximè incumbere, ut, quod perpetui annuli gyrus indigitet, libro ſemper aperto, indeſeſſâq́ nunquamq́ interruptâ ſtudii perſeverantiâ, ſcientiæ huic ſcientiarum penè maximæ navent operam abditamq́ rerum humanarum, cæterarumq́ huc pertinentium naturam fixo, ac indefatigato quaſi mentis oculo velut ardentes Solis radios perſtringant, ſagaciſſimè indagent, &* nunquam otioſi, *perſcrutentur, quodq́ fructuoſi detexerint, circumſpectâ velut ſerpentum prudentiâ probè ponderatum in humani generis ſolatium effundant, dignosq́ ſe reddant, qui ab Alitum præſtantiſſimo ceu Majeſtatis Imperialis Miniſtro honoris & gloriæ margaritis & unionibus coronentur; Volumus itaque, firmiterq́ ſtatuimus, quod Academia illa Noſtra Leopoldino-Imperialis Naturæ Curioſorum jam deſcripta Inſignia ex hoc in perpetuum poſthac tempus in omnibus & ſingulis actibus & occaſionibus habere, geſtare, eisdemq́ uti & frui poſſit & valeat; ac proindè quò Academia hæc per eos etiam, qui illi præſunt, eò reddatur illuſtrior, ejusdem*

Præſidi

Præſidi Volckamero, & Directori Schröckio, *eorumq́ in officiis Succeſſoribus hanc inſuper gratiam concedimus & impertimur, quod & ipſi hæc eadem ante deſcripta inſignia ab armorum ſibi agnatorum dextera in omnibus & ſingulis honeſtis ac decentibus actibus, exercitiis, atq; expeditionibus tam ſeriò quàm joco, in tentoriis, cœnotaphiis, ſepulchris, monumentis, cleinodiis, annulis, monilibus, ſigillis, ædificiis, parietibus, feneſtris, oſtiis, lacunaribus, tapetibus ac ſuppellectilibus quibuscunq; tam in rebus ſpiritualibus, temporalibus & mixtis, in locis deniq; omnibus pro rei neceſſitate & voluntatis eorum arbitrio liberè & absq; impedimento vel contradictione habere, geſtare ac deferre, iisdemq́; tam privata, & propria ſua, quàm ſæpe dictæ Academiæ negotia, Diplomata & expeditiones obſignare, munire & ſigillare poſſint ac valeant.*

Neque in eo præcluditur Imperialis Noſtræ munificentiæ theſaurus, ſed largiùs etiam diffundimus & recitatæ ſæpius Academiæ hujus Noſtræ Leopoldino-Imperialis Naturæ Curioſorum Præſidi & Directori, eorumq́ Succeſſoribus hoc inſuper in tot curarum & laborum non ejusdem ſolùm Academiæ, ſed totius etiam generis humani causâ, exantlatorum compenſationem relinquimus clementiæ, benevolentiæq́; teſtimonium, atque illos illorumq́ in officiis hisce Succeſſores omnes & ſingulos in Cæſareæ Majeſtatis Archiatros, & Perſonæ Noſtræ Imperialis Medicos *benignè recipimus, & cooptamus, ſeriò volentes & ſtatuentes, ut in Sacro Romano*

 Im-

Imperio, Regniſq́ & Provinciis Noſtris hæreditariis, aliiſq́ locis quibuscunque, ab omnibus & ſingulis, nullo excepto, & cujuscunq ſint conditionis, ſtatûs & ordinis pro Archiatris, ac Perſonæ Noſtræ Imperialis Medicis æſtimentur, habeantur, reputentur, inſigniantur & nominentur, taleſq́ tam verbis, quàm ſcriptis, in ſeriis & ludicris, ſalutentur, honorentur, ſemetq́ ipſos tales enuncient, & ſubſcribant, atq iisdem etiam privilegiis, prærogativis, libertatibus, immunitatibus & honoribus gaudeant, utantur & fruantur, quibus cæteri Noſtri Archiatri & Perſonæ noſtræ Imperialis Medici gaudent, potiuntur, utuntur & fruuntur, omni tempore & loco, ſine ullius impedimento & contradictione.

Quò autem Academiæ hujus Noſtræ Leopoldino-Imperialis Naturæ Curioſorum ſplendor eò magis eluceſcat, ſæpe ſatos ejusdem Præſidem Joannem Georgium Volckamerum, *Helianthum dictum, & Directorem* Lucam Schröckium, *Celſum nominatum, omneſq́ eorum in officiis Succeſſores hac porrò beneficentiæ & largitatis Cæſareæ inſignimus notâ, atq in numerum, conſortium, ſtatum, gradum & dignitatem Noſtrorum & Sacri Imperii Regnorumq́ ac Ditionum Noſtrarum hæreditariarum Nobilium aſſumimus, extollimus & aggregamus, adeoq́ ab omnibus & ſingulis cujuscunq ſtatûs, gradûs, ordinis, conditionis, dignitatis, aut præeminentiæ fuerint*, pro veris Nobilibus *haberi, nominari, reputariq́ volumus; Decernentes ac firmiter ſtatuen-*

tuen-

tuentes, quòd poſthac ubique locorum ac gentium, præprimis autem in illis Urbibus, Comitatibus ac locis, ubi degunt, in omnibus & ſingulis exercitiis, actibus, ſolennitatibus & ſtudiis iisdem honoribus, præcedentiis, officiis, dignitatibus, Inſignibus, privilegiis, immunitatibus, prærogativis, atq; libertatibus uti poſſint & valeant, quibus cæteri Noſtri Sacri Imperii ac Regnorum, Provinciarumq; Noſtrarum hæreditariarum antiqui Nobiles quovis modo utuntur, fruuntur, potiuntur & gaudent, absque omni impedimento & contradictione.

Ut etiam Collegium ſeu Academia hæc Noſtra Leopoldino-Imperialis Naturæ Curioſorum benignam Noſtram in ſe propenſionem magis magisq; experiatur, ac habeat, quo non ſolùm ii, quos gremio ſuo jam tum dignos receperit, ſed cæteri etiam, qui aditum ad inclytam hanc, quà virtutis, quà honoris palæſtram ſibi patulam cupiant, ad laudabiles rerum Phyſico-Medicarum inquiſitiones, ac indefeſſos laborum conatus magis magisq; inflammentur, eoq; Collegium hoc in Sacro Romano Imperio ac inprimis in Natione Germanica tantò faciliùs ac feliciùs in immenſum creſcat, perfectionisq; culmen tandem aſſequatur, Nos authoritate Noſtrâ, ac plenitudine poteſtatis Noſtræ Imperialis crebrò nominatis ejus Præſidi Joanni Georgio Volckamero, *& Directori* Lucæ Schröckio, *eorumq; in Collegii hujus Præſidio & Directoriatu Succeſſoribus, eo quo ſupra dictum, modo, legitimè electis, Comitivam Sacri Lateranenſis Palatii*

 Au-

Aulæq; Noſtræ Cæſareæ & Imperialis Conſiſtorii contulimus, dedimus & elargiti ſumus, prout tenore præſentium clementer conferimus, damus & elargimur, eosq; aliorum Comitum Palatinorum numero, cœtui & conſortio gratioſè aggregamus & adſcribimus:

Decernentes & hoc noſtro Edicto Cæſareo firmiter ſtatuentes, quod ex nunc impoſterum omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, juribus, Inſignibus, prærogativis, immunitatibus, honoribus, exemptionibus & libertatibus uti, frui, potiri atque gaudere poſſitis & valeatis, quibus cæteri Lateranenſis Palatii Comites hactenus potiti ſunt, ſeu quomodolibet potiuntur conſuetudine vel de jure. Dantes & concedentes præfatis Præſidi Joanni Georgio Volckamero, *& Directori* Lucæ Schröckio, *eorumq; in Collegii hujus Præſidio & Directoriatu Succeſſoribus, amplam authoritatem & facultatem, quâ poſſint & valeant, per totum Romanum Imperium, & ubiq; terrarum facere & creare Notarios publicos, ſeu Tabelliones & Judices ordinarios, ac univerſis perſonis, quæ fide dignæ atq; idoneæ fuerint (ſuper quo conſcientiam illorum oneramus) Notariatûs ſeu Tabellionatûs & Judicatûs ordinarii officium concedere ac dare, & eos & eorum quemlibet per pennam & calamarium prout moris eſt, de prædictis inveſtire, dummodo tamen ab ipſis Notariis publicis ſeu Tabellionibus, & Judicibus ordinariis per eos creandis & eorum quolibet vice & nomine Noſtro, & Sacri Romani Imperii, & pro ipſo Romano Imperio debitum fidelitatis recipiant corporale*

porale & proprium juramentum in hunc modum: Quod erunt Nobis & Sacro Romano Imperio & omnibus Succeſſoribus Noſtris Romanorum Imperatoribus & Regibus legitimè intrantibus fideles, nec unquam erunt in Conſilio, ubi Noſtrum periculum tractetur, ſed bonum & ſalutem Noſtram defendent, & fideliter promovebunt, damnaq; Noſtra pro ſua poſſibilitate vetabunt & avertent; præterea Inſtrumenta omnia tam publica, quàm privata, ultimas voluntates, Codicillos, teſtamenta, quæcunq; Judiciorum acta & omnia alia & ſingula, quæ illis & cuilibet illorum ex debito dictorum officiorum facienda occurrerint, vel ſcribenda, juſtè, purè & fideliter, omni ſimulatione, falſitate, & dolo remotis, facient, ſcribent, legent atq; dictabunt, non attendendo odium, pecuniam vel munera, aut alias paſſiones vel favores: ſcripturas verò & actus, quos debebunt in publicam formam redigere, in membranis mundis, non chartis abraſis aut papyreis ſecundum locorum conſuetudinem conſcribent: cauſas Hoſpitalium & miſerabilium perſonarum, nec non pontes & ſtratas publicas pro viribus promovebunt, ſententiasq; & dicta teſtium, donec publicata fuerint & approbata, ſub ſecreto fideliter retinebunt, ac omnia & ſingula alia rectè & juſtè facient, quæ ad dicta officia quomodolibet pertinebunt de conſuetudine vel de jure. Quodq; hujusmodi Notarii publici ſeu Tabelliones & Judices ordinarii per vos creandi poſſint & valeant per totum Romanum Imperium & ubilibet locorum facere, ſcribere & publicare

 con-

contractus, Judiciorum acta, Inſtrumenta & ultimas voluntates, decreta & authoritatem interponere in quibuscunq; contractibus requirentibus illa vel illam, ac omnia alia facere, publicare & exercere, quæ ad officium publici Notarii ſeu Tabellionis & Judicis ordinarii pertinere & ſpectare noſcuntur. Decernentes, ut omnibus Inſtrumentis & Scripturis per hujusmodi Tabelliones, Notarios & Judices ordinarios faciendis plena fides ubiq; adhibeatur in judicio & extra, conſtitutionibus, ſtatutis & aliis in contrarium facientibus non obſtantibus quibuscunque.

Præterea crebriùs mentionatis Joanni Georgio Volckamero *Præſidi, & Directori* Lucæ Schröckio, *eorumq; hac in Academia Noſtra Leopoldina Imperiali Succeſſoribus concedimus & elargimur plenam facultatem, quod poſſint & valeant naturales, baſtardos, ſpurios, nothos, inceſtuoſos copulativè & disjunctivè, & quoscunq; alios ex illicito & damnato coitu procreatos & procreandos maſculos & fœminas, cujuscunq; ſtatûs, gradûs, ordinis & præeminentiæ exiſtant, etiamſi infantes fuerint, præſentes vel abſentes, exiſtentibus vel non exiſtentibus aliis filiis legitimis, eis etiam aliter non requiſitis, viventibus vel etiam mortuis eorum parentibus (Illuſtrium tamen Principum, Comitum & Baronum filiis duntaxat exceptis) legitimare, ac eos & eorum quemlibet ad omnia & ſingula jura legitima reſtituere & reducere, omnemq; geniture maculam penitùs abolere, ipſos reſtituendo & habilitando ad omnia & ſingula*

gula jura ſucceſſionum & hæreditatum bonorum paternorum & maternorum, tam communia & feudalia ac emphiteutica, quàm locorum quorumcunque ſpecialia, etiamſi de filiis tantùm legitimè, & de legitimo matrimonio natis loquerentur, nec non ab inteſtato agnatorum & cognatorum, & ad honores, feuda, Dominia, Vaſallagia, dignitates & ſingulos actus legitimos tam ex contractu, ultimâ voluntate, quàm alio quocunque modo, ac ſi eſſent de legitimo matrimonio procreati, objectione prolis illegitimæ penitùs ceſſante; Et quod ipſorum legitimatio, ut ſuprà facta, pro legitimè facta maximè teneatur & habeatur, ac ſi cum omnibus juris ſolennitatibus, quarum defectus ſpecialiter authoritate Imperiali ſuppleri volumus & intendimus, facta foret; dummodo tamen legitimationes hujusmodi per creberrimè allegatos Præſidem Joannem Georgium Volckamerum *& Directorem* Lucam Schröckium, *aut eorum in hac Academia Succeſſores faciendæ non præjudicent filiis hæredibus legitimis & naturalibus; Qui quidem legitimandi, poſtquam per modò memoratos Præſidem & Directorem, nec non Succeſſores illorum, ut ſupra legitimati fuerint, ſint & eſſe debeant, cenſeantur ac nominentur ubiq; locorum tanquam legitimi & legitimè nati de domo, familia & agnatione parentum ſuorum, ac arma & Inſignia eorum portare, etiam integra absque ulla ruptura, ac deferre poſſint & valeant, admittanturq; ad omnes actus legitimos, officia, Jura, honores & dignitates tam Eccleſiaſticas quàm ſeculares uti verè legi-*

legitimi: quin etiam efficiantur Nobiles, ſi parentes ipſorum Nobiles fuerint, poſſintq; & debeant omnibus actibus publicis & privatis, officiis, juribus, honoribus & dignitatibus uti, frui & gaudere, quibus verè legitimi in judicio & extra utuntur, fruuntur & gaudent; non obſtantibus aliquibus legibus, quibus cavetur, quod Naturales, Baſtardi, Spurii, Manſeres, Nothi, inceſtuoſi copulativè vel disjunctivè, vel alii quicunque ex illicito & damnato concubitu procreati vel procreandi non poſſint nec debeant legitimari, liberis naturalibus & legitimis exiſtentibus vel ſine conſenſu & voluntate filiorum naturalium aut agnatorum aut feudi Dominorum, & ſpecialiter in authentica: quib. mod. nat. effic. ſui per tot. & ∬. naturales, ſi de feud. fuerit cont. int. Dom. & agn. & l. jubemus Cod. de emancipat. liberor. & aliis ſimilibus, quibus legibus & cuilibet ipſarum volumus expreſſe, & ex certa Noſtra ſcientia derogari, & etiam non obſtantibus in præfatis aliquibus contrahentium diſpoſitionibus, & teſtatorum ultimis voluntatibus, aut legibus aliis & locorum ſtatutis ac conſuetudinibus, etiamſi tales forent, de quibus ſpecialis hîc fieri mentio deberet, quibus obſtantibus & obſtare valentibus in hoc duntaxat caſu, ex certa ſcientia, & de Cæſareæ Noſtræ poteſtatis plenitudine totaliter derogamus, & derogatum eſſe volumus per præſentes. Similiter eâdem authoritate & ſcientiâ adductis ſæpiſſimè Præſidi & Directori, eorumq; Succeſſoribus damus & concedimus amplam poteſtatem & facultatem, quâ poſ-

ſint

ſint & valeant Tutores & Curatores *dare, conſtituere, & confirmare, ipſosq́ꝫ cauſis legitimis ſubſiſtentibus amovere: Nec non* filios adoptare *& arrogare, ac eos adoptatos & arrogatos facere, conſtituere & ordinare: Inſuper filios adoptivos & adoptandos in quacunqꝫ ætate conſtitutos emancipare atqꝫ patriâ poteſtate liberare, & adoptionibus, arrogationibus, & emancipationibus quibuscunque omnium & ſingulorum etiam infantium & adoleſcentium conſentire: Veniam ætatis ſupplicantibus concedere, authoritatem & decretum omnibus interponere, ſervos manumittendi, manumiſſionibus cum vel ſine vindicta, & minorum alienationibus, & alimentorum transactionibus authoritatem pariter & decretum interponere, Minores quoqꝫ Eccleſias, & communitates læſas, alterâ parte ad id priùs vocatâ, in integrum reſtituere, & integram reſtitutionem eis, aut alteri earum concedere: cum infamibus tam juris quàm facti, aut aliter quomodocunqꝫ copulativè & disjunctivè diſpenſare, ac eos ad famam reſtituere, abſtergendo ab eis omnem infamiæ notam tam irrogatam quàm irrogandam, ita quod de cætero ad omnes actus legitimos apti & idonei habeantur & promoveri poſſint, juris tamen ordine ſemper ſervato.*

Præterea motu, conſiliô, ſcientiâ & authoritate; præliminatis jam toties Præſidi Joanni Georgio Volckamero, *& Directori* Lucæ Schröckio, *eorumq́ꝫ in Noſtra Academia Leopoldina Succeſſoribus damus & concedimus amplam & liberam poteſtatem ac facultatem,*

tem, quâ poſſint & valeant honeſtis perſonis Inſignia ſeu arma concedere & elargiri idonea & convenientia qualitati perſonæ, quod ex veſtro judicio, & arbitrio dependere volumus, dummodo in hujusmodi conceſſione armorum caveant, ne alicui integram Aquilam, maximè Imperialem, aut coronam Regiam in galea, aut galeam Tornneariam apertam vel cancellatam (quas nimirum gratias Nobis ipſis reſervamus) concedant, aut avita quorumvis Principum, Comitum, Baronum & Procerum arma vel Inſignia præcisè elargiantur: Qui quidem ſic per ipſos armis decorati hujusmodi arma & Inſignia per eos conceſſa ubiq; locorum & terrarum, in omnibus & ſingulis honeſtis & decentibus actibus & expeditionibus, bellis, duellis, ſingularibus certaminibus & quibuscunque pugnis, vexillis, tentoriis, annulis, ſignetis, ſigillis, monumentis, ſepulchris & univerſis ſuppellectilibus pro eorum arbitrio & voluntate deferre & geſtare, omnibusq; & ſingulis privilegiis, juribus, honoribus, dignitatibus, officiis, gratiis & indultis uti, frui & gaudere poſſint & valeant, quibus cæteri à Prædeceſſoribus Noſtris Romanorum Imperatoribus & Regibus, & Nobis ipſis Inſignibus decorati utuntur & fruuntur, & ad ea admitti, ad quæ illi admittuntur conſuetudine vel de jure.

Indulgemus quoque præmoratæ ſæpius Academiæ Noſtræ Leopoldino-Imperialis Præſidi Joanni Georgio Volckamero, *& Directori* Lucæ Schröckio, *eorumq; in muniis Succeſſoribus ſcientiâ, motu & authoritate,*

quibus

quibus ſuprà, ut poſſint & valeant Doctores tam in Medicina & Philoſophia, quàm utroque Jure, nec non Licentiatos in dictis facultatibus, Magiſtros, Baccalaureos, atque Poëtas Laureatos creare, promovere, ordinare, conſtituere & facere, adhibitis tamen in cujuslibet Doctoris vel Licentiati creatione Doctoribus eximiis de profeſſione creandi ad minimum tribus, qui doctorandum vel licentiandum examini ſubjiciant, cui, quem idoneum invenerint, ſufficientemq́ comprobaverint, Illi authoritatem interponendo, Doctoratûs, Licentiæ, Magiſterii, Baccalaureatûs & Laureæ Poëticæ Inſignia, ut moris eſt, conferent. Qui quidem Doctoratûs, Licentiæ, Magiſterii, Baccalaureatûs & Laureæ Poëticæ titulo & Inſignibus ab illis donati, liberè poſſint & valeant in omnibus Civitatibus, terris, ac locis Sacri Romani Imperii, & ubilibet terrarum omnes actus Doctorales, legendi, docendi, interpretandi, cathedram aſcendendi & gloſſandi, de jure diſputandi, conſulendi, advocandi, & cæteros actus Doctorales vel Licentiæ, nec non Magiſterii & Baccalaureatûs, atque Laureæ Poëticæ facere & exercere, omnibusq́ & ſingulis gaudere & uti privilegiis, prærogativis, exemptionibus, libertatibus, conceſſionibus, honoribus, præeminentiis, favoribus, indultis & gratiis, ac aliis quibuscunque, quibus cæteri, nec non Magiſtri, Baccalaurei & Poëtæ Laureati, qui in Gymnaſio Pariſienſi, Bononienſi, Patavino, Peruſienſi, Piſano, Senenſi, Viennenſi, Ingolſtadienſi, & quolibet alio publico & privi-

 legiato-

legiato Gymnaſio promoti, vel etiam à Nobis, & Divis Prædeceſſoribus Noſtris Romanorum Imperatoribus ac Regibus inſigniti, ſeu aliter quocunque modo talia Inſignia acceperint, gaudent, utuntur & fruuntur, quomodolibet conſuetudine vel de jure; non obſtantibus in præfatis omnibus quibuscunque legibus, Canonibus, conſtitutionibus, Decretis, Reſcriptis, beneficiis, conſuetudinibus, ordinationibus, reformationibus, privilegiis, exemptionibus, gratiis, & prærogativis quocunque nomine cenſeantur, & cujuscunque tenoris & munitionis exiſtant, tam factis quàm faciendis per Nos vel Prædeceſſores Noſtros, aut per quoscunque Principes, Duces, Marchiones, Comites, Univerſitates, Civitates, Communitates, vel alias cujuscunque generis vel conditionis, ſub quibuscunque clauſulis & verborum expreſſionibus, etiamſi talia eſſent, de quibus de verbo ad verbum neceſſe eſſet hîc fieri mentionem ſpecialem in contrarium facientibus.

Ne tandem Nobili huic Academiæ quidquam deeſſet, quo doctrinæ ſcientiæque documenta tum in publicum Reipublicæ commodum, tum in ſui ipſiusmet ornamentum liberè poſſet evulgare, hoc inſuper addendum *Maximus LEOPOLDUS* voluit Imperialis ſuæ gratiæ monumentum, ut quotquot in eandem cooptati Miſcellanea curioſa ſive Ephemerides, aut alias lucubrationes libroſve ſeparatim edere voluerint, ſub Præſidis ac Directoris ſui authoritate & cenſura, ſecundùm Imperii jura, bonorumque morum leges inſtituenda, typo mandare poſſint & valeant, quos nemo, quisquis ille fuerit, citra illius, qui librum opusve aliquod com-

compoſuerit, veniam & permiſſionem imitari, nedum divendere auſit. Sed cùm Privilegium hoc impreſſorium Anno demum elapſo amplius nobis concedere SACRA CÆSAREA MAJESTAS clementiſſimè annuerit, ejusdem tenorem propriis verbis, quantum hîc requiritur, huc adponere, omnibusq; notum facere libuit:

LEOPOLDUS Divinâ favente clementiâ electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wirtembergæ, Comes Tyrolis &c. &c. *Agnoſcimus & notum facimus tenore præſentium univerſis, quod, cum Nos anno ſuperiore milleſimo, ſexcenteſimo, octuageſimo ſeptimo Academiam Noſtram Imperialem Leopoldinam Naturæ Curioſorum Privilegio Noſtro Cæſareo ſuas Ephemerides &c. imprimendi muniverimus, Nobis ejusdem* Præſes & Director *rurſus humilimè expoſuerint* &c. *Nos ſubmiſſæ illorum petitioni clementer annuerimus, prout per præſentes ex certa ſcientia annuimus* &c. *ac proinde authoritate Noſtrâ Cæſareâ omnibus & ſingulis Typographis, Bibliopolis aliisq; quibuscunque librariam negotiationem exercentibus firmiter inhibemus & vetamus, ne quis unquam Ephemerides aut libros ab Academiæ hujus Noſtræ Leopoldino-Cæſareæ Collegis & membris compoſitos & editos aut edendos intra Sacri*

Romani Imperii, Regnorumq́; & Provinciarum noſtrarum hæreditariarum fines ſimili aut alio quovis modo, typo aut formâ, ſive in toto ſive in parte typis dare, recudere, vel alii recudendos dare, alibive impreſſos apportare, vendere vel diſtrahere clam vel palam absque hujus Academiæ Noſtræ Leopoldino-Cæſareæ Præſidis & Directoris conſenſu & licentia præſumat: ſi quis autem privilegium hoc noſtrum violare auſus fuerit, eum non modò ejusmodi libris, perperam quippe recuſis & adauctis, dictæ Academiæ Noſtræ, auxilio Magiſtratus locorum, ubi reperientur, vindicandis privari, ſed & decem Marcarum auri puri mulctam, Ærario ſive Fiſco Noſtro Cæſareo, atque injuriam paſſo ex æquo pendendam dare damnatus eſto, dummodo tamen nihil in Ephemeridibus ac operibus ejusmodi contra Sacri Romani Imperii conſtitutiones aut bonos mores contineatur, & præter quatuor ordinaria cujusque libri exemplaria, etiam alia duo, juxta propriam oblationem, ſcilicet unum Cancellariæ Noſtræ Imperiali aulicæ latinæ & alterum germanicæ, impoſterum exhibeantur. Mandamus itaque univerſis & ſingulis Noſtris & Sacri Imperii Regnorumq́; ac Dominiorum Noſtrorum hæreditariorum ſubditis & fidelibus dilectis tam Eccleſiaſticis quàm ſæcularibus cujuscunque ſtatus, gradus, dignitatis aut ordinis extiterint, præſertim verò iis, qui in Magiſtratu conſtituti, vel ſuo vel ſuperiorum ſuorum loco aut nomine jus dicunt, juſtitiamve adminiſtrant, ne quenquam hoc Privilegium Noſtrum Cæſareum im-

punè

punè violare, ſpernere aut transgredi patiantur, ſed ſi quos contumaces compererint, conſtitutâ à Nobis pœnâ eos puniri & quibuscunque modis coërceri curent, nî & ipſimet graviſſimam Noſtram indignationem in ſe laceſſere ac provocare prædictamq; pœnam incurrere velint. Harum teſtimonio literarum manu Noſtrâ ſubſcriptarum & Sigilli Noſtri Cæſarei appreſſione munitarum, quæ dabantur in Civitate Noſtra, Viennæ, die tertiâ menſis Julii, anno milleſimo, ſexcenteſimo, octuageſimo octavo, Regnorum Noſtrorum Romani trigeſimo, Hungarici trigeſimo quarto, Bohemici trigeſimo ſecundo.

Leopoldus.

(L.S.)

V^t. Leopoldus Guillielmus
Comes in Kinigsegg.

Ad Mandatum Sacræ Cæſ. Majeſtatis proprium
F. W. Bertrand.

Tandem Diplomati, ut ad primum illud revertar, poſtquam *Auguſtiſſimus Imperator* Cæſâreâ ſuâ authoritate, omnibus & ſingulis, in quantum huic confirmationi, conceſſioni, creationi & indulto obſtarent, vel obſtare poſſent, per Literas iſtas derogare & derogandum eſſe voluit, ſemper tamen ſalvis & illæſis Cæſâreis, & Sacri Imperii, ac aliorum quorumcunq; Juribus, hæc verba pondus adjiciunt:

Quapropter mandamus ac præcipimus univerſis & ſingulis Electoribus ac Principibus tam Eccleſiaſticis, quàm

quàm Secularibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Militibus, Nobilibus, Clientibus, Capitaneis, Vicedominis, Locumtenentibus, Gubernatoribus, Præſidentibus, Præfectis, Caſtellanis, Rectoribus, Magiſtratibus, Antianis, Vexilliferis, Poteſtatibus, Civium Magiſtris, Conſulibus, ac omnibus denique Noſtris & Sacri Romani Imperii ſubditis ac fidelibus dilectis, cujuscunque ſtatûs, gradûs, ordinis, conditionis ac præeminentiæ extiterint, ut præfatam Nobilem Academiam Noſtram Leopoldino-Imperialem ſuprà dicto Palatinatûs titulo & privilegio, omnibusque gratiis & favoribus in hoc Noſtro Diplomate Ipſi conceſſis, liberè, quietè & absque ullo impedimento uti, frui, potiri & gaudere ſinant, *adeoq; ipſam in iis omnibus ac ſingulis defendant, conſervent & manuteneant, & alios, ne quid in contrarium attentent, vel moliantur, pro viribus impediant & prohibeant, in quantum indignationem Noſtram & Sacri Imperii graviſſimam & librorum omnium perperam impreſſorum, nec non pœnam quinquaginta marcarum auri puri, pro dimidio Fiſci, ſeu Ærario Noſtro Imperiali, & pro reliqua parte injuriam paſſo, toties, quoties contra hanc Noſtræ Confirmationis, Conceſſionis, Creationis & Indulti paginam factum fuerit, irremiſſibiliter ſolvendam incurrere noluerint. Harum teſtimonio literarum manu Noſtrâ ſubſcriptarum & Sigilli Noſtri Cæſarei appenſione munitarum; Quæ dabantur in Civitate Noſtra Viennæ, die ſeptimâ menſis Auguſti, anno*

mille-

milleſimo, ſexcenteſimo, octuageſimo ſeptimo, Regnorum Noſtrorum, Romani trigeſimo, Hungarici trigeſimo tertio, Bohemici verò trigeſimo primo.

Leopoldus.

V[t]. Leopoldus Guillielmus
Comes in Kinigsegg.

Ad Mandatum Sacræ Cæſareæ Majeſtatis proprium.

Collat. & regiſt.
F. W. Bertrand.

F. W. Bertrand.

Temerarius jam eſſem, ſi in tantam Gratiæ ubertatem, quæ *Summæ in Orbe MAJESTATI* Academiam noſtram clementiſſimè exornare ac penè obruere placuit, condignis laudibus, quas nec mente ſatis concipere licet, excurrere, aut votivas devotiſſimæ gratitudinis ſuſpendere tabulas præſumerem; quin mihi verendum, ne, ſi plurima ſpecioſè fortè dixerim, nec principium quidem dicendi feciſſe, meritò æſtimari deberem. Tacitâ itaque veneratione ſubmiſisſimè Eam admirari, atque ingrati ac indigni omninò ne videamur, ſtudiis indefeſſis demereri juvabit. Nunquam otioſos nos eſſe jubet vel ipſa Ordinis noſtri teſſera, quam violare culpâ haud caret; Eò ardentiori ergò conatu Naturæ theſauros eruere pergamus, quò ampliora nos hîc exſpectant præmia. Quorum ſecurâ poſſeſſione dignum ſe reddere quilibet valet, & nemini non ad ea curiosâ eruditione adſpirare conceditur; quin ſinguli tandem meruiſſe illa, poſt fata etiam dici merebuntur.

Neque omnes Cæſareæ Munificentiæ theſauros hîc eſſe exhauſtos credamus, quæ benigniſſimi Solis adinſtar, novo

indies Imperium gratiæ lumine irradians, Naturæ etiam Curioſos ſperare jubet, quæ ſalutare eorum inſtitutum perennare faciant, atq; illuſtrare & amplificare valeant.

Impudentem nemo æquus ſpei meæ cenſor fiduciam hanc, ſpero, proclamabit, ſi tam ampla Clementiæ Auguſtæ, tanto in armorum ſtrepitu, quo immaniſſimum Chriſtianorum hoſtem *Invictiſſimi CÆSARIS* fortitudo, *Conſiliô & Induſtriâ* obvallata, peſſundabat, facta nobis eſt occaſio; quid non, omne, triſtia quævis quod hactenus minabatur & miſerè quosdam agitabat, periculum ubi evanuerit, & debellatâ penitùs, Cœlô propitio, ſuperborum hoſtium perfidâ ferociâ, Pax læta Orbem denuò illuſtraverit, ſperandum?

Quare *AUGUSTI Noſtri* pro ſalute perpetua, eò ardentiora nuncupemus, & quæ publica paſſim fundit pietas, nos multiplicemus vota, ut diu lætus populo interſit Chriſtiano, & Imperitantium Optimus, Victorumq; Maximus, famâ & imperio, totum adimpleat Orbem!

Sed Academiæ noſtræ licet tantoperè faveret immenſa PHOEBI AUSTRIACI Benignitas, immutabile tamen fatorum imperium, amara miſcens dulcibus, inſigni eam vulnere, ut publicas taceam calamitates, quas impius Mars in Germaniam immiſerat, terrere viciſſim haud ceſſaverat; dum meritis & canitie venerabilem *Fehrium* in ipſo ſenili otio nunquam otioſum, & prudentiâ atque conſilio noſtri commodi nunquam immemorem, mortalitate depoſitâ, ad meliorem ſecedere vitam juſſerat; cujus obitum Nobiliſs. Dn. Præſes, ut ſingulis Societati noſtræ adſcriptis membris innoteſceret, hunc in modum intimandum duxit:

LEOPOLDINO-IMPERIALIS
ACADEMIÆ PRÆSES
JOH. GEORG. VOLCKAMER,

S. Cæſ. Majeſt. Archiater ejusq; Perſonæ Imperialis Medicus, J. R. I. Nobilis; Aulæ Cæſareæ Palatiique Lateran. & Conſiſtorii Imperialis Comes; Collegii Norimbergenſis Medici Senior primarius & perpetuus.

L. S. D.

Virtus ſine invidia marceſcit! Roſam armant ſpinæ! Felicitatem bonorum petulci petunt malevolorum aſſultus! Sacratiſſimus IMPERATOR Noſter LEOPOLDUS immanitatem Turcæ fregit & perfidiam, ferociam ejus compeſcuit, ac longe retroq; cedere coëgit DEO duce, comite militis generoſi virtute, quæ foris arma eo felicius movit, quo ſalubrius domi erat Conſilium. Sed ecce, dum mala MAGNUS Ille TRIUMPHATOR ex Oriente propellit atq; ἐπινίκιον *canit, ab Occidente longe graviora repullulaſcunt, quæ Germaniam tranquillam, fœderi & Sacramento fidentem ac non tam ſecuram quam juſtitiæ confiſam inſtar torrentis rapidi inundant, & tantum non ſubmergunt. Adeo cum Naſone exclamamus:*

Nubila ſunt ſubitis tempora noſtra malis!

Nam

Qui venit, hic fluctus fluctus ſupereminet omnes
Poſterior nono eſt, undecimoque prior.

Verum & hîc DEUS quaſi ex machina PIO JUSTO INCLUTO & INVICTO LEOPOLDO apparebit, ut Gemina Aquila, Imperii Orientis & Occidentis indicium, geminum hoſtem feliciſſime proſternat, & ex Utroq; CÆSAR ſit, dum ibi pro Aris, heic pro Focis juſtiſſime pugnabit, nosq; ſibi vindicabit & aſſeret. Sed nec hæc calamitas ſola: quin publicæ illi adhuc alia accedit ACADEMIÆ Noſtræ LEOPOLDINO-IMPERIALI è graviſſimo vulnere, quod nos ferit ex obitu Magnifici, Ampliſſimi atq; Excellentiſſimi Dn. D. JOH. MICH. FEHRII, Medici Cæſarei, & Archiatri Svinfurtenſis, nec non Conſulis & Prætoris Imperialis, *EX-PRÆSIDIS noſtri honoratiſſimi; quem DEUS ex hac miſeriarum valle ad ſe recepit XV. Novembr.* CIↃ IↃC XIIC.

Nec proſunt Domino, quæ proſunt omnibus artes!

In hoc tamen eſt, quod luctum refrenemus, quod Vir candidiſſimi pectoris, canæq; fidei cultor præſtantiſſimus, conſilio medendiq; peritiâ vel maximè potens, tandem ſatur dierum (quippe ultra LXXVIII. annos natus) ad Superos evolârit, famam orbi noſtræq; ACADEMIÆ, ſucceſſione & ſucceſſu ſecundus Præſes immortalem, & quod Caput rei eſt, ſui ſimilem reliquerit Filium paternarum virtutum ex aſſe hæredem, Virum Nobil. Excell. atq; Experientiſſ. Dn. JOH. LAUR. FEHRIUM; Med. D. ac in Patria Phyſicum probatiſſimum, Academiæq; noſtræ Collegam gratiſſimum. Nos interim Manibus beatis BENE MERENTISSIMI VIRI benè precemur, ſolatioq; ſummo in utraq; erit calamitate nobis, quod AUGUSTISSIMUS CÆSAR nos clementiſſimè protegat, & ſub alis Aquila benefica nos ſuis tueatur: Cujus rei illuſtriſſimum habemus teſtimonium, quando non ita pridem Noſtræ Academiæ fecit ſuo de Nomine nomen, & LEOPOLDINO-CÆSAREAM vocavit, inſuper Ejus PRÆSIDEM ac DIRECTOREM Ephemeridum Curioſarum in Archiatros ſuæq; Perſonæ Imperialis Medicos, S.R.I. Nobiles veros antiquisq; Nobilibus æquales, nec non Aulæ Cæſareæ Sacriq; Palatii Lateranenſis

nenſis ut & Conſiſtorii Imperialis Comites longè gratioſiſſimè recepit, easdemq; una omnes dignitates omnibus eorum legitimis Succeſſoribus perennes eſſe indulgentiſſimè juſſit. HUIC ergo immortales gratiarum hecatombas pro noſtro veterrimo veriſſimoq; amore Dnn. COLLEGÆ Honoratiſſimi, mactabimus, ac pro Vita, Incolumitate SACRATISSIMI CAPITIS, & feliciſſimo armorum Ejus ſucceſſu contra quoscumq; hoſtes Divinum fatigabimus NUMEN precibus noſtris; ut Diviſum Imperium cum Jove CÆSAR habeat; Potentiſſimusq; REX HUNGARIÆ JOSEPHUS, Orbis amor, & Generis humani delitiæ cum Divino PARENTE

— Imperium Oceano, & famam terminet aſtris!

Adeoq;

Quisquis ades, caſtæq; colis penetralia Veſtæ,
Gratare, Auſtriacis thuraque pone focis!

VOBIS vero, Viri celeberrimi & in Naturæ Sacris maximoperè operoſi, COLLEGÆ venerandi, hæc ſignificare debui volui, officio meo defungens, ſpeq; fruens certa Vos omnia facturos, quæ in DEI gloriam, S. Cæſ. Maj. obſequium devotiſſimum atque continuam oblectationem, Naturæ Artisq; emolumentum inſigne; proximi ſalutem, veſtrumq; decus concedere poſſunt. Agite, Viri Sollertiſſimi, non condormiſcamus, manum nunquam de tabula ſubtrahamus. Τῆς ἡσυχίης πάντες οἱ πόνοι ἡδίονες; *judice Democrito apud Stobæum! Quin cogitemus ſacra noſtra non eſſe Opertanea, aut Eleuſinia; immo verè publica almæ Matris noſtræ quæ forte ideo* πολύμαστος *Poëtis fingebatur; ut omnibus inſerviret. Ego vero officio hoc meo defungar, quantum DEUS & natura Septuagenario majori, & ad octuagenarium adſcendenti permittent; interim*

— — — fungar vice cotis, acutum
Reddere quæ ferrum valet, exſors ipſa ſecandi.

Valete. PP. Norimbergæ XXIV. Decembr. A. clↃ IↃC LXXXVIII.

Dum gratam Senis optimi memoriam ita colimus, & nulla temporis diuturnitas eum ex animo noſtro delere valet, Vobis, amantiſſimis Dnn. Collegis, quos Divina Gratia ſupereſſe hucusque dedit, vitam longævam, fortunam propitiam, viresq́ue vegetas optare juſtum eſt; ut Veſtræ Virtutis memoria in ævum duratura vigeat; quam in vivis queant admirari quotquot Apollini favent, inq́ue beatè aliquando defunctis venerari pergat omnis po-
ſteritas!

CATALOGUS ALPHABETICUS
Excellentiſſimorum VIRORUM
Qui pro augendo Septimo hoc Secundæ Ephemeridum Phyſico-Medicarum Decuriæ Anno, Obſervationes communicârunt.

1. D. JOHANNES AVENIUS, *Medicus Colbergenſis.*
2. D. JOH. CONRADUS BRUNNERUS, *Univerſitatis Heidelbergenſis Prof. Publ.* Academicus Curioſus.
3. D. RUDOLPHUS JAC. CAMERARIUS, *in Acad. Tubing. Prof. Publ. & horti Medici Inſpector*, Academicus Curioſus.
4. D. THEODORUS CAROLI, *Phyſicus Leomontanus*, Academicus Curioſus.
5. D. GABRIEL CLAUDERUS, *Archiater Electoralis & Ducalis Saxonicus*, Acad. Cæſ. Leop. Nat. Cur. Adjunctus.
6. D. FRIDERICUS WILHELMUS CLAUDERUS, *Practicus Altenburg.* Academicus Curioſus.
7. D. ANDREAS CLEYERUS, *Ill. Societatis Batavo-Ind. Orient. Proto-Medicus*, Academicus Curioſus.
8. D. DANIEL CRüGERUS, *Archiater Elect. Brandenburg. & Poliater Stargardienſis*, Academicus Curioſus.
9. D. JOH. DOLÆUS, *Conſiliarius & Archiater Haſſo-Caſſellanus*, Academicus Curioſus.

10. D. GE-

10. D. GEORGIUS TOBIAS DüRRIUS, *Sereniſſ. Electoris Palatini Conſiliarius, Collegii Medici Auguſtani Vicarius, & Officinarum pharmaceuticarum Viſitator*, Academicus Curioſus.

11. D. JOH. LAURENTIUS FEHRIUS, *Phyſicus Svinfurt.* Acad. Cæſ. Leop. Nat. Cur. Adjunctus.

12. D. EBERHARDUS GOCKELIUS, *Archiater Würtembergico-Weiltingenſis & Phyſicus Ord. Ulmenſis*, Academicus Curioſus.

13. D. HERMANNUS NICOLAUS GRIMMIUS, *Poliater Auricenſis Friſ. Orient.*

14. D. JOH. BENEDICTUS GRüNDELIUS, *Inclyt. Styriæ Statuum Phyſicus, & Marpurgi Practicus*, Academicus Curioſus.

15. D. EHRENFRID HAGENDORNIUS, *Archiater Elect. Saxonicus, Medicus Görlicenſ.* Academicus Curioſus.

16. D. GEORGIUS HANNÆUS, *Prof. Haffnienſis in Dania*, Academicus Curioſus.

17. D. JOH. LUDOVICUS HANNEMANNUS, *P.P. Chilonienſis*, Academicus Curioſus.

18. D. PHILIPPUS JACOBUS HARTMANNUS, *Prof. Publ. Regiomontanus*, Academicus Curioſus.

19. D. GEORGIUS HEINTKE, *Phyſicus Windsheimenſis.*

20. D. JOH. MAURITIUS HOFFMANNUS, *in Academia Altdorffina P.P. Acad. Cæſ. Leop. Nat. Cur. Adjunctus.*

21. Dn. JAC. AUGUSTINUS HüNERWOLFFIUS, *Med. Licent. & Phyſicus Arnſtadienſis*, Academicus Curioſus.

22. D. EMANUEL KöNIG, *Medicus Baſileenſis*, Academicus Curioſus.

23. Dn. HIERONYMUS AMBROSIUS LANGENMANTELIUS, *Patritius & Canonicus Auguſtanus ad D. Mauritium & D. Petr.* Academicus Curioſus.

24. D. ADAMUS à LEBENWALD, *Com. Pal. Cæſar. Inclyt. Ducatus Styriæ Conſiliarius & Medicus, Acad. Cæſ. Leop. Nat. Cur. Adjunctus.*

25. D. SAMUEL LEDELIUS, *Medicus Provincialis Görlicenſis*, Academicus Curioſus.

26. Dn. SIGISMUNDUS LEDELIUS, *J. U. D. Advocatus juratus Ducatuum Schvvidnicenſis & Jaurovienſis*, Academicus Curioſus.

27. Dn. ROSINUS LENTILIUS, *Med. Licent. Phyſicus Nordlingenſis Ordinarius*, Academicus Curioſus.

28. D. MICHAEL FRIDERICUS LOCHNERUS, *Phyſicus Norimbergenſis Ord.* Academicus Curioſus.

29. D. JOHANNES CHRISTIANUS MACKIUS, *Medicus Electoralis Saxonicus Provincialis & Primarius Schneebergenſis*, Academicus Curioſus.

30. Dn. JOHANNES MEJERUS, *Prof. Philoſophiæ in Gymnaſio Ratisponenſi.*

31. D. CHRISTIANUS MENTZELIUS, *Sereniſſimi Electoris Brandenburgici Conſiliarius & Archiater*, Academicus Curioſus.

32. D. JOHANNES de MURALTO, *Phyſicus Tigurinus*, Academicus Curioſus.

33. D. CAROLUS JOSEPHUS MYLLERUS, *Phyſicus Ordin. Tugii Helvet.* Academicus Curioſus.

34. D. JOH. CONRADUS PEYERUS, *Poliater Scaphuſanus*, Academicus Curioſus.

35. D. MAXIMILIANUS PREUSSIUS, *Poliater & Inſpector Noſocomii Vratislavienſis.*

36. D. SALOMON REISELIUS, *Sereniſſ. Duc. Würtenbergici Conſiliarius & Archiater*, Academicus Curioſus.

37. D. PETRUS ROMMELIUS, *Phyſicus Ulmenſis.*

38. Dn. GEORGIUS EBERHARDUS RUMPHIUS, *Ill. Societatis Indiæ Orient. in Inſula Moluccarum Ambona apud Belgas Senator & Mercator emeritus*, Academicus Curioſus.

39. D. GüNTHERUS CHRISTOPHORUS SCHELHAMMERUS, *Univerſitatis Helmſtadienſis Prof. Publ.* Academicus Curioſus.

40. D. LUCAS SCHRöCKIUS, Luc. Fil. *Medicus & Comes Palatinus Cæſareus, S. R. I. Nobilis, Phyſicus Auguſtanus, Acad. Cæſar. Leopoldinæ Nat. Cur. Adjunctus, & Ephemeridum Director.*

41. D. CHRISTIANUS SCHUCHMANNUS, *Phyſicus Annæbergenſis.*

42. D. MICHAEL BERNHARDUS VALENTINI, *Prof. Publ. Gieſſenſis*, Academicus Curioſus.

43. D. JOHANNES GEORGIUS VOLCKAMERUS, Senior, *Sacr. Cæſareæ Majeſtatis Archiater, & Sacr. Palat. Lateran. Comes, Rom. Imp. Nobilis, Collegii Medici Norimbergenſis Senior Primarius, Academiæ Cæſar. Leop. Naturæ Curioſorum Præſes.*

44. D. JOH. GEORGIUS VOLCKAMERUS, Junior, *Phyſicus Norimbergenſis*, Academicus Curioſus.

45. D. JOHANNES JACOBUS WEPFERUS, *Archiater Scaphuſanus*, Academicus Curioſus.

46. D. JACOBUS WOLFFIUS, *Poliater Jenenſis*, *Acad. Cæſ. Leop. Nat. Curioſ. Adjunctus.*

47. D. JOHANNES PAULUS WURFFBAINIUS, *Phyſicus Norimbergenſis*, *Academiæ Cæſ. Leop. Naturæ Curioſorum Adjunctus.*

CATALOGUS OBSERVATIONUM

Decadis II. Ann. VII. Ephemeridum Nat. Cur.

D. CHRISTIANI MENTZELII.

1. De Nuce juglande ferrea, Oſtrea ferrea, Pruno exſiccato lapideo, & Rotula ſclopetorum ferrea naturâ ſic fabrefactâ. pag. 1
2. De Jaſpide antinephritico. 4

D. GEORGII EBERHARDI RUMPHII.

3. De Ceraunia metallica. 5
4. De Nautilo velificante & remigante. 8

D. JOH. CHRISTIANI MACKII.

5. Salivatio diuturna cum metu gangrænæ. 9

D. SALOMONIS REISELII.

6. Hepatocele. 11
7. Cardialgia periodica vernalis. 12
8. Anus occluſa & glans imperforata. 13
9. Uteri tumor glanduloſus adnatus externus. 15
10. Rupto utero fœtus intra abdomen excluſus. 16
11. Conjecturæ & conamina circa hernias. 18
12. Aſthmatici pueri anatomia. 22
13. Sonitus in abdomine. 23
14. Exſangue ferè corpus. 24
15. Feces per umbilicum lethaliter exeuntes. 24

D. JOH. JACOBI WEPFERI.

16. Ventriculi tumor verminoſus cum folliculo. 26

D. PHIL.

D. PHIL. JACOBI HARTMANNI.

17. Anatome Caponis inediâ enecti. pag. 36
18. Carduelis fame peremtæ. 39
19. Canis diarrhœâ afflictæ. 40
20. Ovillorum uterorum Embryis intus ſceletis. 42
21. Ventriculorum tophis intus concretis. 47
22. Renum & partium adjacentium non rectè ſe habentium. 48
23. Veſicularum fellis & partium adjacentium non rectè ſe habentium. 54
24. Glandiorum. 58
25. Lienum. 60
26. Porcellæ Hermaphroditæ creditæ. 61
27. Vitulæ Hermaphroditæ. 62
28. Ventriculorum intus latitantibus aciculis. 63
29. Gallinæ Iliacæ. 64
30. Scirrhorum. 67
31. Uteri ſuilli fœtibus diſparis magnitudinis. 68
32. Turturis pinguedine ſuffocati. 69
33. Gruis pinguedine ſuffocatæ. 71
34. Canis morbidi. 74
35. Canis in partu mortuæ. 76
36. Picæ Glandariæ Epilepſiâ enectæ. 77
37. Fringillæ Epilepticæ. 78
38. Gallinæ Hernioſæ. 79
39. Veſicæ monſtroſæ. 79
40. Ventriculi Piſcis Siluri, Welß dicti. 80

D. SAMUELIS LEDELII.

41. De Vomitu diuturno lethali. 83
42. De Curioſis verè Curioſis. 84
43. De Vagitu uterino infauſto. 86
44. De Nauſea carnis ob diſciſſum Gallum oviparum. 88
45. De Morte ob ſanguinem è mammis exſuctum. 89

46. De funeſto tympanorum ſonitu. pag. 90
47. De Cauterio actuali mortem inducente. 91
48. De Utilitate fumi tabacini. 92
49. De Urinæ ardore immenſo & diuturno. 93
50. De Calculo veſicæ lethali. 94
51. De Tumore linguæ inſigni. 95

D. SIGISMUNDI LEDELII.

52. De diverſis alvum ſollicitantibus mediis. 96
53. De remediis Chymicis non omnibus promiſcuè utilibus. 97

D. JOH. JACOBI WEPFERI.

54. Uteri procidentiæ exciſæ felix eventus. 98

D. THEODORI CAROLI.

55. De Fungis Quernis ſingularibus. 99

D. GEORGII TOBIÆ DüRRII.

56. Tympanites & virtus Conſervæ Spagiricæ. 102
57. Aſcites in muliere ſeptuagenaria. 105
58. Anaſarca. 105
59. Teneſmus. 107
60. Calculus ſine Lithotomo è veſica prodiens. 108
61. Icterus niger cum ſcabie ſua. 108
62. Anus occluſus. 111

D. MICH. BERNHARDI VALENTINI.

63. Curioſa in Araneis obſervata. 112
64. Antipathia fabuloſa inter vitem & braſſicam. 113
65. Ex Ophthalmia phthiſis. 114

D. EMANUELIS KôNIGII.

66. De Vitrificatione Metallorum. 115

D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI.

67. De fœtus quaſi emortui in vitam per ſuctionem reſtitutione. 125

68. De Corona ſerpentum. pag. 129
69. Mira febris ardentis per frigidam cura. 130

D. ANDREÆ CLEYERI.

70. De Plantis Japonenſibus Iſnoaky, Germ. Eiſerholtz & Tzumacky. 132
71. De Plantis Japanenſibus Cumi Gummi & Miaco Bana. 133
72. De Plantis Japanenſibus Kyrama & Fickofáx. 134
73. De Plantis Japanenſibus Nifum Schin'Srogat, Maminoky & Feggo. 135

D. ADAMI à LEBENWALDT.

74. Vomitus diuturni cura. 136
75. Morbillorum cura. 137
76. Dyſenteriæ cura. 137

D. DANIELIS CRüGER.

77. De fonte Polcinenſi miraculoſo. 138
78. De Epilepſia. 140

D. JOHANNIS AVENII.

79. De Termitibus per urinam excretis, item de ſpina & acicula ventriculum perforantibus. 143

Dn. JACOBI AUGUSTINI HüNERWOLFFII.

80. De Cephalgia, corroſivo formicarum liquore curata. 144
81. De Verſicolore & exulcerata cute à menſibus retentis. 145
82. De Gelatina Sabinæ. 146
83. De Mole corporis à mola & hydrope notabili. 146
84. De Euporiſto in Hydrope. 147
85. De Pudendo ſuillo contra urinæ incontinentiam. 148
86. De Diabete lethali ab uſu cantharidum externo. 149
87. De Curatione Dyſenteriæ deſperatæ. 149

88. De

88. De Calculo Clavato. pag. 150
89. De Cerebro apri antipodagrico. 151
90. De Noxa puerperarum à ſecundinis temerè abjectis. 152
91. De Maleficiis ſuffitu curatis. 152

D. JOHANNIS de MURALTO.

92. De Aſthmate ſuffocativo admirando. 153
93. De Partu difficili. 154
94. Paralyſis à ſtanno. 156
95. Animi deliquium ab unguento ranunculari. 157
96. Lochia nimia. 158
97. Symptomata Spaſtica uterina. 159
98. Febris lactea. 161
99. Guttæ ſerenæ initium. 161
100. Phantaſia corrupta poſt febrem Hungaricam. 162
101. Surditas & tinnitus aurium. 163
102. Deglutitus nummus. 164
103. Melancholia uterina. 165
104. Cura ſterilitatis in fœmina Bornenſi. 166
105. Hectica cum Hemicrania curata. 167
106. Acicula à puella deglutita. 169
107. Regurgitatio fluoris albi. 170
108. Præcautio Abortûs. 171
109. Paralyſis cum Macie & doloribus. 172
110. Convulſiones mirandæ. 176
111. Dyſenteria Epidemica. 178
112. De Hypercatharſi à reſina Jalappæ excitata. 183
113. Fluxus ab utero aquoſus cum quadam hydropis ſpecie. 187
114. Mulier febre Epidemicâ laborans à Pharmacopola malè tractata, in Phthiſin prolapſa. 191
115. Sutor à febre epidemica decumbens ſparſis per corpus papulis, ſectâ venâ melius habuit, & convaluit, è contra Sartor quidam omiſſâ periit. 197

116. Aſth-

116. Aſthma convulſivum. pag. 199
117. De Vomitu. 205
118. De Rabie. 209
119. Ileos curatus. 214
120. Hectices ſpecies. 216
121. Orthopnœa. 218

D. JOH. CHRISTIANI MACKII.

122. Subitanea Tibiæ & totius Νέκρωσις. 225

D. MICHAEL. FRIDERICI LOCHNERI.

123. De Mamma Mentulata. 228
124. De Puero caudato. 230

D. EBERHARDI GOCKELII.

125. Empyema ex intermiſſa Paracentheſi lethale. 232
126. Cephalalgia bimeſtris accedente auris dextræ intolerabili dolore, poſt ruptum abſceſſum evaneſcens. 235
127. Fœtus monſtroſus cum ſuperiori maxilla & labio in utroque latere fiſſo. 237
128. Aſthma periodicum, ſuffocationem minitans, optimo ſucceſſu curatum. 238
129. Dolor hypochondrii ſiniſtri periodicus, feliciter curatus. 239

D. JOHANNIS DOLÆI.

130. Puerulus quatuor annorum calculo afflictus. 241
131. Abſorbentia alvum quandoque laxant. 242

D. JOH. CONRADI BRUNNERI.

132. De Experimentis circa Pancreas novis confirmatis. 243

Dn. ROSINI LENTILII.

133. Aſthma Scorbutico-hyſtericum. 249

134. Pueri maleficiati caſus memorabilis. pag. 258
135. Convulſiones admirabiles. 260
136. Calculi per tuſſim, vomitum & alvum redditi. 262
137. Cautela in veſicatoriis adhibenda. 264
138. Vivum Cadaver. 265
139. Alvi adſtrictio à coalitu inteſtini recti. 266

D. CHRISTIANI SCHUCHMANNI.

140. Morſus ſerpentis curatus. 266

D. MAXIMILIANI PREUSSII.

141. Hydrops abdominis ſaccatus cum veſicæ & uteri defectu. 274
142. Rarior ſpinæ ventoſæ conſtitutio amputatione feliciter curata. 280
143. Calculi veſicæ ſigna ſine calculo. 282

D. GEORGII HEINTKE.

144. Epilepticus Concionator & Cantor. 285
145. Vinum Franconicum in febre petechiali innocuum. 287

D. GEORGII HANNÆI.

146. Anethum antivenereum. 288
147. Ventriculi vaga intemperies lethalis. 289
148. Tuſſis Periodica. 291
149. Antipathia Virginis cum baccis Cynosbati. 292
150. Lienis mutilatio indemnis. 293
151. Rorismarini fabrica in Microſcopio examinata. 294
152. Cephalalgiæ curatio per tonſuram. 294
153. Aquæ Reginæ Hungariæ abuſus. 296
154. Dyſenteria biennis curata. 297
155. Capillitium viride. 298

D. RUDOLPHI JACOBI CAMERARII.

156. De Fungo Calyciformi ſeminifero. pag. 303

D. EHRNFRIDI HAGENDORNII.

157. Flores & Cryſtalli Nitri. 306
158. Cinnabaris nativæ & antimonialis vis dejectoria. 306

D. GABRIELIS CLAUDERI.

159. Impenetrabilitatis armorum veritas & vanitas. 307
160. Exploſionis tormentorum bellicorum prohibitio itidem vera ac non minùs vana. 310
161. Cœcitas ſubitanea Epilepſiæ prodromus, binis in fœminis obſervata. 311
162. Convulſiones epilepticæ à purgante reſinoſo excitatæ. 313
163. Ex Oſſibus Microcoſmi calcinatis ſpectriformis apparitio. 315
164. Riſus Sardonius involuntarius plurium annorum innoxius tandem lethalis. 317
165. Superfœtationes. 319
166. Fœtus in utero mortuus vi quaſi expulſus. 320
167. De Bufonum veneno nonnulla. 322
168. Cervus caſtratus in venatione lethaliter globulo transfoſſus. 323
169. Sanguis ferè albus, addito ſero chyloſo, ſanè ſanitatis damno aliquot annis durans. 326
170. Trifolium quadrifolium. 327
171. Capra pariens fœtum humano analogum mortuum & ſimul caprum. 328
172. Pullorum Cuculi excluſio vera. 330
173. Effigies ſudans. 331

174. Odontalgiæ violentæ cauſa vermis dentis inquilinus. pag. 332
175. Rara in geminis animorum & corporum ſimilitudo. 334
176. Excreſcentia carnoſa ſuper corneam oculi dextri tunicam. 335
177. Mercurius è Metallis & Mineralibus copiosè & facilè obtinendus. 339
178. Speculorum confectio. 341

D. FRIDERICI WILHELMI CLAUDERI.

179. Debitus pulſum inveſtigandi locus. 342
180. Pulsûs per 36. horas ante obitum ceſſatio. 343
181. Purulenta variolarum materia criticè per urinam excreta. 344
182. Cervus Venatorem modo ſubitaneo occidens. 345
183. Pinguedo ſine ſanitatis damno aliquot annis per urinam & vomitum excreta. 346
184. Abortus certo tempore & ſeptimana ſæpè accidens. 348

D. JACOBI WOLFFII.

185. Materia tophacea cum alvi excrementis ejecta. 349
186. Odontalgia ranunculo nemoroſo curata. 351
187. Hydropicæ poſt paracenteſin anatome. 353
188. In hydropica paracenteſis fruſtrà tentata. 355
189. Epilepſiam excitantes lumbrici. 357
190. Tinctura Martis ſolaris terna, diſtincta, fortuita experientia ſalubris obſervata. 359
191. Cortici noto febrifugo Chinæ Chinæ alia ſubſtitui poſſe putatur. 361
192. Mulieris ſtomacace & arthritis à vacca collecta. 363
193. Hæmorrhagia umbilicalium vaſorum in recens natis lethalis. 365
194. Pluvia ſulphurea. 367

D. GüNTHERI CHRISTOPHORI SCHELHAMMERI.

195. Piſtaciæ germinatio. pag. 371
196. Epilepſiam à Tabaci fumo foveri. 373
197. Alia de Epilepſia obſervatio. 374
198. Sputi rejectio matutina copioſa admodùm moleſta ab eodem Tabaco. 375
199. Hæmorrhagiæ ſpontaneæ internæ & externæ notabilis obſervatio. 376
200. De Terra Catechú. 377
201. Mus in vertiginem actus. 378

D. JOH. BENEDICTI GRüNDELII.

202. Arenæ copioſæ per alvum excretæ. 379
203. Venenum morſu canis rabidi inductum & poſt octo annos in puella excitatum. 380

D. JOHANNIS CONRADI PEYERI.

204. Mulieris gravidæ anatome. 381
205. Perioſteum oſſeum. 384
206. Hydatides in venis. 385

D. PETRI ROMMELII.

207. Anevriſma magnum nullis remediis cedens, ſpontè tandem evaneſcens. 385
208. Anevriſma aliud feliciter curatum. 390
209. Fœtus abſque funiculo umbilicali editus. 392
210. Hermaphroditus Vitulinus, pedibus cervinis præditus. 395
211. Crapula & Vomitus non niſi eâdem numero horâ, quâ crapula cœperat, deſinens. 396
212. Oſſium mollities & flexibilitas. 397
213. Fluxus menſtruus immodicus, Febre tertianâ ſuperveniente curatus. 399

214. Uvulæ non animadverſa amiſſio eamq; concomitantia incommoda. pag. 400
215. Singularis inter maritum ejusq; uxorem Idioſyncraſia. 403
216. Errores in Medicina quandoque ſingulares. 404

D. JOHANNIS de MURALTO.

217. Febris duplex tertiana. 407
218. De Pleuritide. 410
219. Febris Anomala. 411
220. Febris intermittens ab aëre paluſtri inducta. 414
221. Cachexia cum pleuritide ſæpiùs recurrente. 417
222. De Pica. 421

D. HERMANNI NICOLAI GRIMMII.

223. Experimenta Chymica. 424

D. CAROLI JOSEPHI MYLLERI.

224. Agyrtæ temeritas, grana Tilli centum uno die ad purgandum adoleſcentem ingerentis. 426
225. Nævus maternus, equi forma & piſcis. 428
226. Fœtus quodammodò monſtroſus à partu. 429
227. Phthiſis hæreditariæ cura. 430
228. Menſtrua cum calculis ex umbilico. 431

D. RUDOLPHI JACOBI CAMERARII.

229. De nova vaſorum ſeminiferorum & Lymphaticorum in teſtibus communicatione. 432

D. JOH. LAURENTII FEHRII.

230. Cataractæ depoſitio in utroque oculo feliciter celebrata. 433
231. Tumor juxta oculi Iridem feliciter curatus. 435

Dn. HIERONYMI AMBROSII LANGENMANTELII.

232. De Verme narcoticâ virtute prædito. 436

233. Circa Salamandram in igne vivam & mortuam, & quatuor Elementorum artificioſam repræſentationem. pag. 439
234. Microſcopii Tontoniani fabrica tam exterior quàm interior meliùs concepta & explanata. 442
235. De Oſſibus Elephantum. 446
236. De Oſſium mollitie. 447
237. Noxa ſumtarum Cantharidum. 450

Dn. Lic. ROSINI LENTILII.

238. Inſolita pártûs humani via. 450
239. Anus hirciſſans. 452

Dn. JOHANNIS MEYERI.

240. Fur è patibulo pendulus, in fago naturæ penicillo depictus. 453

D. DANIELIS CRüGERI.

241. Contra lumbricos remedium novum. 454
242. Præſtantia Balſami de Tolu. 455

D. JOH. MAURITII HOFFMANNI.

243. Oſcheocele horrenda cum Hydrope aſcite. 455
244. Teſtium tumor & ſingularia alia conjuncta pathemata. 457
245. De calculis bilioſis per alvum excretis. 460
246. De Chalazæ alterius in ovo figurâ ſingulari. 460
247. De Cartilagine media oſſium pubis in primipara poſt mortem molli & ſpongioſâ. 461
248. Repentina ex dolore Iliaco mors. 462
249. Liquor & Sal volatile Meliſſæ. 463

D. JOH. GEORGII VOLKAMERI Senioris.

250. De Lapillis Limacum. 465

D. JOH. GEORGII VOLCKAMERI Junioris.

251. De germinatione Nucis coccos. 467
252. De folio Salviæ glandiferæ. 468

D. JOH.

D. JOH. PAULI WURFFBAINII.

253. De Abdominis tumore Steatomatico in puerulo nondum trienni raro & admirando. pag. 470
254. De Globo lapideo materiâ pingui repleto in ſepulchro reperto. 473

D. LUCÆ SCHRöCKII, LUC. Fil.

255. De Phalæna maxima. 475
256. De termitibus cum urina excretis. 478
257. De Verme quadrato. 480

ADDENDA.

D. SAMUEL LEDELIUS,

De utilitate & jucunditate exurgente è lectione Ephemeridum. 482

D. DANIELIS CRüGERI.

De Fonte Polzinenſi miraculoſo. 483
Theæ Chinenſis Icon. 486

EPHEMERIDUM MEDICO-PHYSICARUM CURIOSARUM DECURIÆ SECUNDÆ ANNI SEPTIMI

OBSERVATIO I.

D. CHRISTIANI MENTZELII,

De

Lapidibus rarioribus

Ex

SERENISSIMI ET POTENTISSIMI ELECTORIS BRANDENBURGICI p.m.

FRIDERICI WILHELMI MAGNI,

Rariorum repoſitoriis depromptis,

ſcilicet de

Nuce juglande ferrea.
Oſtrea ferrea.
Pruno exſiccato lapideo.
Rotulâ ſclopetaria naturâ ſic formata.

EPidipnidarum, (dubium) an Epicedii, locô appono Vobis jam Oſtream, Nucem juglandem, pruna &c. partim ferreos, partim terreos & lapideos fructus, poſt mortem tanti Herois, Electoris Brandenb. FRIDERICI WILHELMI MAGNI, cui per 30 annos ſervivi, & cujus egregias res geſtas & bellica facinora omnis poſteritas per ſcri-

pta conſignanda admirabitur. Propoſueram experimenta quædam ex Ejus relatione deprompta Anno Salvatoris 1687, Ephemeridum noſtrarum Anno 5. Decur. 2, quæ etiam, dum vivebat, prælecta intellexit. Anno 1688, Ephemer. noſtrarum 6. Dec. 2. produxi admirandos quosdam lapides ab Ipſo Electore repertos, quos vitâ privatus non vidit. Nunc tertiâ vice, dum mihi juſta Ejus perſolvenda ſunt, placet jam in honorem Ejus ſempiternum, paucula ex Spaniotheca, ſive rariorum ſcrinio Ejus depromere, ne oblivione quadam ſepeliantur; ſed poſt mortem Herois noſtri æternâ quoque memoriâ apud eruditos perdurent & perennent. Hæc inter primò ſe offert ferreus fructus juglandis, fortuitô & naturæ caſu (ſive, juxta quosdam, à quodam naturæ Archæo) ita affabrè in terra natus, ut fructum juglandis, per dimidium apertum cùm ſuo nucleo emicante exquiſitiſſimè præſentet. Eſt ea nux reperta Anno 1648 à germano meo fratre, majore nato, Joh. Chriſtoph. p. m. circa patrium ſolum, propè viam, quà itur Trebuſium. Ab illo mihi dono data, tandem ſingulare hoc naturæ opus in manus Sereniſſimi mei Electoris p. m. pervenit, qui illam ſtudiosè Sibi aſſervari juſſit. Ferrea eſt hæc nux juglans, non quidem ex fuſo ferro, ſed ex ejus minera, ita ſponte naturâ concreta. Sive enim fructus quidam juglans, per dimidium aperta olim cecidit fortè in tellus, ubi materia ferri & lapideſcens mollis & tenuiſſima adhuc, fructum hunc circumvenit, permeavit, & longô temporis tractu formam ſubjecti aſſumpſit & ſic in eam transmutata in ferri duritiem obriguit: ſive fructus hic ſponte ſuâ variis agitationibus externis & cauſis in talem formam inſtar aëtitarum permutatus fuerit, incertum eſt, cùm nemo mortalium tot & tam varias Naturæ permutationes exquiſitè obſervare poſſit. Accedit alia ratio eorum, qui certum Archæum varias figuras & uſui humano aptas formas vel in aëre vel in terra ex terrena materia fabricare aſſerunt, quorum opinioni non contrariamur, cùm Collegium noſtrum &

Aca-


F. 1. ad pag. 3.
Iaspis antinephriticus. ad pag. 5.
Nux juglans ferrea.
F. 5.
Rotula sclopetulorum ferrea, naturâ fabrefacta.
F. 4.
Oſtreæ ferreæ pars interior.
Oſtreæ ferreæ facies exterior.
F. 2. ad p. 3.
ad p. 3. F. 3
Lapis Bononi- ensis pruni siccati formâ.

Academia cuilibet membro ſuæ conſcientiæ libertatem permittat. Ex aëtitarum genere arbitror eam nucem eſſe, & quidem Geodis ſpeciem, cùm ſit ex materia aëtitarum & mineræ ferreæ, ac nucleus ejus putamini arctè adhæreat, unde integra nux reſonare intùs non potuit. *Vid. Fig. I.* Eadem ratio dari poteſt de Oſtrea ferrea, vel ex minera ferri, materia nempè aëtitarum, ita fortuitò fabrefacta, quam reperi Clivis Anno 1666 prope fontem, la Fontaine dictum. Hæc conſtabat ex utraque teſta, cùm eam reperi; verùm cum experiri vellem interiora per crebras contuſiones, rupta & fracta fuit altera & quidem meliorem formam oſtreæ exprimens teſta, unde viliori contenti ſimus. Nucleus in ea erat Ochra obſcurior, Pictoribus Vmbra dicta, teſtæ alterutri arctè adhærens exterior teſtæ pars multis lapillis & arenulis eſt obſita. *Vid. Fig. II.* Tertius fructus inter bellaria adfertur vobis, ſolâ *Fig. III.* æri incisâ commendabilis; lapis nempe Bononienſis lucifer, pruni exſiccati & magnitudinem & formam præſentans. Horum aliquot Bononiæ in ipſo loco natali collegi. Verùm quia integrum tractatulum de lapide Bononienſe in obſcuro lucente Anno 1675 edidi, de eo nihil ulteriùs addam, ſed Lectorem ablegabo ad Sect. 2. c. 4. ejus libelli, ubi de figura hujus lapidis egi; ſed cùm figuram ibidem non appoſuerim, hîc exhibui. *Vid. Fig. III.* Claudo obſervationem hanc inſolitâ mineræ ferreæ figurâ, quæ in viſceribus minerarum ferrearum Comitatûs Marcæ (qui Electori paret) reperitur; & rotulam iſtam (in longè minori licet formâ) quæ in ſclopetulis veteribus pro igne cum pyritide compoſito excitando viſitur, perfectè refert, & copiosè inde affertur. Liceat hoc minerale inter epidipnidas referre, quòd inter belli bellaria plurimis, ſub Electore meo, appoſitum ſclopetularum genus in actionibus bellicis finem cœnæ & ſcenæ attulit. *Vid. Fig. IV.*

Fig. I. II. III. IV.

OBSERVATIO II.

D. CHRISTIANI MENTZELII,

De

Jaſpide antinephritico.

ALlatus eſt lapis quidam antinephriticus Electori p. m. Anno 1675 Hagæ Comit. à Viro nobili de Achtenhowen, (Legato olim confœderati Belgii ad Electorem noſtrum) cùm quereretur ibidem Elector de nephritico dolore. Aſſerebat præfatus Vir Electori, ſi lapidem illum nudo corpori alligatum geſtaret ſine interruptione per integrum annum, fore, ut Elector ab omni calculo & renum & veſicæ penitùs liberetur, quòd lapis iſte experientiâ crebrâ hunc effectum plurimis è familia præluſtri de Pau, ad quam lapis ſpectat, præſtiterit. Elector aliis remediis à nephritide curatus, noluit corpori ſuo lapidem admoveri, ſed cubiculario ſuo N. Senningio, Caſſellenſi, cuſtodiendum tradidit, eique libertatem dedit geſtandi lapidem, ſi vellet, corpore nudo experimenti causâ, quòd is quoque aliquoties nephritide vexaretur; cujus rei periculum quoque fecit laudatus cubicularius, ſingularis amicus meus, qui datis ad me literis ita ſcribit: Incepi lapidem alligare corpori meo nudo cùm diſcederemus Swinfurtô cum exercitu noſtro, ubi duriter nephritide laborabam; ſed cùm poſtea per Magdeburgum iremus in Marchiam Brandenburgicam, ubi nobis cum hoſte circa Fehrbellinium erat confligendum, religabam lapidem à corpore, eumque in ciſta Electorali cuſtoditum repoſui, metuens ne expeditione iſta bellica periret. Poſtea verò cùm re feliciter actâ eſſemus cum exercitu Swerinii in Megalopoli, lapidem nutu Sereniſſimi denuò corpori adaptavi, eumque geſtavi continuò ſine intermiſſione per quinque anni quadrantes & benè me habui. Modus autem geſtandi lapidem hic erat. Curabam mihi confici ligamentum ex ſerico paullò

latum

latum & craſſum, iis ſimile, quibus pallia corpori circa collum nexu firmamus (germ. Mantelliezen) cum ſuo annexo globulo. Illud longitudine ſuâ corporis mei craſſitiem æquabat: huic alligatus erat lapis iſte, ſuô quoque per foramen ligamine parvô conſtans, ut ille per ligamentum corporis hinc indè, qua parte corporis placeret, moveri poſſet. Sic geſtavi lapidem circa regionem renum in dorſo per præſcriptum tempus. Inter geſtandum toto tempore perſenſi, cum maxima voluptate, refrigerationem dorſi & renum. Poſthæc affectus calculi renum ſenſim apud me decrevit, ſic ut per decennium nihil notabilius ſenſerim; per octo verò proximè præterlapſos annos nephritis penitùs me deſeruit, pro quo DEO laus ſit! Hæc cubicularius ille. Cæterùm lapis ille Jaſpis erat communis, maculis viridibus fuſis intermixtis ſanguineis infectus, qualiter Jaſpis apparere ſolet & diſtingui à lapide Nephritico vulgò ſic dicto, qui cum craſſus eſt, viriditatem fuſcam quoque exhibet, ſed absque maculis eſt & transparens; Jaſpis autem maculis ſuis penitus obfuſcatus & opacus non diaphanus eſt. Quid autem de appenſis & eorum efficacia ſit ſtatuendum, cuilibet integrum & liberum relinquitur. Ego lapidibus ejusmodi multam refrigerandi vim ineſſe arbitror, quâ calorem p. n. renum tanquam præcipuum agens coagulandi tartarum vel calculoſam materiam in renibus, retundere & ſic cauſam nephritidis continuò abarcere valent.

Fig. V.

OBSERVATIO III.
Dn. GEORGII EBERHARDI RUMPHII,
De
Ceraunia Metallica.

DE Ceraunia metallica res obſcurior & intricatior eſt, cui & ipſe fidem adhibere diu nolui, donec multis & exploratis teſtibus convictus, paulatim manus dedi,

metallum aliquod in nube fulminea poſſe generari. Illis notum eſſe poteſt, qui experientiam & probatos autores callent. Hìc in India ejusmodi incredibilia ab incolis oſtenduntur. Habent Balienſes in ſua Inſula rotam ſolidam ex ære cum ſuo modiolo, quam ajunt eſſe rotam de curru Lunæ magnâ tempeſtate delapſam in illum locum, ubi adhuc cuſtoditur. Inſula Serou 60 milliaribus hinc verſus Euronotſum diſtans & è ſolô ferè monte conſtans, qui ante hos duos menſes valido terræ motu & igne ſubterraneo, cum tota ferè Inſula disruptus eſt. In illius montis vertice ante 50 annos ingens & monſtroſum vas æreum ſtetit, ambiguam habens figuram inter tympanum, dolium & ahenum, ab incolis Tifa gontor, hoc eſt, tympanum tonitus, appellatum, quod unanimi voce incolæ narrant, patrûm ſuorum tempore ingente tempeſtate & tonitru illuc projectum eſſe, poſtea Ternatani Prætores magnâ vi vas illud fregerunt & plurimum æris abſtulerunt. Præfectus tamen quidam Batavus teſtatus eſt, ſe reliquias ejus vidiſſe, & ex iis conjeciſſe, tam vaſtum illud vas fuiſſe, ut ab hominibus in aſperum & præcipitem illum locum portatum fuiſſe, incredibile ſit. De forma cerauniæ transmiſſæ difficilior eſt quæſtio, habet illa figuram inſtrumenti operâ humanâ confecti, venas in lateribus eminentes & ordinatas, cavum capulum, cui manubrium ligneum indi poteſt, & ita ad aliquod opus, ſive ruſticum, ſive bellicum hominibus ſervire potuit: at hujus rei cauſam exactam reddere, meum ingenium non ſufficere fateor. Noti ſunt absque dubio Ceraunei lapides, qui ſemper habent figuram alicujus inſtrumenti fabrilis, quo cæditur aut cuditur, puta ſecuris, mallei, cunei, mucronis ſagittalis &c. & multi reperiuntur, qui habent formam in medio. Quis effingit omnes iſtas figuras? niſi Archæus ſive ſpiritus fulmineus, qui in igne fulmineo materiam ſive lapideam, ſive metallicam per vapores è terra in nubes evehit, fundit, cudit, & pro ſuo lubitu in figuram Martiali ingenio competentem efformat. Sed quia nova Philoſo-

loſophia iſtas formas ſpecificas & Archæos exſibilat, videat, quomodo per fortuitum concurſum ſuarum minimarum particularum cauſam manifeſtiorem nobis dare poſſit. Quid miramur naturam in nube fulminea maſſam aliquam efformare ad ſimilitudinem inſtrumenti cædentis & terientis, cùm idem per ludum faciat in Achate & aliis gemmis, in quibus ſupellectilem & imagines noſtras domeſticas ſæpè videmus depictas, idque eadem figura in diverſis locis & temporibus, quod ſanè refellit dogma de particularum concurſu, & materiæ fortuitu fluxu. Ea autem natura, quæ in Achate potis eſt; quid mirum, ſi è maſſa fulminea inſtrumentum aliquod ſculpere aut fabricare poteſt? Fateor, ſunt multi, qui negant lapides Cerauneos in nubibus ipſis generari, ſed potiùs in terra, ubi fulmen decidit, igne fulminea, ut volunt, repentè arenulas liquante, ut lapis inde fiat: Inter quos videtur eſſe Georgius Agricola, l. 5. de ortu ſubterraneo, ubi ſalsè ridet credulitatem Avicennæ, quòd ſcripſerit in Perſia, decidere, cùm coruſcat, corpora ærea, ſimilia ſagittis hamatis, quæ in fornacibus non liqueſcunt &c. Ego potiùs miror incredulitatem, & pertinacem negationem Agricolæ, ſolertiſſimi cæteroquin naturæ ſcrutatoris, qui paullò ante in citato libro ipſe teſtatur, ſe terras & ejusmodi res cœlo delapſas vidiſſe. Modus, quem ille oſtendit, quo talia corpora in aëra evehuntur, particularis eſt, competens procellæ & turbini, imò rectè dixiſſet, ſi Syphonem appellaſſet, Meteoron nautis inviſum & navium velis ſatis periculoſum, quale Imperator Carol. V. in excidio ſceleratæ urbis Algairæ expertus eſt, (Belgæ vocant Een Hooſs.) Nihil autem commune habet modus is cum rebus illis, quæ cum fulmine decidunt. Quomodo enim opinio iſta de procellis locum habebit in alia ſpatula ærea parva & foramine pertuſa, quam fulmen impegit in ſummum faſtigium Palmæ Indicæ, quam vulgò Calappam ſive coccíferam vocamus, & apud me ſervo? aut quis turbo impegit alium lapidem Ceraunium obſcurè viridem & cœlo fabrili

ſimi-

ſimilem, quam ſimiliter mecum ſerro, quamque Europæus quidam Civis, Vir honeſtæ famæ & fidei, ſuis extrahi vidit oculis ex imô caudice vaſtæ arboris (metroſideros ſive lignum ferreum dictæ) quam fulmen à ſummo usque ad imum valido ictu diſciderat, quem lapidem priùs à Regulo iſtius loci poſt multas preces impetratum porrò mihi donavit. Abſcindatur, quæſo, de transmiſſæ Ceraunæ capulo fruſtulum, & in igne vel arte chemica examinetur, & absque dubio diſcrimen invenietur inter æs vulgare & fulmineum, ſicut ego feci cum tali Ceraunia metallica, quam inter reliquas exoticas res ad Sereniſs. Magnum Ducem Hetruriæ, Coſmum IV. Anno 1682 transmiſi. Habemus his in locis Ceraunios lapides, qui in una parte lapis, in altera æs vel ferrum ſunt: habemus æs & aurum tam impurum, ut vix fundi poſſint, niſi admixtione veri metalli, unde incolæ annulos faciunt, ſecundum eorum fidem iis fortunatos, qui bella gerunt, quod & de omnibus Cerauniis credunt: addunt, aliquid de Ceraunia ſive lapidea ſive metallica inter glandes plumbeas mixtum facere illas omnia arma perforare, nempe quia fulmini nihil reſiſtit.


[*Ex literis ad D. Mentzelium miſſis in Amboina 1687. d. 15. Auguſt. St. nov. datis.*]

Confer Decur. II. Ann. IV. Obſerv. CX. pag. 212.

OBSERVATIO IV.
Dn. GEORGII EBERHARDI RUMPHII,
De
Nautilo veliſicante & remigante.

Porrò quod Populares veſtri credere nolunt, Nautilum & velificare & remigare, ſuſpicionem mihi movet, illos ſenſum meum non benè percepiſſe, haud quaquam enim ſcripſi, Carinam illam, Nautili domum, ita vacuam

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY



Nautilus cum suo pisce, prout in mari velificat et remigat.

Fig. 6.
ad pag. 9.

Annus VII.

cuam, ſicuti transmiſſa eſt, velificare aut remigare, ſed piſcem, qui illam Carinam incolit, & Polypi ſpecies eſt. Ut rem clariùs percipiant, per filium meum curavi ad vivum depingi Nautili carinam cum ſuo piſce, ſicuti jacens in illa conſpicitur, poſterioribus pedibus, qui circa extrema latiores ſunt & ſcalmum remi referunt. lit. A notatis & circa puppim extenſis remigans. Lit. B ſunt anteriores pedes in vertice, quos erectos tenet. Lit. C eſt prora, quam cavam ſui parte vento exponit, dum velificat. Si adhuc & mihi & omnibus antiquis ſcriptoribus credere nolunt, veniant huc, & luſtrent æquor Ambonicum, res enim notior eſt, quàm ut multis argumentis confirmetur.

[*Ex literis ad D. Mentzelium Ambonæ 1687. $\frac{5}{15}$ Aug. datis.*]

Fig. VI.

OBSERVATIO V.

D. JOH. CHRISTIANI MACKII.

Salivatio diuturna cum metu Gangrænæ.

E Lectoralium Venatorum & Ordine & Dignitate haut poſtremus, Coætaneus & Amicus meus ſingularis, Vir Annorum 54. Conſtitutionis calidæ & ſiccæ, circa finem Octobris Anni proximè præterlapſi, Agnatos ſuos viſitans cum Cœlo rationem Diætæ in quintam usque ſeptimanam certè mutavit, ſi non invertit inque recurſu ab Aëris tempeſtate ſatis graviter affectus, quartô poſt reditum die, quem lætus in poſt-Nuptiis vicini traduxerat, levem Raucedinem cum Deſtillationibus ad fauces ſentit, quas ſequenti manè excepit largior Lymphæ ſubacidæ affluxus, qui quavis ferè Oris per frigidam eluitione ita crevit, ut metuens ſuffocationem Chirurgi noſtri opem implorare cogeretur, qui ipſe Gargariſmis & Decocti per Siphonem injectionibus crebrio-

ribus Ipſi auxiliatrices ſuas & ita felices admovit, ut tertiò die cum humorum profluvio Cura in totum ceſſaret. Verùm per noctem, quæ poſt ſex inſomnes prima erat quieta, recrudeſcit malum & de novo proruere incipit ſerum idque copioſius, quàm vel ab Euphorbii vel ab illius Bombomachidis Pulvere, cujus B. noſter ArgoNauta, Obſ. 34. Ann. I. meminit exſpectari unquam potuiſſet, ut quò ſe verteret Patiens non invenerit. Hæc dum ad me ſcribi curat, ſuperaddit; In Digitis ſuis ad omnium ferè Unguium radices conſpici Puſtulas Variolarum minorum inſtar albas, ſed intenſiſſimi doloris, quas ipſas adveniens ego meis quidem vidi, ſed jam conſidentes. Econtra verò Manus, usque ad Os cubiti, turgentes, rubentes & ardentibus veſiculis ad avellanæ magnitudinem hinc inde ornatas; Huic ſuperaccedebat, quod dextri Pollicis Caro, quantum Ungue tegitur, livida ſenſuque privata, ut Pollicem mortuum Patiens ſæpe exclamaret. Interim Chirurgus revocatus quas ego præſcripſeram Species & Medicamenta alia ſecum adferebat, illas ſuperinfusô Vinô coquebat & Colaturæ calidæ Patientis manus imponebat. Erant autem Herb. Scord. Betonic. Salv. Rut. Roriſmar. & Lauri folia. Fl. roſ. r. Rad. Scorzon. Lign. Sanct. Myrrh. r. Terr. ſigill. Manus poſt unam vel alteram mundationem magis extolli & intumeſcere, veſiculæ autem & ardor evaneſcere incipiebant, ubi inſimul Toti per Bezoardica mixta cum Elix. AntiPeſt. Cr. CC. Spir. & Sale volat. Spir. n. Tartar. antiſcorb. Cochlear. pulveriſat. & aliis, ut & alterandô confortantia crebriùs exhibita proſpiciebatur, fauces interim Gargariſmis & Infuſionibus decenter tractandô, quæ ſingulis horis ab Adſtantibus anxiè petebat. Præter hancce Salivationem Patiens ſomniculoſus ſolùm de ſomno ſibi vel planè non, vel vix ad horulam, conceſſo, & quod tantùm liquida deglutire poſſet, conquerebatur; Febris nulla aderat, nulla Cephalalgia, nulla Veſicæ aut Alvi ſegnities, Pulſus quoque non mutatus, niſi ſenſim debilior, metus contra indies major factus, ne Ipſe conſumeretur

Tabe,

Tabe, cujus oſſibus vix cutis hæreret. Salivatio hæc integras quinque ſeptimanas, quotquot etiam Medicamenta oppoſita, duravit & Pituitâ lentâ ac viſcidâ ſingulis diebus aliquot vaſcula adimpleta, quam incredibilem copiam in tàm exſucco & gracili corpore non ſatis mirari, nedum unde venerit, rimari poſſum. Manibus ambabus quæ imminebat Gangræna per ſæpius renovata & continuata epithemata calida, quibus etiam Lap. medicamentoſum adjecimus, diſcutiebatur &, durante interim ſalivatione, ſenſim detumeſcere ipſæ videbantur, usque dum decimô quartô die tota Cuticula detracta ipſæque tenellulæ & rubicundæ, ad inſtar Cancri decruſtati, apparerent, quas Linimentis & Chirothecis contra Aêris tactusque injurias, quas ne leviſſimas quidem ferre valebant, muniebamus. Pollicis articulus emplaſtro & epithemate ſeorſim tractatus livorem cum Cute ſtatim deponebat ſenſusque redibat; Sic per OmniPotentis DEI gratiam Patiens

Hic pænè exanimis comploratusq; reſurgit,
quemq; neges unquam vivere poſſe, valet.

[*Sneebergâ Vratislaviam ad Dn. D. Burgium An. 1688. d. 2. Mart. miſſa.*]

OBSERVATIO VI.
D. SALOMONIS REISELII
Hepatocele.

PUerulus Sartoris Stutgardienſis ex utero in umbilico tumorem rotundum pomi magnitudine, lividum, duriusculum & diſtentum tulit, Martio 1686. cui vaſa umbilicalia in vertice adhuc adhærebant; quibus dein areſcentibus reliqua membrana tegens tumorem incepit putrilaginem aſſumere. Intra paucos dies puer abſtinens à lacte & cibo totus marcidus obiit. Poſt mortem detractâ membranâ (quod viventi nemo eſt auſus facere, utut parentibus volenti-

bus) quæ umbilicus fuit extenſus, tumor apparuit puniceus, qui poſtquam à cute & muſculis ſeparatus atque cultro diviſus fuiſſet, ipſum hepar eſſe ex parenchymatis colore & textura, eò vi aliqua detruſum aut delapſum concludebatur, quemque Hepatis herniam ſeu Hepatocelen dicere poſſumus, & ut rarum quoddam hîc appoſuimus. Conjectura fuit matrem à marito inter rixas fuiſſe contuſam, quod quidem negavit, lapſum verò conceſſit.

OBSERVATIO VII.
D. SALOMONIS REISELII,
Cardialgia Periodica Vernalis.

Hanß Schneiders ſtabularii ſervi uxor triginta annorum, trium liberorum mater ab annis decem ſingulo Vere & non alio tempore, non jejuna ſed poſt cibum cardialgiam præter uterinos, ut putabat, dolores ingentem paſſa eſt. Petiit 8. Febr. 1687 conſilium: cui dum eſſet menſtruata, Eſſent. Cort. Aurant. cum Aq. ſtomachica dedi, poſt menſes verò emeticum ſimul & diagrydiatum ſumendum præſcripſi. Sed 12. menſis hujus veſperi & per noctem incipit dolere in ventre & maximè circa veſicam, ne guttâ quidem urinæ emiſsâ. Unde 13. Syrupum Altheæ cum Aq. Chamæmeli & Cochlearum cum Aceto ad dulcedinem deſtillatæ dedi, applicatis etiam ad pubem cataplaſmatibus ex parietaria & aliis anodynis. Verùm ob intolerabiles dolores, ſitim inexhauſtam, ob quam multas menſuras aquæ vino miſtas ebibit, pulſu circa meridiem planè debili, moritur improvisò, uti quidem ominabatur ipſa, poſt ſecundam pomeridianam. 14. Cadaver aperitur ad inquirendam mortis tam ſubitæ cauſam. Ubi omentum ſemiputre, in abdomine multum ſeri impuri acidum olentis inventum, ſimul & in thorace parum. Jecur pallidum exteriùs maximè, interiùs etiam, veſica urinaria vacua.

cua. Supra pylorum verò foraminulum piſi magnitudine cum labiis ſeu circulo nigro atque cute denſa proxima circumdatum, quæ cauſa fuit non tantùm doloris iſtius ultimi acerrimi circa cardiam, & quidem poſt paſtum, ſed & in ventre & ſupra pubem à chylo & potu extra ventriculum elapſo fœtido & poſt ſtagnationem putrefacto. Reliqua quoque viſcera ut renes, molles planè, nec pulmones bene colorati. Uterus parvus & ovula exeſa à ſaburra iſta putri.

Unde hæc eroſio venerit, an ab erodente aliquo medicamento aut victu, non recordantur ſuperſtites. An à bilis vel humoris corrupti acredine quadam, incertum. An diu iſta eroſio duraverit, ignotum. Cur Vere ſaltem, non alio tempore infeſtarit dolor, latet.

OBSERVATIO VIII.

D. SALOMONIS REISELII.

Anus occluſa, & glans imperforata.

D. 28. Febr. 1687. viſitavi cum Dn. D. Gmelino Collega & Dn. D. Ottone Phyſico & ordinario Medico atque Chirurgo Dn. Becker infantem Monetarii pridie natum, neque mingentem, neque dejicientem ſed revomentem butyrum cum ſaccharo, quo tenellus ſatiabatur. In virga, cujus præputium erat retractum, orificium clauſum fuit, ideoque cultello apertum, ſed fiſtulam non admiſit. Subtus autem frenum foraminulum eſt, per quod catheter aut fiſtula ſyringæ poteſt usque in veſicam trudi, perque eum guttulæ aliquot liquoris nigriusculi extrahi. Anus quidem aperta eſt, ſed fiſtula aut digitus vix duos transverſos digitos intrans invenit intus aliquod impedimentum, à quo fiſtula parumper cruenta exiit. Dum itaque occultum manet, quale ſit illud, clyſteribus ex lacte & oleo lini ſæpe lavanda & emollienda alvus, in veſicam verò Oleum Amygdal.

 dulc.

dulc. eſt injiciendum. Unguentum externè emolliens applicandum. Oleum Amygd. d. cum Syr. Altheæ, Saccharo penidio atque Pulv. Marchionis ſæpe dandum, donec vel Natura viam inveniat, vel mors prodat quid intus lateat. Tertio nativitatis die urina per inferius foraminulum virgæ exiit, & per os mucus aliquis rejectus eſt odore olei lini, quod per clyſterem cum lacte injectum fuit. Quarto die moritur lentè ſine ullo ſymptomate circa meridiem, quo tempore natus fuit: credunt enim natalem horam eſſe plerumque mortualem. In fronte ſutura à fonticulo usque deſcendens latè diſtare obſervabatur ante mortem. An hoc mortis omen fuerit, in aliis poſſet notari.

Poſt mortem totum corpus lividum fuit. In pene orificium ſtilum adhuc, veluti in vivo parumper, foraminulum verò ſub freno usque in veſicam admiſit, anus quoque ſtilum unciâ longum. Aperto dein ventre veſica planè vacua inventa, inteſtinum colon valde inflatum & repletum fæcibus multis coloris quaſi mellei, arctiſſimè coarctatum fuit, velut farcimen quoddam vinculo ligatum, ut quæri debeat, an mater in mactatione ſuis ſumſerit aliquam imaginationem, cujus tamen nulla fuit obſervatio aut memoria.

Simile ferè exemplum obvenit nobis Februario 1686. dum puerulus agricolæ menſium undecim oſtenderetur, ut conſilium quæreretur. In hoc glans denudata, retracto præputio largiori quàm ſolet naturaliter eſſe, & criſpata, imperforata, & virga per frenum ſcroto arctiùs alligata, quæ erigi tamen adhuc in ſuperiora potuit, & tum pendens, iſtâ



figurâ apparuit. Ubi loco foraminis glans foveolam habebat, foramen verò ipſum ſeu orificium urethræ perviæ, quia per hoc mingebat parvulus, à natura aberrante in ſcroto poſitum erat, quod à terrore pueruli alterius, qui aliquid præternaturale circa genitalia habuerit, eveniſſe mater credebat. Scru-

Scrutinium ulterius ſimul & curam in tenero puello diſtulimus ad adultiorem ætatem & vires robuſtiores.

OBSERVATIO IX.
D. SALOMONIS REISELII.
Uteri Tumor glanduloſus adnatus externus.

Mulier à multo tempore tumorem ſupra pubem ſenſit dolentem, durum & inſtar vivi alicujus usque ad cardiam aſcendentis inſecti ſeſe moventem, qui externè quoque tactu ſentiri potuit, & à cibo, dum adhuc cælebs eſſet, quietus fuit. Menſes inordinatos & ſæpe obſtructos virgo habuit, vidit tamen trimeſtri ante conjugium. Nupta ante menſes octo cibos non bene tulit, ſed doluit & revomuit. Calorem hecticum & ardentem habuit: urinâ plerumque craſſa in conjugio, alvo ſemper dura & usque ad octo dies aliquando ſuppreſsâ, paucis tamen medicamentis ſeſe ſolans, quamvis in Pharmacopœi Aulici familiâ diu vixiſſet, obiit tota emaciata, annorum quadraginta quinque 2. Februarii A. 1686. Diſſecto abdomine ad perſcrutandam mortis cauſam, omentum putridum diſparuit: ſtatim apparuit tumor triplex, quorum ſuperior maximus glandulis inæqualis, reliqui minores læviores quidem ſed toti è glandulis conglomeratis concreti, multis reſperſi venis conſpiciebantur.

Tumor ipſe capitis humani magnitudine ſuper uteri fundum adnatus ligamento lato, cæterùm ubique liber in ſupina ſeu adverſa parte multis globis majoribus & minoribus, atque veſiculis conſtans vel ſerum, vel pus vel glandulas duras vel emollitas ſordidasque oſtendit, utero ipſo ſano & ut in virginibus atque partum non expertis ſano: cujus teſticulus dexter marcidus ſine veſiculis tumentibus, ſiniſter vix apparuit.

Intē-

Inteſtina utrinque plus ſolitò affixa, & hinc inde parum ſphacelata fuêre, ut & abdominis muſculi interni. Quibus ad ſuperiora reclinatis glandulæ magnæ ad ſpinam dorſi veniebant in conſpectum.

Jecur in gibba parte paucis, in ſima plurimis magnis & duris conglomeratis glandulis refertum. Ventriculus, in quo puls cinerea & ſubnigra, verſus epar totus ejusmodi glandulis obſeſſus ſupra & infra velut in Daunero noſtro Ephem. harum Ann. 14. Obſ. 86. fuit, pylorus verò extra valde durus, diſſectus digito craſſum habuit glanduloſum & quaſi cartilagineum ambitum longum, per quem valde conſtrictus fuit.

Hinc firmiſſimè adhæſit pancreas quoque durum & ſcirrhoſum.

Pulmones ubique affixi, maculis nigris luridi, glanduloſi, & putredini proximi.

OBSERVATIO X.
D. SALOMONIS REISELII.
Rupto utero fœtus intra abdomen excluſus.

ANna Catharina, Chriſtophori Steigers, civis Stutgardiani uxor annorum quadraginta octo liberos peperit difficulter quidem, quùm & primo partu læſam ſe retulit: nonum gerens fœtum divinavit ſe morituram, ut mater quoque nono fœtu mortua. Cum tempus geſtationis usque ad tres ſeptimanas completum fuiſſet 7. Januarii 1684. ſerum (quod ante quatuordecim dies etiam fluxit) cum ſanguine copioſiſſimo effuſum, qui nec aliis mediis, nec vena ſecta ſtetit. Hinc dolores & conatus parturiendi multi ſed inutiles ſecuti: à quo die fœtus moveri non ſentiebatur. Fluente interea ſemper ſanguine neque apparente ſpe fœtus prodituri, atque doloribus ceſſantibus 10 Januarii mane ob-

ne obiit præcedente ſæpius vomitu, & remanente fœtu. Poſt mortem etiam cibus effuſus, & unà vermis longus ex naribus erupit, cujus ſigna fuerant nauſea ſæpe recurrens & quaſi aſcenſus quidam ex ventriculo.

Apertis abdominis muſculis illicò apparuit caput piloſum quod terribile & inuſitatum fuit aſpici. Inquirentibus ulteriùs brachium dextrum obvenit cum parte dorſi. Diſſecto utero à ſuperiori parte, pedes verſus fundum erecti, nates ad orificium converſæ; qui in ſuperioribus craſſus & naturalis, cui dextrorſum ſecundina adhuc adhærebat; in inferioribus verſus pubem tenuis, disruptus & gangrænoſus erat, (ut & nates lividæ,) ut per rupturam ejus embryo extra uterum & intra abdomen egreſſus fuerit medio corpore.

Unde hæc ruptura venerit, non licuit invenire, quia nec maritus ſcivit vel ſcire voluit de lapſu aliquo, contuſione, aliaque violentia, quamvis ipſe ſatis rudis fuerit & mulieri tremendus, nec obſtetrix nec vicinæ quicquam querentem illam audiverint. Doluit tamen valde ante partum, & ſudavit ferè ſingulo mane per quatuor menſes, referente marito.

Cui caſui meritò adjungo Obſervationem, quam Excell. Dn. D. Joh. Ludovicus Witzel, Phyſicus Francofurtenſium, præclariſſimus, Anno 1669 communicavit, cum ei eventum Cæſarei partus Hanoviæ à me adminiſtrati perſcriberem quam operationem non adeò periculoſam judicat, niſi nimis tardè fiat, priusquam per diuturnos conatus parturientis vires perditæ fuerint, cùm Medicus re ferè deſperatâ à mulierculis demum requiratur.

Raram feci, inquit, apertionem in uxore lanionis, quæ in ſeipſa peperit diſrupto utero & mox cum maxima hæmorrhagia ſpiritum emiſit. Cauſa fuit, quod medietas uteri in latere dextro ſcirrhoſa, reliqua fœtui locum concedens nimis attenuata laboribus partûs rupta fuerit, unde embryo egreſſus ſupra inteſtina ſeſe collocavit.

Quid de fœtu Muſſipontano extra uterum in abdomine detento; tandem lapideſcente, factum ſit, publici juris factum eſt diu, & litigatum eſt anxiè.

OBSERVATIO XI.
D. SALOMONIS REISELII.
Conjecturæ & notamina circa hernias.

VInitor trigeſimo proximus anno ante annos quindecim aquosâ laborans, ut patiens putavit, 24 Maji 1686 â litigantibus ipſe arbiter humi proſtratus & ſuccumbens, nihil tamen domi accuſavit aut doluit, niſi usque ad 29 menſis hujus diem, ubi propter dolorem herniæ ſiniſtræ auctæ lithotomus vocatus fuit, quam, ut & alius Chirurgus fruſtra reponere tentavit. 2. Junii mortuus; quinto apertum cadaver: tùm hernia digitum longa ſcroto toto livido & abdomine quoque liveſcente apparuit, reprimi impoſſibilis. Separato poſt inciſionem proceſſu valde craſſo & glandulis tumeſcente, vaſisque ſpermaticis, inteſtinum dimidio digito longum nigrum & gangrænoſum (reliquis quoque inteſtinis proximis pariter accenſis) non erat contortum, quæ aliàs cauſæ difficillimæ vel impoſſibilis repoſitionis eſſe creditur, ſed facile potuit reponi: Quod mihi ſpem faciebat, poſſe quoq; in ejusmodi prolapſibus novis majoribus reponi inteſtina, ſi vulnus fiat magnum maturè in proceſſu aperto, ut in ſectionibus herniarum fieri aſſolet. Occurrunt enim ſæpius prolapſus ejusmodi in frigido præſertim aëre aut motibus inconſuetis & nimiis, qui reponi nulla arte poſſunt, & mortem cum gangræna ſecum trahunt, quorum exempla plurima occurrunt paſſim. Hinc mens fuit unà cum lithotomo proponere & facere ſectionem ejusmodi, ſi data fuerit occaſio, & quidem, uti ſperabamus, in ſequenti caſu.

Faber ferrarius, civis Stutgardianus, quinquagenario major à viginti ferè annis herniam portavit ſatis magnam, quæ ſæpe fotu repoſita fuit. Sed 21. Januarii 1687 prolapſum majorem paſſus eſt, quò, cùm ut antea ab uxore non potuerit reprimi, vocatus fuit Lithotomus Adolphus Schwegerlin, qui balneum ſuaſit ad humectanda & excalefacienda inteſtina, à quo verò major moles elapſa fuiſſe credebatur cum ingenti dolore. Tertio die acceſſi unà cum Dn. D. Joh. Sebaſtiano Schickardo Phyſico hujus loci, ubi ſuaſimus fotus tepidos ſæpiſſime repetendos & clyſteres. Quarto Decoctum Sem. 4. calidorum ex vino & aqua (quod conſilium Practici cujusdam noſtratis feliciſſimi quondam juviſſe in ſummo periculo, relatum fuit) propoſuimus. Quod tamen, ut nec priori die Oleum Amygd. dulcium, non ſumſit ex metu vomitus, quia eo die SS. Cœnam aſſumſit. Quinto Empl. magneticum lumbis applicatum, quod D. Michael tantopere laudat, ſed fruſtra. Eodem acceſſit vomitus fœcum fœtidus, qui ſexto continuavit, ſed non tam fæculentus nec tam fœtidus: nihil verò accepit vel ciborum vel medicamentorum cordialium, quod non revomuerit. Applicatum itaque ad præſervandam gangrænam & inteſtina reſtringenda Decoctum nigrum. Et quia dolor præſertim circa ſuperiora ceſſavit, proceſſum ita ampliatum fuiſſe ſperabamus, ut etſi inteſtina non reponerentur, poſſe tamen prolapſa ſine vitæ periculo ita detineri. Septimo Symptomata eadem, cum & Vinum Cydonites fruſtrà biberet tam ad ſitim leniendam quàm roborandum ſtomachum. Sed pulſu jam & viribus deficientibus ſequenti nocte defecit. Itaque in cadavere tentare volebamus, an repoſitio inteſtinorum poſſet fieri facto ampliſſimo vulnere, ut in herniotomia oportet fieri, & quod præmeditati fueramus in vivo. Sed vidua negavit hoc experimentum in ſuo marito fieri, vel magno dato præmio.

Hæc cum præſenti Clariſſimo Dn. D. Joh. Jacobo Wepfero retuliſſem, adſenſum dedit, affirmavitque jam in Galliis ex-

empla aliquot feliciter ceſſiſſe talis ſectionis, quæ proximè mittenda promiſit & ad Ephemerides communicanda. Cæterum dabo hic etiam, quæ notavi, quomodo in dignoſcendis herniarum ſpeciebus facilè fallamur.

Puer diſpnœicus, gibboſus, tuſſiens, rachitide laborans, menſium 12 moritur 30 Martii 1682. qui ſimul tumorem in inguine dextro habebat, quam pro hernia Artifex judicavit. Eam verò cum quærerem, aperto corpore ad preces parentum, qui cauſam morbi & mortis, quam in alio infante experti ſunt, cognoſcendam, Gelatina ſolùm ſupra proceſſum peritonæi inventa fuit, loco vel omenti vel inteſtini delapſi, & hîc quoque glandula major ad latus nervi Iliaci, ut in latere ſiniſtro ſed minor.

1. Febr. 1684. Lithotomus Adolphus Schwegerlin ſecabat duos hernioſos, Nobilem alterum 24 annorum, quem Sarcocele putabat laborare, quæ ab annó usque inter equitandum initia capiens excrevit in magnitudinem ovi anſerini: alterum vinitorem viginti ferè annorum, Enterocele dextra tumentem. Reſectus Nobilis tumor oſtendit externè durum vas veluti nervum pennæ minoris anſerinæ magnitudine, qui apertus emiſit multum veluti lactis ſeu chyli ſeu puris non tamen fœtidi, hærentibus intus fibris oblongis, criſpis & transverſis. Cultro penetrante ulteriùs teſticulus apparuit integer: ſub teſticulo verò ſacculus ſatis craſſus ſero limpido impletus. Inteſtinis in ventre retruſis apparuit tamen proximè ad abdomen aliquid duri: quo reſecto viſus eſt canalis unciam longus, accreſcens, veluti cæci inteſtini finis, in quo arenuloſum quid hæſit, multumque pinguedinis circa craſſum peritonæi proceſſum adfuit. Uterq; verò reſtitutus eſt feliciter.

Mulier ferè quadragenaria, mater liberorum plurium, Typographi Stutgardienſis tertii mariti uxor, ante tres annos in ultimo partu ſenſit tuberculum in dextro inguine obortum, quod crevit ad magnitudinem ovi gallinacei parvi. Fine Decembris 1687 colicos paſſa eſt & circa tumorem dolo-

res,

res, quorum gratia & interna & externa antiſpaſmodica ſunt applicata remedia à Dnn. D. D. Gmelin & Schickardo. Vomuit dein fæces & clyſterem aliquando. Ceſſavit verò vomitus, & fæces à clyſtere ſollicitante dejectæ ſunt iterum: obiit debilitata tamen valde 14 Januar. 1688. Poſt meridiem quæſita eſt vera cauſa in cadavere, dum vivente illa dubitaretur, an tumor ille ſit bubo, an hernia vera. Detecta ergo cute & pinguedine apparuit tumor glanduloſus, facilè ſeparabilis, ſed ab omento dependens, quod ipſum tegebat & conſtituebat glandulis ſcilicet auctis & vaſis valde tumefactis, quæ nutrimentum afferebant. Dum profundiùs inquireremus, Ego cum reliquis dictis modò Medicis & inſuper D.D. Oſwaldo Schwan, vidimus omentum quoque inteſtino ileo parumper eſſe adnatum & aliquo modo nigrum ſeu Sphacelo proximum, unde non ſolum tenſivi dolores, qui in præcordiis ſentiebantur, ob detractum omenti pondus, ſed & obſtructio fæcum inibi facta fuiſſe credebatur tanta quidem, ut per ſuperiora effunderentur, quia à motu periſtaltico impedito non facile poterant deorſum vergere. Non tamen planè fuit concluſum inteſtinum, quia in loco anguſto ſaltim impeditus fuit motus: unde adhuc potuerunt fæces deturbari, quamvis difficiliùs, quod & factum eſt aliquoties ante vitæ finem, faciliùs futurum, ſi oleoſis multis eſſent lenitæ & juvatæ fæces.

In uxore aurigæ aulici, quæ poſt graviſſimos dolores colicos obiit, & aperta fuit, quòd credebatur à veneno quodam dato læſa, ſimilem pinguedinem in inguinis tumore diuturno, qui hernia putabatur, loco prolapſi vel omenti vel inteſtini cujusdam, me inveniſſe memini, nullis verò veneni ſignis repertis. In aſthmatico puerulo, de quo ſequenti Obſervatione, circa herniam, quæ in vivo ob tumorem inguinis conjiciebatur, dextram glandulæ multæ, & ſerum coagulatum, inventæ fuerunt; quæ an propter data & impoſita conſolidantia & adſtringentia illic concreverint, liceat ſuſpicari. Quæ ob-

ſervata notare, & ad meditationem accuratiorem communicare volui.

OBSERVATIO XII.

D. SALOMONIS REISELII.

Aſthmatici pueri Anatomia.

LAnionis Aulici Stutgardienſis filiolus aſthmate per tres annos, hinc aſcitide correptus ab utroque malo liberatus quidem, obiit tamen poſt aſthma rediens & aſcitidis initia, pedum puta tumorem & abdominis tenſionem, (cui urina valde craſſa & turbida fuit, extremò clarior ſed pauca;) 14 Martii 1683 ſex annorum. Cadaver apertum pulmones utrinque valde affixos oſtendit, quorum dexter purulenti aliquid circa ſuperiora habuit. Cor ingens polypum aluit, & externam pinguedinem quaſi granulatim per totum parenchyma diſperſam, qualis & pericardio quaſi carnoſo adhæſit, cui quoque cor ipſum accrevit. Mediaſtinum craſſum & cruentatum. Hepar externè quidem boni & rubicundi coloris, ſed preſſum digito foveam quandam relinquens pallidam ob parenchyma pallidum & flavum & bile repletum: cum in veſicula biliaria craſſa bilis quoque craſſa & denſa eſſet.

Cætera omnia ſana ſed prægrandia viſcera in habitu robuſto, quem à parentibus, matre inprimis contraxit cum facie roſea & eleganti. Pancreas etiam duriuſculum: omento integro adhuc, quod aliàs in aſciticis plerumque putreſcit, & ſolitò craſſiori; glandulæ in inteſtinis inſignes; ſerum ex abdomine effluxit craſſiuſculum, quod prunis impoſitum inſtar gelatinæ concrevit: quod in pectore ut & pericardio copioſum fuit, atra bile tinctum & ſordidum: pinguedo ferè nulla propter colliquationem ex calore multo, extenuatis hinc ſuperioribus corporis partibus. Sanguis venâ cavâ diſſecta, niger quidem, ſed fluidus & copioſiſſimus. Hic aſthma ſuum

à ſum-

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY




Fig. 8.
ad p. 53.
ad pag. 54.
Fig. 10.
B
A
D
C
E
F
Fig. 9.
ad pag. 53.
Fig. 11.
ad pag. 57.
Fig. 12.
ad pag. 58.
A
B
C

à ſumma anguſtia levari ſentiebat, quando ſtans caput & pectus inclinabat ſcamno, forte quod cor oppidò magnum ſterno incumbens meliùs quieverit, quam ſi ſupinos pulmones preſſerit.

Circa herniam, quam in dextro latere habuiſſe videbatur, glandulæ multæ & ſerum coagulatum, quale quoq; circa pancreas & meſenterium fuit, inventæ ſunt, nullis prolapsûs cujusdam veſtigiis apparentibus.

OBSERVATIO XIII.
D. SALOMONIS REISELII.
Sonitus in abdomine.

Vinitor cælebs 36 annorum, Andreas Stöcklin à ſex annis ſonitus inſtar viperæ clamoſos ſatis ſenſit. A cibo præſertim dulci exſuſcitatus eſt motus & ſonus quaſi ab inſecto vivo, ab amaris verò quievit tanquam fugatus, aliquando ad cardiam usque adſcendit, & ſemper doloroſus fuit usque ad mortem. Huic inſuper circa bubones ſiniſtros fiſtula fuit à ſex itidem annis, quæ initium ſumſit ut credebat, à pedum diſtractorum laxatione, quæ penetravit usque ad poſteriora, cum carnifex ab initio multa adhibuiſſet, ubi præterita æſtate aperto vulnere oſſicula plurima extracta ſunt. Mortui 12. Maji 1681. cadaver apertum eſt, cujus pes ſiniſter arefactus, claudus & abbreviatus è regione ſcilicet fiſtulæ fuit, dexter verò tumidus. Bubones ſiniſtri magnis glandulis ſcatebant, fiſtula intus gangrænoſa fœtida, particulæ multæ ab oſſe pubis facile decidentes totæ nigræ. Pulmonum dexter conſumtus & coſtis firmiſſimè per totum latus affixus. Inteſtina & ſtomachus flatibus plenus preſſione rugidum & ſonitum edens ut in vivo corpore, quem domeſtici credebant à vivo quodam inſecto proveniſſe. Gangræna ſine inflammatione vel incendio proximo ſerpente adſpiciebatur,

batur, ſed tota nigra erat caro & pinguedo & ipſa pubis oſſa, quod ſingulariter notandum. Vaſa omnia tam in epate quàm alibi vacua erant ſanguine.

OBSERVATIO XIV.
D. SALOMONIS REISELII.
Exſangue ferè corpus.


PRopter vacua à ſanguine vaſa, adduco Dnn. D. Joh. Schickardi & D. Joh. Sebaſtiani Ottonis Phyſicorum Stutgardianorum Obſervationem. 20. Octobr. 1684. Michaelis Aurigæ Hoſpitalarii cadaver apertum eſt, qui ante tres dies obiit ſumta prius purgante Jalapæ rad. à carnifice, in febre continua, ut conjicitur: quod quadraginta quinque granis datum eſt, robuſtis ſaltem usque ad triginta grana concedendum. In hoc corpore nec duæ parvæ ventoſæ ſanguinis, nec grumi alicubi inventi ſunt. Quomodo ſanguis, qui neque ante neque poſt mortem effluxit, perierit, difficile erit pronunciare.

OBSERVATIO XV.
D. SALOMONIS REISELII.
Fæces per umbilicum lethaliter exeuntes.

MOdò dictus Phyſicus Stutgardianus, Joh. Sebaſt. Otto, Ulmenſis, communicavit mihi iſtam Hiſtoriam his verbis. A. 1663. filiola ſex annorum Dn. Præceptoris Marquardi diu de tumore duro infra umbilicum in ſiniſtro latere à mala diæta antecedente quæſta, circa medium menſem Julii incidebat in dolorem impatibilem ventris. Impoſito emplaſtro emolliente anodyno erupit materia

NATURAL HISTORY.

Fig. 7.
ad pag. 52.



ria purulenta fœtida per umbilicum, nec non alimenta ſemicocta, interdum vermes ſeu lumbrici teretes ſucceſſivè numero quatuordecim, modò materia liquida in non parva quantitate, ſed alvus ſemper fuit libera; appetitus usque ad finem vitæ vigebat. In menſe Octobris ferè nulla excrementa amplius excernebat per alvum, corpore conſumto inſtar ſceleti ac viribus exhauſtis, die 17 Octobris lumine caſſa eſt.

Sequente die aperto abdomine deprehendimus inteſtina circa umbilicum multis in locis peritonæo ac muſculis abdominis arctiſſimè connexa, mediante membrana craſſa. Inteſtinum ileon quatuor in locis disruptum excrementa propè umbilicum emittens peculiari membrana, craſſa, carnoſa, ſaccum quaſi formante ibidem cingebatur, ita ut excrementa in cavitatem abdominis effundi haud potuerint, ſed maximam partem è foramine umbilici egredi coacta. Glandulæ meſenterii & inteſtinorum undiquaque quam maximè induratæ ac auctæ fuerunt. Circa inteſtini coli regionem glandula maxima dura, albicans, caſtaneæ magnitudinis reperta. Hepar æquô majus, lien debitæ magnitudinis. Pulmones naturales, lateri dextro affixi. Cor naturale. Corpus emaciatum.

Offero itaque hac vice non tam meas quàm aliorum Medicorum ſectiones in cadaveribus, ut appareat, quàm faciles ſint nunc Stutgardiani noſtri in inquirendis cauſis morborum incurabilium & incognitorum.

Porrò expectabimus ab Ampliſs. Dn. D. Joh. Jac. Wepfero Obſervationem rariſſimam fæcum per umbilicum aliquot annis egredientium, ſed poſt mortem demum Ægræ edendam: cum adhuc vivat illa nobiliſſima.

[Stutgardiâ d. 18. Maji 1688. Auguſt. Vindelicor. miſſa.]

OBSERVATIO XVI.

D. JOH. JACOBI WEPFERI.

Ventriculi tumor verminoſus cum folliculo.

CAnis venaticus, ſemimoloſſus, mordax, quo potiſſimùm ad Taxos capiendos utebantur, obeſus valde, propter apparentem ſuffuſionem in ſiniſtro oculo & glaucoma dextri oculi d.4.Maj.1688. ſtrangulatus fuit. Apud carnificem cum aliis canibus venationi inſervientibus diu enutritus & prope ſolis morticiniis victitans, abdomen valde diſtentum habuit: Aperto abdomine ſecundùm lineam albam, ſtatim intra peritonæum à cartilagine enſiformi ferè ad regionem umbilicalem copioſa pinguedo apparuit, nos omenti facie ludens: verùm decuſſatim integumentis abdominis diſciſſis omentum pinguiſſimum ſeorſim integrum detrahere valui vidique per epigaſtrium longè lateque pinguedinem copioſe peritonæo accreviſſe, ut & aperto pectore mediaſtino & pericardio foris. Ventriculus dilutè undique rubens, ampliſſimus erat, plenus aſſumptorum, occupans maximam partem abdominis, deſcendens ultra regionem umbilicalem vergensque ad partem dextram multum ultra lineam albam: nec ipſe nec inteſtina flatibus turgebant. Ventriculum circa ſtomachum & infra pylorum ligatum exemi & à contentis fœtidis aliisque ſordibus mundandum curavi atque inverſum aliquandiu frigidâ maceravi, unde multum contrahebatur, vixque quarta pars prioris amplitudinis remanebat: tota interna ſuperficies mirè anfractuoſa evaſit ac dilutè rubebat; Pylori verò antrum amplum, anfractibus deſtitutum, candidum erat: cum ventriculi interna ſuperficies, tum antrum multo muco oblitum fuit, eoque deterſo, protinus novus ſuccedebat ex internis tunicis, dum multifariam ipſum verſa-

verſabam: nam in pariete ſiniſtro, non procul à medio fundi, tumor nucis juglandis magnitudine, durus, mobilis & quaſi à non craſſo pediculo dependens occurrit: tumorem interne denudavi à tunica cruſtacea, unde tumor candidus evaſit & in medio oſculum rubellum ſeminis cannabis capax apparuit, ex quo, preſſo tumore, prodiit mucus atro rubeſcens: foris ſublata tunica fibroſa, manifeſte patuit tumorem hunc locatum fuiſſe intra duplicaturam membranæ nerveæ ibique ſuum exordium ſumpſiſſe, nam foris & intus tumoris folliculus cum illa continuus erat; foris quoque ut intus, candidus fuit, verum absque ullo oſculo: dum ita ventriculum tractavi, interna ſuperficies denuo multo muco undique operiebatur ac ſi nunquam abſterſus fuiſſet. Tumorem hunc à parte poſtica per medium diſcidi, mox occurrebant vermes teretes, plerique rubri, pauci albi, aliquot erant craſſitie pennæ columbinæ ex alis extractæ, alii graciliores; quidam ℥iij. longi erant, alii breviores; proboſcis erat acuta; quibusdam ex medio ventre, aliis ex ano, prodierunt filamenta alba, tenacia, quædam bifida, quædam trifida, longa ad ℥j. ℥is. etiam ad ℥ij; an verminoſa ſoboles? anne verò inteſtina propendula fuerint? dignoſcere nequii. Vermes iſti immerſi erant muco atro-rubeſcenti tenaciſſimo. Folliculi interna ſuperficies erat inæqualis & ſcrobiculis prædita ſuperficiariis. Illorum tunica multò craſſior erat membrana nervea, denſa, tenax, atque ipſamet nervea, ferè craſſitie pennæ anſerinæ; in aqua macerata magis intumuit; Soli expoſita, prope inſtar cornu induruit: ſimilis ferè evaſit ventriculo avium, exemptis contentis. Ab oſculo extrinſecus apparente erat ductus mediocrem ſtylum admittens, rectus, levis, albus, in cavitatem folliculi pervius. Ipſum oſculum prominulum rubrum, ac ſi ex folliculo in cavum ventriculi exitus concederetur, atque ingreſſus impediretur, nam præter conformationem hanc, nullum veſtigium aſſumptorum, aut chyli in cavo folliculi videre potui, mucusque atro-rubeſcens pellu-

cidus nec à chylo turbidus apparuit. Duos alios tumores in cavo ventriculi, unum pruni ſylveſtris magnitudine in pariete dextro diſtantiorem à fundo, quàm primus erat; alterum in antri pylori latere dextro, circiter ejus medium, ambo erant albi, nervei, duri, quoque intra duplicaturam membranæ nerveæ collocati: ille continuit in medio ſtrias atro-flaveſcentes, quales ſæpe inveni in tuberculis hepatis ovium ſcatentium hirudinibus, ſive vermibus latis in ductibus bilariis; hic intus undiquaque albus erat, denſus, compactus, citra permixtionem ullius corporis, ſibi undique ſimilis, inſtar ganglii. Per internam ſuperficiem duodeni plures maculas rubras diſperſas conſpexi: preſſo foris duodeno nullus humor turbidus, ſed aqueus prodiit: hæ maculæ ultra inſertionem ductus bilarii ſpargebantur. Dum ex inteſtino per oſculum ductus bilarii ſtylum intruſi, aſperitatem quandam expertus ſum ac ſi ductus iſto aliquo usque arenulis incruſtatus fuiſſet: Verùm neque in veſicula bilaria, nec in ductu communi, nec in hepaticis quicquam arenoſi, aut verminoſi reperi: Veſicula bilaria ſemiplena bile tenaci, glutinoſa atro-flaveſcente erat: Hepar fuit magnum, rubrum, leve: Lien longior erat ſpithama cum dimidia, latus vix ℥ij. gracilis, mollis, ex rubro ſublividus: duabus unciis intra oſculum ductus cholidochi occurrit ductûs pancreatici majoris oſtium, verùm ex cavo inteſtini, utcunque oſculum conſpexerim, ſtylum tamen inde in ductum adigere nequii, verum ductu leviculè ſauciato per vulnus facilè illum permeare valui, nam inſertio admodum obliqua erat atque ita valvulæ vicem præſtabat. Ambo renes ritè conformati nihil vel arenoſi, vel verminoſi continuerunt: Veſica vacua, corrugata: in aperta plurimi noduli rubri, molles, mobiles per internam ſuperficiem ſpargebantur, ſimiles hæmorrhoidibus cæcis internis. Collo veſicæ accumbebant proſtatæ inſignis magnitudinis, ut primo intuitu viderentur tumores duo p. n. Verùm exemptis renibus, veſica, cum vaſis ſpermaticis, conſtitit verè eſſe proſtatas, ſed majo-

majores debito: illis preſſis prodiit humor ſero lactis ſimilis, fluidus & turbidus. Inteſtino recto prope anum accrevit tumor cum folliculo nerveo tenaci, illo caſu ſauciato, plurimum humoris turbidi ſubflavi effluxit; cavitatis ejus ſuperficies coivit in ſtrias rectas cum ſulcis rectis, profundis, vacuus facile capiebat nucem moſchatam: nullum ductum aut oſculum excretorium ullibi invenire potui. Meſenterium pinguiſſimum fuit. Eruto utroque oculo, in ſiniſtro vidi pupillam, verſus angulum minorem orbitæ quoque habuiſſe angulum obtuſum, nec exactè rotundam fuiſſe. Cataracta mediam partem pupillæ occupavit ac veluti lacera transparuit; cornea media forfice diſciſſa & poſtica parte ſublata, inveni humorem cryſtallinum è ſede ſua pulſum aliquantulum uveæ accretum tenaciter, unde pupilla ſuam rotunditatem amiſit; in poſtica parte pertinaciſſimè ei adhæſit mucus albus craſſus viſcidiſſimus, ut illum citra lacerationem ſeparare nequierim; ſimilis humor anterius tum humori cryſtallino, tum uveæ quoque firmiter accrevit, non ſecus atque in parte poſticâ: ubi mucus ille non operuit humorem cryſtallinum, pellucidus manſit, ut per illam literas novellarum, ceu per microſcopium, majores multò conſpicere potuerim: verùm hic dimidia parte minor erat dextro, imò totum pomum oculi minus dextro manifeſte apparuit, quamvis multum adhuc humoris aquei & vitrei ſupereſſet. Cornea oculi dextri per medium diviſa, humorem cryſtallinum à ligamento ciliari liberatum chartæ impoſui cum vitreo; ambo perſpicui & nitidi erant & literæ tam clarè videri poterant, quàm per humores oculi ſaniſſimi, unde mirabar, cur glaucus apparuerit, cum etiam cornea in utroque oculo ſuam perſpicuitatem retinuerit. Intra cranium & in cerebro nihil p. n. inveni.

SCHOLIUM.

I.

Tumores anomalos, imprimis Atheromata, inter rariores

numerari Marc. Aurel. Severinus de recond. Abſceſs. nat. ſub fin. l. 4. memorat: aliquando tamen inventos à Curioſis fuiſſe, Obſervationes Med. teſtantur. Tumor iſte verminoſus atheromatibus accenſendus videtur, utcunque ejus contenta non fuerint ſimilia pulti ex farina frumenti, aut caſtanearum cum aqua ſubactæ: nam ipſemet Severinus cum Galeno M.M. l. 14. c. 22. fatetur, hæc varia atque abſurda intra folliculos ſuos quandoque continere, ſcil. pilos, ungues, oſſa & præter alia quoq; vermes.

II. An tumores iſti vegetabilis, animalis, aut mixtæ naturæ ſint? Severinus l.c. diſceptat: atque ambigit illos animalibus annumerare, ſeu talibus corporibus, quæ aliarum partium more nutriuntur & augentur; hæſitandi cauſam præbuit, quod cum Fabritio ab Aquapend. nullas arterias ad horum tumorum folliculos ferri putarit; Verùm quia folliculi iſti ſauciati ſanguinem fundunt, à ſanguine nutriuntur & augentur, atque ex parvis initiis cum contentis in magnam molem excreſcunt; ac ligato pediculo graciliore contabeſcunt, arteriæ ipſis denegari nequeunt: Verùm hic error utrique facile condonari poterit, quia ambo C. S. ignari erant, certe 1647. illam nondum admiſit Severinus, ut ex Epiſtola ipſius, tunc ad me data, probare poſſem; fortè ob tunicæ tenuitatem arterias pro venis habuit; imò ipſemet Medicinæ noſtræ Parens hæc vaſa confudit unicoque nomine appellavit: nec tamen penitus ex animalium cenſu expungit, nam l. c. non vult germina, ſed Fœtabula appellari & dum quærit: Cur DEI adminiſtra Natura hos tumores, ſed fœdam & abjectam materiam continentes, folliculo donarit? allego Paræum ſtatuentem ex ſemine inſtar plantarum generari, & Gabr. Ferrarium aſſerentem, primordium illorum ſeminale quid eſſe, quia in his tumoribus pili, ungues, oſſa aliaque reperta fuerint: Folliculos quidem ibi non ſolum chorio, ſed quoque cortici ſeminum comparat, quibus omnibus fœturis DEI providentia proſpexit easque quaſi his obvallavit: quia tamen

men folliculi ſanguine irrigantur, chorio ſimiliores erunt.

III. Iſte ventriculi tumor anomalus, ſi quis alius animatus vocandus erit, tum quia inſtar partis alicujus, ſanguine nutritus & ad violentam usque mortem conſervatus fuit, tum quia ejus contenta vermes, verè animalia erant. Hos in folliculo genitos fuiſſe me perſuadent, primò oſculum tumoris membranæ nerveæ inſculptum, prominulum, carneum, oſculo ductus cholidochi plerorumque animalium hianti in cavum inteſtini ſeu duodeni ſeu jejuni, exitum concedens, ſed regreſſum impediens, prorſus ſimile; humor ſubcruentus, pellucidus, cui vermes immerſi erant, nec quicquam à chylo turbido ventriculi contaminatus; inſuper folliculi ſuperficies interna ſcrobiculoſa & aſpera, quùm ventriculi ſuperficies interna, utcunque anfractuoſa valde eſſet, lævis tamen ubique manſit; certè ſi vermes in cavo ventriculi geniti fuiſſent ibique aliquandiu perſtitiſſent, vix illi pepercisſent: denique vel imprimis in hac opinione me confirmant, tumores, quos ſæpe & plerunque in hepatis parte convexa murium, ovium & boum reperi; conſtabant illi folliculo albo, denſo, prominulo, undique primum clauſo, nullibi pervio, murium continebant vermes, latis lumbricis ſimiles, quorum quosdam etiam in inteſtinis inveni; ovium & boum figura ſimiles erant foliis buxi, quidam latiores & longiores, tenues, in utroque extremo acuminati, explicati oſtenderunt vaſa minuta in tenuiſſimos ramulos diviſa; laniones noſtri hirudines vocant, ſed illis planè diſſimiles: interna ſuperficies nondum exeſorum folliculorum aſpera quoque & inæqualis erat. In ovibus & bobus hos vermes ductus bilarios in multis locis impleviſſe vidi, quod procul dubio folliculis tandem perruptis factum fuit. Aliquando diſſecta veſicula bilaria in bovis epate verminoſo, juxta collum veſiculæ bilariæ unus horum vermium caput in cavum ejus exſeruit, volſella illo extracto comperi ductum ex hepaticis veſiculæ inſeri ac bilem hac via,

non

non per ductum cyſticum inſtillari: verùm hac de re alibi diſſerendi occaſio dabitur. Tumor dextri parietis procul dubio verminoſus evaſiſſet, nam boum & ovium tumores nondum maturos ſtrias hujusmodi atro-flaveſcentes continuiſſe vidi. Quid de antri pylori tumore ſentiendum ſit, nihil certi proferre poſſum, niſi quod forte fuerit cicatrix altior nata poſt vulnus ab oſſis fragmento illatum. His tumoribus aliquo modo ſimilia ſunt tubera quædam vegetabilibus quibusdam innaſcentia, ut ſunt ſpongiæ cynorrhodi, quas Bedegvar vocant, grana Kermes, tubercula in foliis quernis & ſalicum, quæ quidem cortice vegetabili veſtiuntur, à principio tamen animali originem ducunt; illis diſſimilia ſunt, quæ inſecta quaſi affigunt caulibus, foliis, virgulisque quarundem plantarum ac perruptis ſuis folliculis in varii generis muſcas, papiliones &c. transmutantur.

IV. Vermes in hoc tumore non niſi ex ſui generis ſemine productos fuiſſe, cum Sennerto, ſentio: omnia ejus argumenta hic accumulare nolo, cui placet ejus Hypomnemata Phyſic. de ſponte viventium ortu, adeat. Huic allatum fuit per arterias, per quas ſolus humor aliunde ad duplicaturam membranæ nerveæ transportari poteſt; non per nervos, cum, ut alibi monui, hoc in loco vel in membranam expandantur, vel in minutiſſima filamenta dirempti fibrillis aſſocientur & cum illis coaleſcant: ut taceam illos non ita excavatos eſſe, ut humorem his oculis imprægnatum imbibere & huc advehere poſſint. Maſſæ ſanguineæ ſemen verminoſum admiſceri non impoſſibile credet, qui nudis oculis in aceto vermes fluctuantes & mirè ſe torquentes, aut microſcopio armatis in febricitantium ſanguine vidit: qua de re videantur Kircherus de Peſte & Langii Patholog. animata. Ad maſſam ſanguineam pervenit cum chylo ex morticiniis confecto, quibus, cum aliis canibus venaticis, diu alebatur; nam non omnium aſſumptorum ſubſtantiam in ventriculo & inteſtinis deſtrui vel in vulgus notum eſt, & hac de re videatur *Kergerus de Fermentat.*

mentat. Duplicaturam membranæ nerveæ nemo negabit, niſi fortè ille, qui nunquam attentè hanc membranam intuitus eſt, nec obſervavit intra illam vaſa ſanguifera capillaria incedere: intra illam ſubſtitit hoc ſeminium, quia neq; à venarum neque à vaſorum lymphaticorum oſculis reſorptum fuit, ſive ob molem majorem quam ut ab illis ſuſcipi potuerit, ſive ob compreſſionem quandam minutorum ductulorum; nam canem hunc voraciſſimum fuiſſe, amplitudo ventriculi & contentorum copia teſtabantur; fortè etiam oſſium fruſta majora inglutiit, ut hoc canum genus famelicum facere ſolet, quæ poſtea in conſueto amplexu ciborum ductulos iſtos coarctarunt & ulteriorem progreſſum impedierunt. Seminium hîc ſubſiſtens & à loci calore & humiditate fotûm vivere incepit; ſeu ſpiritus folliculo incluſus dilatando membranulam & porulos recludendo nutrimento aliquem acceſſum conciliavit: Vermis ſive ſolus ſive comitibus ſtipatus, aut jam in magna & prima vermium matre formatus & per tot ambages, totque injurias ad hujus canis membranæ nerveæ interſtitium p. n. delatus, aut per δύναμιν quandam formandus à divite nutrimento allato introrſumque truſo indies ipſe cum ſociis evaſit in perfectum vermem: Jam confecti videntur victitaſſe alimento per arterias ad folliculum propulſo, non autem ſucco quodam nutriente per oſculum intruſo, nam mucus ille, cui immerſi erant, pellucidus & interna ſuperficies ſcrobiculoſa fuit: atque aliàs vidi in porci ileo inverſo, magnam copiam vermium teretum pendere, hirudinum more affixos ac alimentum ſugentes: ſic quoque lumbricos latos luciorum inteſtinorum ſuperficiei pertinaciter adhæſiſſe ſæpius conſpexi, ac ſi hoc genus inſectorum non ſolis ſordibus victitaret: forſan inde verminoſi dolores ventris & quandoque convulſiones patiantur: etiam lumbricos teretes non ſolùm inteſtinum prope umbilicum, ſed quoque integumenta abdominis in duabus puellis, & prope inguina, prægreſſo abſceſſu, in tribus fœminis perterebraſſe obſervavi. Num ali-

quando in illis, qui diu verminoſi ſunt, nec prope ullis medicamentis curari poterant, talia latibula in illis exſtiterint? inquiſitionem mereretur: nam ſi ſolummodo per inteſtina oberrarent vel centies à purgantibus vel cum fæcibus annuo ſpacio expulſi fuiſſent: novi fœminas aliquot annis à lumbricis latis & adhuc quandam tum ab his, tum à cucurbitinis affligi, quamvis incredibilis copia jam expulſa fuerit & ſæpe adhuc ſponte ſecedant.

V. Vermes in cane iſto nec chylificationem nec ſanguificationem turbaſſe, nec alias moleſtias intuliſſe, vel ſola ejus obeſitas probat: nec poterant, dum in folliculo latitarunt; nam folliculos nervis deſtitui, *Severinus* l. c. memorat & experientia mihi aliquoties fidem fecit, nam ſine dolore in illorum ſeparatione hamulos acutos infixi & à contentis vacuis, ad recidivam cavendam in fundo butyro Antimonii illinivi, lapide infernali attigi, imò ferro candente ſine ſenſu aduſſi.

VI. Pupilla oculi ſiniſtri anguloſa Chirurgis Cataractæ depoſitionem acu auſuris monimentum eſſe poterit, ne illam attingant, nam in hoc cane conſtitit, mucum illum ante & retro cum ipſo humore cryſtallino pertinaciter uveæ conatum fuiſſe: in Cataracta, quæ hanc operationem admittit pupilla cum ipſa ſemper rotunda manet, licet digitis palpebra clauſa oculus perfricetur ac pupilla valde dilatetur, & ſi matura ſit, dextreque acus ducatur, non ægrè cedit, ut aliquoties vidi, ſecus ſi ſe habeat pupilla, non ſolùm labor inanis erit, ſed quoque magno dolore afficientur. Cujus rei exemplum, dum hæc meditabar, in via occurrit: d. 16 Maj. 1688 prope Dettenhauſen, milliari German. Tubingâ diſtante, *Georgius Pfeiffer* cæcus ſtipem petiit; in ſiniſtro ejus oculo vidi pupillam non exactè rotundam & ſuffuſionem triangularem, inſtar nivis candidam, pomum oculi integrum: in dextro oculo, loco pupillæ erat ſcrobiculus & cum maxima parte iridis mera cicatrix pomumque multum imminutum: Hic ante 8.

annos nondum penitus viſum amiſit, lumen oblatum innotuit: Agyrta Cataractam depoſiturus in utroque oculo denſiſſimas ſtatim tenebras attulit, nec quicquam luminis inter deponendum ſenſit ſimulque inſuperabiles capitis dolores, diu durantes, excitavit, unde totum caput intumuit & adhuc ſubinde intumeſcit, quamvis etiam ſeptuagenarius bene coloratus, carnoſus & robuſtus ſit.

VII. Glaucoma oculi tantummodo apparens fuiſſe, manifeſtum fecit ſectio, nam cornea, humores cryſtallinus & vitreus transparentes erant, nihilque turbidi in aqueo viſum: obſervavi in optime videntibus aliquando glauci quid apparere, quod nihil niſi retina erat, clarius viſui occurrens, pupilla ampliore & humoribus perſpicuis exiſtentibus.

VIII. Mucus ventriculo pluries deterſus, intus reſudans, argumento mihi eſt, etiam per poros viſui non patulos fermentum copioſum ex membrana nervea exprimi, ut non neceſſum ſit illud aliunde derivare.

IX. Maculæ rubræ procul dubio veſtigia erant glandularum in duodeno, quas plenius deſcripſit Gener meus Dn. D. Brunner P.P. in Diſput. de illis habita Heidelbergæ non ita pridem.

X. Diſtantia ductus pancreatici & cholidochi oſculorum non valde favere videtur pugilum pugnæ; quæ etiam in bobus obſervatur diſtantior.

[Stutgardiâ 1688. 18. Maji Aug. Vind. miſſa.]

OBSERVATIO XVII.
D. PHIL. JAC. HARTMANNI.
Anatome Caponis inediâ enecti.

IN dubium fortè *Helmontius* vocaverit, *an aliquis uſus ex morboſorum anatomis ſcientiæ promittendus Medicæ?* ſiquidem *in Tr. Aſthma & Tuſſis* n. 46. ſeqq. tantum non ridet aſthmatis per anatomen quæſitas cauſas: ſanè Anatomicos hoc nomine perſtringit, quando n. 47. aſſerit, *quod, dum fictos humores nusquam offendunt, tamen per novaculam omnem mortis cauſam ſubſternere promittant: Primò*, inquit, *mirantur, tum etiam ſeriò indignantur mortem absq; venia illorum adventaſſe. Etenim quaſi in cultro ſpem & remedium haberent, gaudent in cadavere partem reperiſſe, cui necem attribuant*, &c. Verùm *Helmontius* non poteſt *ex morboſorum anatomis* negare *uſum*, quem ipſe l. c. n. 42. Presbyteri Aſthmatici hiſtoriâ ſuum fecerat. Quod autem minùs rectè à plerisque Anatomicorum ſedes morbi deſignatur, hoc eſt quod carpit, & fortè non injuriâ; ſiquidem Hippocraticum illud, ἡ δὲ κρίσις χαλεπή, ſi in ullo, certè in hoc experiundi genere deprehendes quàm veriſſimum. Aſt iſta diſquiſitio Analyticæ peculiare ſtudium depoſcit. Sufficit omnis ævi Dd. tantum *uſui ex morboſorum anatomis* ſubſignare, ut cum inter ſeſe variis ſectarum libidinibus & ſententiarum æmulationibus diſcordent, hujus ſolius in commune memores, hisce unis, ut *Tertulliani* iſta huc traham, ſtudiorum ſuorum commiſerint pacem: In eas conſpirant, in eas fœderantur, illis in adfectatione ſcientiæ unanimiter ſtudent, omnem ſapientiæ Medicæ oſtentationem de his Anatomis præferentes. Neque *humanorum cadaverum* tantùm, ſed *& aliorum quorumvis animantium morbis defunctorum anatome* ſtudioſos exercuit indies: Utriusque fidem facient exempla *in Exercitatione de peritia Veterum Anatomica in*

ea in genere ex antiquitate adducta ; noſtræ enim ætatis hoc in negotio curas plena eloquuntur volumina. Atque is adeò ardor mihi calcar addidit, ut qui eodem unà ſtadio decurrerem. *Humanorum* verò *cadaverum anatomis illas reliquorum animantium morbidorum* adjecturo veniam B. L. dabit, ſi qua iſtarum prolixitatem harum brevitate corrigere annitar. Illo autem quo αὐτοψία easdem commendavit, ordine ſingulas digeram.

Luſtravi cultro *Caponem,* qui frigoris injuriâ enectus ferebatur. *Ore aperto* cognovi vitium volucribus familiare, *corneum linguæ apicem,* munere deglutiendi organum exuiſſe. Cum verò *ſternum* extantiâ tactui ſe notabile offerret, accuratè ſummam cutem deduxi, *Muſculos pectorales* contemplaturus: quorum alterum *vaſtiſſimum* cum *deeſſe* adverterem, *reſtitantes delicatas membranulas complicatas & fibrillis variè discurrentibus intertextas* admiratus, addidici illius carnoſi muſculi hæc eſſe veſtigia. Propria ſc. ejus membrana ſtamen adhuc fibrillarum cum ductibus ſanguinis tantùm non obliteratis, oſtendebat, ſub tegmine pulpamenti & purpureo vitalis laticis ſucco caſſum. Separavi hujus membranæ quaſi conſutos ſacculos à *ſubſtrato muſculo:* Quo ipſo major lux affulſit hæſitanti, cum huic vix tantum exilis pulpæ ſupereſſet, quantum membranulis in carnem rubentibus, muſculorum rudimentis, in Embryis adeſſe contingit.

Uſus ex anatome Caponis inediâ enecti.

I. Poſtquam *CL. Steno,* aut cuicunque illa debeatur gloria, carnem fibrillis adſeruit *damnato parenchymate*, prurientes in nova animi, ubique hoc nomine Veteres perſtrinxerunt. Vide ſis *Bontekoe Chirurg.* L. 1. P. 2. c. 1. §. 2. & c. 3. §. 3. 4. ex uno omnes! At enim, ut nomen non morer, dicite Ariſtarchi, in iis qui cutis ſunt atque macies, quomodo ſalvis adhuc venulis atque fibrillis Hiſtoriæ pulpam carnium deficere

ficere teſtantur? an perperam *Ariſtoteles* 3. H. A. 16. aſſerit, *carnes evaneſcere, & fieri venulas atque fibrillas in extenuatis animalibus?* vel caſtrata Æſculapii ales *Ariſtotelem* defendet. Vidi, quæ ſeculum vivendo emenſa fuerat vegeta, cujus ὄγκος, ut c. 5. L. c. Philoſophus loquitur, adeò venis erat obſitus, ut tota manus nil niſi vaſorum plexum mirabilem oſtenderet; digna in qua Apellis cum Naturâ contendiſſet ingenium!

II. Si quis certior vult eſſe, *an Veteres carnis ſtructuram ritè cognoverint*, legat *Rufum de partibus corporis humani*, qui ὑφὴν τοῦ πλέγματος τῶν ἀγγείων vocat. Expendat *Ariſtotelem* 3. P. A. 5. qui ὀχετείαις comparat, *quarum maximi ſulci perſeverent, minimi verò primùm & celeriter à limo obliterentur, quo tamen recedente, & ipſi rurſus manifeſti fiant: Similiter*, inquit, *& venarum maxima perſeverant, minima autem fiunt carnes actu, potentiâ verò nihilominus ſunt venæ. Anatomiam Vivorum apud Galenum* inſpiciant; quod *Carnis cauſa materialis* ſit *purior ſanguinis pars, efficiens verò calor & ſiccitas, villorum à ſe deciſione, venarum & arteriarum interſtitia ſecundùm ſui poſitionem debitam adimplens.* In *Mumia artificiali* ſanguine eluto, conſertorum villorum ſatis arcta deprehendetur textura; magis, quando in vivo corpore illis reticulis vaſorum propenduli conſtringuntur. Cæterùm merentur legi *conſiderationes circa Parenchymaticas partes corporis Dn. King in Act. Philoſ. Angl.* an. 1666. m. Octobr. quem facilè eſt cum Veteribus conciliare, ſi illud noſtri h. l. foret inſtituti; ſed enim iſtas curas *Diſputationibus de Peritia Veterum Anatomicâ in ſpecie* aſſervamus.

III. *Falſum*, inquit CL. *Bartholinus Anat. Ref.* L. 1, 4. *abſumtâ per inediam pinguedine cutem cum muſculis non aliter cohærere, quàm pilam cum linteo, quo obducitur.* Cui noſtra adſtipulatur anatome.

OBSER-

OBSERVATIO XVIII.
D. PHIL. JAC. HARTMANNI.
Anatome Carduelis fame peremtæ.

C*Arduelem* aviculam plurium dierum fames, incuriâ Domini, peremerat: Hujus inciſio *pulmones* albentes, *hepar* pallidum dedit. *Ventriculus* juſto minor patefactus *purpureum ſanguinem fudit*, quantitate quæ capacitati reſponderet; arenulis interioris tunicæ rugis impactis: *Inteſtinum Ventriculo proximum itidem ſanguine redundabat; longius* verò *diſſita* in ſe collapſa citra ſanguinis notas contabuerant. Quibus luſtratis *Cor* anxiè ſcrutatus, ipſum nihil ſibi vitalis humoris reliquum feciſſe adverti, cum nec gutta ſive ex hac ſive ex aliâ quacunque parte corporis elici poſſet.

Alius aviculæ, quæ itidem *fame ſuccubuerat Ventriculum* incidi, ex quo quidem non dimanavit ſanguis, arenulis autem remotis, tunica interior admotos digitos ſanguinis rubore infecit.

Uſus ex anatome Carduelis fame peremtæ.

I. An *quæſtioni*, quæ *inter Convivales Plutarchi* L. 6. *ſecunda* eſt, lucem fœnerabitur: *Penuriáne famem & ſitim, an meatuum transfiguratio efficiat?* rectè contra Philonem Medicum *Plutarchus*, quod inopia humidi vel alimenti nativi.

II. Verùm & *quomodo inopia alimenti famem excitet*, videtur hinc colligi poſſe, ſc. dum ſanguis, ultimum alimentum, negatis ſuppetiis novi alimenti, in ſecretoria organa quod ſeponat non habens admixtum amplius, propter ſubtilitatem & acrimoniam, quæ circuitus toties reiteratus conciliavit, ſuâ totâ ſubſtantiâ exinanita organa aggrediens illa vellicare commodè

modè poteſt; ſic etiam ad ventriculi tunicam allabens illam arrodet. *Conf. Diemerbroek. Anatom. L. 1, 6.*

III. Dubium, *cur ſanguis reliquas partes deſeruerit, in Ventriculum ſolùm ſe exonerans?* An quod arteria cœliaca exeuntem ex ſiniſtro Ventriculo Cordis proximè interceperit, cum nullus amplius ſupereſſet penus reliquis arteriis impertiendus?

IV. *An quoq; tritura arenularum viam fecit ſanguinis?* mihi non placet.

V. Si *in Galenum* commentari juvat, illuſtrari poſſunt ipſius dicta 3. *de Fac. Nat.* 13. *per quas venas à ventre in jecur facta eſt digeſtio: rurſus ex jecinore in ipſum trahi aliquod alimentum in longiore inedia poteſt.* &c. & L. *de atra bile* c. 7. *ſicuti in benè valentibus nonnunquam optimus etiam ſanguis ad ventriculum commeat, ipſum nimirum nutriturus, quod in longioribus inediis contingit. Avicenna* L. III. Fen. XIII. Tr. I. c. I. fin. *Et ſcito, quod ſtomachus nutritur tribus modis, & tertius eſt ejus, quod ad ipſum effunditur in tempore famis vehementis ab hepate ex ſanguine rubeo puro, & nutrit ipſum.*

VI. *Hippocratis* effatum. *L. de alimento.* ξύῤῥοια μία, ξύμπνοια μία, ξυμπαθέα πάντα, ſobriè capiendum.

VII. *Diemerbroek* L. 2. *Anat.* c. 12. *pro Sanguine ultimo alimento contra Charletonum* rectè adducit exempla, quibus in benè conſtitutis corporibus ſanguinem per longam inediam abſumi probat, noſtro idem aſſeverante.

OBSERVATIO XIX.
D. PHIL. JAC. HARTMANNI.
Anatome Canis diarrhœâ afflictæ.

PEr octiduum ipſam infeſtarat malum, ut nec cibum admitteret. Aperto *Ventriculo* corii particulam palmæ longitudine & latitudine inveni, emollitam & attenua-

tam admodum: Vix *ante ſemihorium panem aſſumſerat*, qui quidem maceratus & diſſolutus erat, *nullo* tamen *chyli* uſpiam *indicio*: *in inteſtinis* enim à duodeno cæcum usque nil niſi *bilioſa illuvies* occurrebat: quædam ex his *collapſis lateribus* adeò arctè cohærebant, ut cavitatem ægrè fuiſſet deprehendere, ni bilis viam quam commearat, tinctam reliquiſſet. *Corrugata inteſtina* non ſolùm craſſa, ſed & tenuia, innumeras quaſi *valvulas conniventes* offerebant. *Vaſorum lacteorum tubuli* bile diluti ex tenuium interiori tunica hinc inde propenduli comparebant; *tænia* quoque in his convoluta recurrentibus flexibus multæ bili innatabat, duarum ulnarum longitudine, calami olorini latitudine, craſſitie ſummi folii braſſicæ, innumeris inſectionibus tanquam annulis protuberantibus diſtincta; *caput* quâdam latitudine à reliquis partibus diſcrepabat, *caudâ* in acumen exeunte.

Uſus ex Anatome Canis diarrhœâ afflictæ.

I. *Ex cruditate bilem gigni;* occluſo enim exitu cibum in ventriculo vitium contraxiſſe autumo, atque qualecunque fermentum conciliaverit acre, illo tunicas glanduloſas ventriculi & inteſtinorum arroſas iſtam ſaniem bilioſam emiſiſſe; id quod capreæ *Obſervat. XXI.* tradita Diarrhœa confirmabit.

II. *Bilem in quavis parte corporis ex cruditate gigni;* conſentiente *Aretæo I. de Diut. Sign. 15.* qui etiam in colo ἀπεψύην χολῆς ἐργασίην aſſerit, præeunte *Philoſopho 2. P. A. 4.* qui bilem, quæ in alia corporis parte generatur, cum bile quæ in hepate comparat.

III. Teſtantur paſſim Annales, (utut & à fame peſtem propter ingluviem novi) milites, *quos fames oppreſſit, quando ipſos cibo refici contigit, deſubitò extinctos:* cauſa fuit nimia ingurgitatio, unde vis inteſtinis illata: cautiores ideò ſorbiciunculis inteſtina prius tono ſuo reſtituunt: quod etiam

fortè obſervandum illis, qui à morbi inedia reconvaluerunt.

IV. *Tæniam* ultra colon aſcendere.

V. Ne quis ſibi perſuaderi patiatur, ſemper *caput lati lumbrici* tale eſſe, quale Cl. *Tulpius Obſerv. Med. l. 2. c. 42.* depingi curavit. An quoque hinc ratio ſumenda, cur aliquando ingratus hoſpes facilè expelli queat? quam magis illuſtrabit *Obſervatio XXXII.*

VI. *Valvulas conniventes tenuium* apud *Cl. Kerkringium* vide ſis.

OBSERVATIO XX.
D. PHIL. JAC. HARTMANNI.
Anatome Ovillorum Uterorum Embryis, intus ſceletis.

I.

DE *altera Ove* mihi relatum, quod pondus fœta trahere viſa, atque cum ultra ſtatos prægnationis dies, per ſex hebdomadas urinam ſtillatim ſubinde emittens, emaciaretur, cultro lanionis ſuccubuit.

Hujus *Uterus* utut fœtorem gravem exhalaret, ab inſectione tamen mihi temperare non potui. Obſervavi autem in limbo colli majoris *urethram*, cætera ſ. n. niſi quod orificio eſſet inſigniter amplo. *Collum minus*, cui moles fœtûs incumbebat, præter ſolitum erat expanſum; gracile, ubi pinguedo, aut pili Embryi agglutinati ipſum non reddiderant craſſius. Diſſectio hisce *per omnem Uteri interiorem tunicam pilos concreviſſe* atq; arctè coaluiſſe adverti.

Fœtûs autem *ſitus* in ſiniſtro cornu erat p. n. admodum, quippe ſcapulam cum capite & parte dorſi incurvâ, orificio Uteri adverſam obverterat, *pedibus anterioribus* in latus detortis, ut conglobatus compareret; *Poſteriores* verò *pedes* con-

contortos & ſibi invicem implicitos verſus tubam Fallopianam recta ad cornu extremum extenderat, ut hoc quaſi meris oſſibus infarctum tactu perciperes.

Nullæ tunicæ, Embryi, nullæ cotyledones adfuerunt. *Dextrum cornu*, juſtæ alioquin magnitudinis, putredine etiam infectum & globulis piloſis obſitum erat, cum copiâ cotyledonum minorum.

Teſtis ad ſiniſtrum cornu totus carneus erat, nullis repertis veſiculis; *ad dextrum* verò *cornu* nullus teſtis erat conſpicuus.

Embryon omni numero perfectas habuit partes, dentes, cornua, ungulas; *Oculi* putredine exeſi utero adhærebant; *pili* longitudinem digiti æquabant, nec lanæ ovinæ ſpeciem oſtendebant, ſed læves, demiſſi, minimè criſpi, colore etiam ſubrubente vitulinos referebant: *Cauda* notabilis non ſolùm illo, quod ſub clunibus dilapſa abdomen atque ſternum ſuâ longitudine eſſet emenſa, ſed quod & in extremitate longiſſimos pariter haberet villos.

Aures quoque hirtæ atque villoſæ extabant: *Sternum* confractum & diſtortum: *Vertebræ* dorſi curvâ figurâ ultra diaphragma progredientes ſemicirculum exhibebant. *Coſtæ* à ſterno divulſæ, hîc quaſi diffractæ, verſus ſpinam integriores erant. *Humeri & ſcapulæ cum coſtis* ita coaluerant, ut non poſſent diſtendi.

Inteſtina & Viſcera omnia exſucca atque exſanguia: neque in his, quod maximè memorabile arbitror, ſive coloris, ſive habitudinis, ſive texturæ qualiscunque ratio ullum diſcrimen facere noverat; omnibus idem color, eadem lineamenta fibrarum, eadem ſoliditas, ſenſu judice, atque diſſectas particulas pulmonum, hepatis, inteſtinorum, &c. nemo ab invicem ſecernere valebat, adeo ſimilares erant omnes, ut figura ſolùm & ſitus viſcerum differentiam ſuppeditaret.

Cranium perdurum, ſecus quàm in illa ætate fieri ſuevit. *Oſsicula narium* minus cohærebant, putredine tacta. *Cerebrum* admodum ſubſederat, multo intervallo à matre durâ diſtans. *Anfractus Corticis* manifeſti erant, inſtar funiculorum diſſolubiles. Quæ omnia hujus *naturalis ſceleti admiranda* accuratius perrimari fœtor prohibuit intolerabilis.

II. *Alterius Uterus* nihil habuit vitii; pilis tamen firmiter adnatis, pluribus in locis & cuti Embryi adhæreſcebat. *Fœtûs ſitus* dabat anticorum pedum ungulas alterius cornu extremo adnatas, quod ita effarſerant, ut vix dignoſci poſſet: Cervice incumbebat *collo minori:* cujus *orificium* cum ſtilis diligenter explorare contenderem fruſtra fui, quod nulla per iſtas anguſtias daretur via, undique clauſo orificio, omni ductu obliterato. Nulla *cotyledonum* veſtigia.

Quod *Embryon,* pilorum, inteſtinorum & cæterorum Viſcerum omnium par, qualis in priori, conditio. Quod autem *neq; in Utero neq; in Embryo quidquam humidi* ſupereſſet, ideò omnia pumice aridiora, oculis quoque exſuccis ſuis orbitis inhærentibus. Majus etiam inane *cavitati* hujus *abdominis* inerat, quod major ſiccitas viſcera, flaccida in ſe complicata in anguſtius ſpatium contraxerat. Eâdem de causâ minor quoque fœtor. *Oſſeæ partes* rectius ſe habebant, quod minus diſtortæ, minusque diffractæ; duritie autem illis in priori nihil concedebant.

Uſus ex Anatome Uterorum Ovillorum Embryis intus ſceletis.

I. *Hippocrates de natura pueri S. 42. Puer ſi ſuo momento in caput magis inclinat, facilè mulier parit: quod ſi in latus aut in pedes prodeat, difficilem partum ſentiet.* Non ſolùm in hominum, ſed & in mulorum ſexu ſequiori hoc obtinere ſcias.

II. Rara *cauſa negati partûs*, *orificium Uteri concretum*, quam tamen probat noſtra *Obſervatio An.V. Dec.II. n.LXVII.*

III. Quan

III. Quanta *vis* ſit lenti aſt diuturni *caloris animalis*: credo ab hoc, ſucceſſu temporis, ſceleta illa in oſſeas ſtatuas transformari potuiſſe: quibus fides Hiſtoriis *de fœtibus lapideis* conciliari videtur.

IV. Majorem autem lucem ſceleta noſtra *Diſcurſui Phyſico-Medico, de fœtibus Leporinis extra Uterum repertis, Ulmæ an. 1680. ab Exc. D. Petro Rommelio* edito, affundent. Scilicet *in globo non prorſus rotundo, ex inteſtinorum gyris absq; ullâ vi exemto, incisâ membranâ Lepuſculus perfectus, pilis tam longis ac ſi aliquot jam menſes compleviſſet obſitus, comparuit, omnibus intra membranam ſiccis & aridis imò planè duris ſe præſentantibus, ut non immeritò Mumia Leporina vocari mereretur?* H. I. Si conjecturæ eſt locus; Quod Lepores fœtæ cornua Uteri habeant in modum Cuniculorum diſtinctis pro numero fœtuum intervallis ſubrotunda globoſa, uti anatomæ illud ante oculos ponunt, veroſimile eſt, allisâ quocunque caſu Lepore, rupta eſſe interſtitia, atque unum vel alterum etiam globum avulſum: quam conjecturam confirmabit *Obſerv. XXVII. Globi* autem *avulſi* non *potuerunt* non *exareſcere* unà cum fœtibus intus concluſis, ſolâ circumſtantis aſſidui caloris materni virtute, uti idem etiam *Obſerv. XXVIII.* evincet.

V. *Quod membranam duriorem* cui Lepuſculus incluſus; mihi ſervatur *tophus* quidam *Vaccinus* globoſus pomi aurantii magnitudine, *nigricante durâ tunicâ* quaſi corio explanato inductus glaberrimus, inter excrementa repertus; qualem ovinum minorem, pondere ℥ß. gr. xij. Fautor mihi conſpiciendum præbuit, cum plures ex eâdem Ove in Lithuania exemtos referret. *Plinio* ſanè ejuscemodi cogniti: 11. H. N. 37. non procul à fine: *Et in juvencarum ſecundo ventre pilæ rotunditate nigricans tophus, nullo pondere: ſingulare, ut putant, remedium ægrè parturientibus, ſi tellurem non attigerit.* Quod ſi pilis duram novè prorſus membranam inducere poteſt, calor inteſtinorum, multò magis præſentem membranam calor Uteri indurare noverit.

 VI. *Pi-*

VI. *Pilorum* autem *longitudo* minus admirationis meretur, cum in vulgus notum, quod in mortuis incrementa capiant; id quod noſtris exemplis comprobatur,

VII. Quæ illud ſolum dubii movent, *quî factum, quod à lana degenerarint naturâ?* nimirum exhalatio ab internis partibus corporis ad externas adacta juſtô humidior fuerit, quàm ut lanæ congrueret; præſertim accedente ab Utero extus humectatione perpetuâ, criſpos & hirtos pilos magis atque magis læveſcere atq; emolleſcere contigit.

VIII. *Cotyledones vitiatas* Embryi adhæſu ceſſante officio *periiſſe*, ſanguine ad alia ſecretiora minus corrupta ſuperfluum amandante. An magis ad colliquationem referendum? an verò hoc eſſet obſcurum per æquè obſcurum demonſtrare?

IX. *An Teſtis à nativitate defecerit*, an verò eâdem ratione, quâ Cotyledones, exaruerit, ut viſum ſubterfugeret, altero ad cornu fœtum ſalvo? dubium relinquo?

X. *An in hisce Embryis viſcerum ſive caro, ſive parenchyma, ex mente Veterum ſint dicenda*, addubito; analogum fortè ſuppoſuiſſent; alioquin & inteſtinorum parenchyma ſive caro veniret; idem quoque cordis, hepatis, pulmonum &c. eſſet parenchyma. Quod quibus non eſt abſurdum, illi audacter etiam carnem ſ. parenchyma membranarum ſtatuant: eandem quoq; carnis rationem eſſe dicant in corde, hepate, pulmonibus guſtu inprimis & tactu judicibus.

XI. Verè *omnia ex fibris contexuntur*, figurâ texturæ varietati reſpondente: Viſcerum quippe meras fibras arida hæc embrya ſanguine abſumto oſtentârunt: *aſt non ex fibris ejusdem indolis ſ. n. corporis omnia integrè pertexuntur*.

XII. *Oſſium durities* quomodo à calore.

XIII. *Cur non in hisce cerebrum diffluxerit, quemadmodum in fœtu monſtroſo credito* conſumtum, *Obſervatio præcedentis Anni 76.* memoravit. Cauſa, quod hi fœtus intra Uterum maternum prorſus adoleverint: quodque cranium minimè læſum, cujus ſepimentum non conceſſit locum evaporationi,

non colliquationi locum conceſſit, externum arcendo & cohibendo internum calorem.

XIV. *CL. Malpighii ſententiæ de cortice Cerebri* non minus hæ anatomæ, quàm illa Phrenitici, (*Anni præcedentis Obſerv. 62.*) favent.

OBSERVATIO XXI.
D. PHIL. JAC. HARTMANNI.
Anatome Ventriculorum tophis intus concretis.

I.

MActabatur *Vitulus*, qui quod tuſſiendo ſemper latens aliquod vitium proderet, Domino metum injiciebat, ne macie conficeretur. Ventriculorum autem ſordes eluendo, non ſolùm *pilam* deprehenderunt; (cùm contextus pilorum conglomeratione in globum conformatus ita appellari ſuevit) ſed *& quadratam maſſam*, craſſitie trium, ſeptem verò digitorum transverſorum longitudine & latitudine: hanc diſſolvens mirabili quaſi artificio *acuminatas maximè pilorum partes ſpiculorum transverſim ſ. decuſſatim ſe ſecantium inſtar diſpoſitas* offendi: firmiter cohærebant, ut magnâ vi ægerrimè divellerentur: Neque textor aut fullo ſuum opus concinnius atque arctius compingere valuiſſet.

II. Allata quoq; *Caprea*, quæ *Diarrhœâ occubuerat*, hauſtu lixivii cinerum, deglutito unà quo coquæ ad vaſorum ſordes abſtergendas uti ſolent faſciculo ſtramineo-lineo. Cum folle inflarentur ventriculi, faſciculus ille nullâ vi loco ſuo dimoveri poterat. Obſervare autem erat in Ventriculo maximo particulas lineas ſeparatas, quæ *globulorum rudimenta* præ ſe ferebant, quorum tres facili negotio à tunicis liberabantur, reliqui non item, qui rugis erant impliciti. *Nummum Pruſſicum*

cum idem Ventriculus reddebat flavedine tinctum: quam tamen tincturam ad lixivium referendam quivis intelligit.

Uſus ex Anatome Ventriculorum tophis intus concretis.

I. *Multa à Naturæ organis fieri cum ratione, quorum nos non capimus rationem*, quæ *Mechanica* acuminatas pilorum partes ad interiora converſas ritè explicabit? adeò opera Naturæ ſunt opera intelligentiæ noſtrâ ſublimioris!

II. *Generatio tophorum*: Lambendo cutem pilos confertim deglutiunt pecudes; unde illi, quibus harum eſt cura, partes quarum lambitu delectari cognorunt, pice illinunt: Pili autem, moram ducentes in Ventriculis, crebrâ agitatione, præſertim in ruminantibus, per plicas tunicarum ſubinde conglobantur, niſi multitudo perfectam agitationem prohibuerit, indeq; pilæ rotunditati conformes prodeunt.

III. *Quadrati tophi lethales* pecudi à colonis traduntur; cujus ratio indagatu facilis, vel tuſſi viam commonſtrante.

OBSERVATIO XXII.
D. PHIL. JAC. HARTMANNI.
Anatome renum & partium adjacentium non rectè ſe habentium.

I.

CUm ſectionibus Diſcipulos exercerem *in quodam Cane renum raram conformationem* demonſtravi: *Alter* ex his *aſperitate ſuâ* exterius glandularum protuberantias imitabatur, diſſectus verò, uti alius quivis ſ. n. ſolitos fibrarum ductus exhibebat, nullo ſcirrhi, ulceris, aut alio quocunque vitio manifeſto; *Alter* æquali erat ſuperficie, ſed *inſignis molis*, cætera omnia ſani tuens partes.

In

In prioris Venâ Emulgente geminæ valvulæ; alterius hiatus verſus Cavam, alterius verſus Renem proſpectabat. *Vid. Figura VII.*

II. *In alio Cane Renum alteri* gemini *ſuccenturiati* annexi *coaluerant;* qui diſſecti *parenchyma diverſo colore*, uti in ipſis renibus fieri ſolet, diſtinctum offerebant, *cavitate inſuper*, illi pelvis renalis æmulâ, memorabiles. *Alterum Renem* è regione *minimè comparentem* ſolicitus admirans, dum receptaculo chyli & ductui thoracico demonſtrandis, cui ſtudio hanc victimam conſecrâram, invigilo, tandem globoſum ſubrotundum corpus, glandulæ Meſenterii majori deſuper incumbens, occurrit, à figurâ renis canini multum abludens, faſciâ quoque deſtitutum, ut tamen Venæ Cavæ truncum contingeret, hoc Renem ſuſpicans incido, atque *parenchyma interius omne abſumtum* contueor, *Venâ emulgente* exili, *arteriâ* quoq; juſtò minore, *deficiente ductu Ureterico.*

III. Pariter *in Cane* Receptaculo chyli *Ren ſiniſter glandulæ* majoris rotundæ *ſpecie* inſtratus erat: hic ad injectionem per arteriam veluti ſacculus intumeſcebat: apertus itidem, *omne parenchyma inter carunculas & pelvim* ſibi *deeſſe* commonſtravit. Propè carunculas glabra cutis *funiculos ductuum* obtexerat. Cum reliquum parenchyma ſatis ſanum eſſet, *carunculis* quoque *ſuperſtitibus ſalvis*, aſperitatem quandam in receſſu pelvis percepi, hanc patefaciens *duos folliculos, oſſeis laminis, qualibus Piſcium oſſicula auditûs recondi videmus*, conſtantes produxi, hi *emulgentium*, Venæ æquè ac arteriæ, *ingreſſum, egreſſum*, obſederant. *Arteria* præterquam quod illis oſſiculis eſſet obſepta, tortuoſa inſuper advertebatur, unde ſtilum non niſi difficillimè admittebat, utut injectioni & inflationi pateret. *Ureter* ſe noſtræ obſervationi ſimiliter ſubduxerat. *Huic* monſtroſo Reni *nec ſuccenturiatus aderat; ad dextri* verò vaſa emulgentia *gemini* inferiores partes *concreti* diſſimilis figuræ adjacebant: *alter* ex his ſolidus erat, nullam-

que diſſectus cavitatem oſtendebat; *alter* verò Reni ſiniſtro quam ſimillimus, & cavitatem ex proportione eandem, & carunculis reſpondentes notas offerebat. *Vid. Fig. VIII. & IX.*

IV. *Ex Ove* lanio *unicum Renem* afferebat, aſt juſſi lumbos aſportari, ſi qua pinguedine obrutus alter deliteſceret. Verùm notâ Renum ſede accuratè perluſtratâ, meram pinguedinem conſpicio, nullo vel Renis, vel Vaſorum emulgentium, vel Ureteris indicio. In exemtum itaq; oculos convertens illum *ſolitò majorem* contueor: ſemotâ autem induſtriè pinguedine, illo quo emulgentia à Cava & Aorta progrediuntur loco *parvum renem*, qui vix olivam minorem æquaret, Cavæ alligatum inveni; qui quoad dimidiam partem *peculiari membranâ* ſuccinctus, ſuperiorem verò alteram pinguedine modicè conſperſus erat. *Sed nullum ex hoc parvo Rene vas, neq; in diſſecto pelvis aut ductus*: quâ parte Cavæ & emulgenti alterius Renis internexus erat, ſtilo concedebat aliquem receſſum ſ. *ſinum*, qui aliquousque penetrabat, aſt citra peculiaris ductûs notam. Omne diſcrimen in hoc puſillo conficiebat *coloris diſparitas*, cum interiora albor, exteriora rubor pinxiſſet: *puncta* quædam pelvim non minus ac carunculas ſuo quæque loco adumbrabant; cætera ſolidam carnem oſtentabat. Eidem autem lateri, cui naturalis, adhærebat.

Ab utriusque Renis membranis corpuscula *ſuccenturiatorum* vices obeuntia dependebant, utut *ſitus* minus congrueret, quod à latere eſſent: qui ex ſuccenturiatis puſillo Reni conjunctus erat ad piſum vel carunculam parvam; qui magno ad amygdalam mediocrem accedebat: *figuram & ſubſtantiam*, interiori quam exteriori facie *Renibus* erant *ſimillimi.*

Magno Reni *Vena emulgens* magnitudine ſuppar, Cavæ capacitati nil quicquam cedebat; *arteria* quoq; inſigni erat craſſitie, nec minori *Ureter.*

V. His adjicio, quod *in Cane quodam geminas arteria*

emul

emulgentes ejuſdem Renis obſervaverim, diſtantibus intervallis ex aorta, diverſa loca, diverſis truncis, ingreſſas; (*Vide ſis Fig. X.*) ſuô quâq; in ſuis partibus fungente officio, uti ex injectione ſatis ſuperque edoctus ſum.

Uſus ex Anatome renum & partium adjacentium non rectè ſe habentium.

I. *An tales valvulas ſæpius offenderit Bauhinus*, quæ averſum à Cava haberent hiatum; cum *in Theatro Anatom.* L. 1, 20. velit, *ne in Cavam remeet ſerum, naturam valvulis in Emulgentibus locatis proſpexiſſe?* dubito valdè. Meliora de Circuitu Sanguinis edoctus *CL. Bartholinus Anat. Ref.* L. 1, 17. ad experientiam jure provocat; utplurimum enim ſive ſ. n, valvulæ illæ ſuo hiatu in Cavam proſpiciunt, & ab hâc ſanguinis ad Renes regreſſum arcent, quod etiam ſtilo experiri licet, cum ex Cava in emulgentem niſi factâ vi ſtilum adigere ſit difficile, vel amplo etiam vaſe, uti in illo Ovis re ipsâ expertus ſum. Quare *alteram valvulam in noſtrâ, illis quæ raro occurrunt adnumerandam* cenſeo.

II. *Raris* quoque *deputo geminas ejuſdem Renis arterias Emulgentes.*

III. An obniſus valvulæ inſolens inſolentem *Reni* conciliavit *aſperitatem?*

IV. *Poſſe partes, quas natura fecit geminas, diſcrepare, ſalvo,* quo defunguntur, *munere.*

V. *Renes ſuccenturiatos rectè dici*, cum Renum defectus ſuppleant; idque propter iisdem inſtructi machinis videntur, diversâ illorum texturâ iſtud ipſum arguente. An verò ſ. n. non ita cum ipſis eſt comparatum? ſufficit quod dum neceſſitati inſerviunt, ſe & opportunitati inſervire probent.

VI. *Perire partes*, inprimis quæ ſecretioni ſunt deſtinatæ, *ubi non habent quod agant*, in ligamenta, in membranas, in fibras degenerando.

VII. *Quomodo vaſa diſpereant;* nimirum dum collapſa complicantur variis acceſſionibus in funiculos, fibris, quæ ipſa intercedunt, in membranam coagmentatis: *tunc quando ſpiritibus adhuc patere, vero eſt quam ſimillimum.* Quidni enim cum tranſierint ad partes nervorum & horum gaudebunt privilegiis?

VIII. *Interius Renum parenchyma Uretericis meris compactum* videtur: inde enim factum puto, ut officium Ureterici ductûs quidem ceſſarit conſumto iſto interiori parenchymate, non item Emulgentium.

IX. In Ove, Renis, Vaſorum Emulgentium, atque Ureteris vaſtitas probat *Naturam* (neque enim à nomine abhorreo) *alterius decrementum incremento alterius penſare?* Vis ſcire *Mechanicè?* in proclivi eſt: cum incrementum torrentis majorem ſibi excavet alveum, quod ſanguinem etiam majori copiâ ad alterum Renem deficiente altero confluere neceſſe erat, hinc etiam neceſſe erat corpora magis extendi.

X. Citra vitium nugacitatis dicam, *quod & Natura neceſſitatem in virtutem vertat.* An verò non licet paucis multa dicere, præſertim ſi cum eruditis intercedit negotium? cur ergo inventi ſunt termini technici?

XI. *Laminas oſſeas ductûs Ureterici lapideſcentis* conjicio: alîus membranæ lapideſcentis meminit *Cl. Tulpius Obſerv. Med. L. 2, 48.* conf. *Willis de Urinis* c. 5.

XII. *Ariſt.* 4. G. A. 4. *Partibus etiam internis mutationes, detrimentaq; accidunt: ut vel careant aliquibus, vel habeant minuta, & læſa, vel plura numero: vel non ſuis poſita locis, & altero vacans rene, viſum eſt.*

Fig. VII. VIII. IX. X.

Explicatio Fig. VII.

A. A. Vena Cava non inflata.

B. B. Ren dexter altior, ſed glanduloſa inæquali exteriori facie imprimis, ubi uti hoc loco exprimitur, erat denudatus:

datus: Notatu autem dignum, quod exterior membrana innumeris vaſis ſive fibris lymphaticis, quaſi interiori connecteretur.

C. C. Vena Emulgens non inflata, quæ inflata alteram æquabat.

D. D. Lobus, ubi duæ valvulæ ſemilunares h. m. ſe tangebant.

E. E. Ureter, in cujus non ſolùm ductu, ſed & ſuperficie ſtagnabat liquor, inſtitutâ in inferiori parte ligatura, & vena emulgente compreſſa.

F. F. F. Membrana, per quam complures ductus decurrebant, qui ad injectionem dicto modo inſtitutam, liquore turgeſcebant, unà cum ureteri incumbentibus vaſculis.

G. G. Vena Emulgens inflata.

H. H. Arteria Emulgens.

I. I. Juſta magnitudo Renis proceri & ſitus.

K. K. Ureter, ex quo per injectionem in Arteria emulgente erumpebat alicubi, tanquam ex peculiari ductu, multus liquor, atque ſimiliter in ſuperficie multa vaſcula, cretacea ſolutione turgeſcebant.

L. L. Membrana, in qua ſimiliter ductus per injectionem in Arteria Emulgente, dicto modo turgeſcebant, ut adeò liqueret, p. n. ad Veſicam dari vias alias quam ureteres.

Fig. VIII.

Ren ſiniſter Canis, cui parenchyma inter carunculas & pelvim deerat, duobus folliculis oſſeis, memorabilis.

Fig. IX.

Renes ſuccenturiati combinati, quorum alter cavitate inſigni præditus, alter ſolidus.

Fig. X.

Geminæ Arteriæ Emulgentes in Cane.

A. Vena Cava.
B. Arteria Aorta.
C. Vena Emulgens.
D. Arteria Emulgens major.
E. Arteria Emulgens minor.
F. Ureter.

OBSERVATIO XXIII.

D. PHIL. JAC. HARTMANNI.

Anatome Veſicularum fellis & partium adjacentium non rectè ſe habentium.

I.

CUravi aliquando plurium *ſuum jecinora* afferri. Erat cujus hepar *nullum Veſiculæ indicium* præbebat: loco ejus protuberans quidam adeps extabat; quo multâ curâ remoto, non Veſiculam *ſed latiorem ductum* preſsè hepatis ſimo adjacentem offendi: exiguum erat, quod in illo continebatur fellis, vix ʒj.

In aliis nihil pinguedinis *ad cyſtin aut poros biliarios* obſervavi, *prominente veſiculâ fellis plenâ.* Addidici autem hos glandiis obſitos fuiſſe; & quidem cujus maxima erat cyſtis, maximi pori, præ aliis chalaris infectus fuerat:

Contuli quoque *fel*, quod *in ductu memorato* continebatur *cum felle Veſiculæ alterius cujusvis:* atque *illud* crocei, *hoc* coloris ſubviridis nigricantis; *illud* ſaporis ſubamari, qualis non ingratus corticum aurantiorum, *hoc* verò intensè amari & ingrati deprehendimus.

II. Alio

II. Alio tempore *Ovium jecinora* numero plura contemplatus, incidi non raró in *cyſti* prorſus *deſtituta, pro biliario* iſtum *occupante locum*. Harum Ovium carnes ſuaviſſimas Laniones laudarunt.

Hâc occaſione etiam *hirudines*, Gliſſonio & aliis jamdudum traditas, ſæpius detexi, quæ tepidâ affusâ motus ciebant ſatis diu: adverti autem *vitium ſemper in cyſti & poris biliariis*, cujus indicium alba & craſſa tunica præbebat.

III. Aſportabatur à Curioſo Diſcipulo *Veſicula fellis* cum portione hepatis: *Vaccæ* illa fuerat, *quam Epilepſia proſtraverat*. *Poros biliarios*, majores, minores intus cruſta ſ. lamina Tartarea minutim obduxerat (quales cryſtallis quaſi ſacchari aſperos non ſemel jam olim conſpexeram:) Ex his autem *duo rami Veſiculam diverſis itineribus adibant*, uti lactis injecti adminiculo cognovi; *Non* quidem quod lac *manifeſtis orificiis* in veſiculam exoneratum fuiſſet, (id quod in aliis ſubjectis non ſemel nobis ante oculos ſtiterunt *anatomæ*, *quas ad uſum ſingularum partium ſ. n. demonſtrandum inſtituimus:*) *ſed* quod *per poros exiguos* uterque ramus ad ſuam quisque partem lac dimanare faceret.

Urgentibus verò injectiones, *inversâ Veſiculæ tunicâ glandulæ Bartholini miliares* lacte turgidæ in conſpectum prodiêre: atque abſterſio dilucidè ob oculos ponebat, quàm lac ex harum porulis exſudaret, in tantùm ut totam ſuperficiem redderet irriguam, cujuscunq; partis, in quam quisq; ramus incumbebat.

Ipſa verò *Veſicula* intra ſe complectebatur ſ. *pilæ ſ. calculi rudimentum*; anſerini ovi magnitudine, mollitie argillæ, placentæ in modum complicatum, à quadam parte tres digitos craſſum erat: diductis laciniis ad iſtius craſſioris partis receſſum tanquam ad ſpeluncam erat reſpicere. Laciniæ ipſæ erant minus craſſæ, intus in ſe reflexæ tandem convolutæ cum illâ craſſiori parte in globum conceſſerant. *Intima Veſiculæ*

ſiculæ tunica hinc inde quoq; Tartareis laminis erat incruſtata. *Vid. Fig. XI. & XII.*

Uſus ex Anatome Veſicularum fellis & partium adjacentium non rectè ſe habentium.

I. Cum non malè apud *Philoſophum* 4. P. A. 2. fin. & L. 3, 12. *longæ vitæ cauſa fellis vacuitas* aſſeratur, quidni *& ſanitatis?*

II. Quomodo *bilis balſamum* erit corpus à corruptione defendens, quæ in ipſius perniciem inteſtinos hoſtes animat.

III. Cum neceſſum ſit dari *excrementa*, uti *ſanitatis argumentum* duco, ſi *exiguâ* ſunt *quantitate*, ita *& ſi ſapore ſunt à dulci non prorſus alieno:* iſto enim pinguedinem animalis & ſuavitatem carnis non corrumpent: *exceſſus* autem *alienorum à dulci ſaporum* non poteſt non *naturæ animalis eſſe inimicus.*

IV. *Pori & Veſiculæ* cum tantilla ſit *differentia*, *nullum fellis in his partibus erit diſcrimen.* Pro ſanitate Corporum, aut totius maſſæ ſanguineæ, in his illis corporibus diſcrepabit bilis, non in partibus ejusdem corporis, ſani aut ægri, niſi ex accidente prorſus.

V. *Quæ cruda, quæ cocta bilis Veteribus* fuerit dicta, dicendave, ex datis exemplis puto liquidum reddi poteſt.

VI. *Veſiculam fellis non niſi per accidens eſſe neceſſariam*, cum in nonnullis deficiat magnitudine: qualis collectio de Liene eſt *Philoſophi* 3. P. A. 7. *conf.* 4. G. A. 4. *med.*

VII. *Epilepſiam à Tartarea bile oriri: potius à ſanguine*, quo nimis craſſis terreſtribus particulis, quæ in lapideam naturam promtè abeunt, abundante, factum, ut pori biliarii illis ſeparandis non ſufficerent, corrupto ab obſtructione per confertim irruentes ipſorum miniſterio.

VIII. *Obſtructis poris majoribus per alios ramos ad Veſiculam diverticulum obtigit*, ut per hujus porulos quod tenuioris bilis ſupererat, exſudaret.

IX. Sed & hoc qualecunque fuerit, nimis limoſum aut mucoſum lateribus Veſiculæ prius adhærens, à lateribus per novum commeatum bilis in cavitatem mediam propulſum, ob compreſſionem Veſiculæ partibus tenacioribus pituitoſis ipſi conglutinatis, incrementa diverſa ſumſit, laciniisque caſu, aut Ventriculi motu complicatis *pilæ rudimentum* prodiit.

X. Idem credo, ſi vita animali ſuppetiiſſet, longius *in calculum fellis* obriguiſſet, cum aſſervatum nunc rigorem calculi prorſus præ ſe ferat.

XI. Quod *cruda bilis à vitio totius maſſæ ſanguineæ*: quippe hydatidibus plenum hepar unà cum pulmonibus huic Vaccæ fuerat.

XII. *Plerique omnes morbi ab Oeconomia nutritionis læſa, inprimis vitio organis defecationi* ultimi alimenti *deſtinatis illato.*

XIII. Rectè à CL. Bontekoe paſſim illæ minutiæ diviſionum apud Anatomicos damnantur, quæ tantùm abeſt ut illuſtrent, ut rem potius obſcurent. Quod vitium Veteres, Pædiæ gnari, ſtudio evitarunt, ſolicitò rem ipſam exprimentes, ſingularium appellationum minus curioſi. Quantum enim momentum e. g. ad generationem bilis percipiendam conferunt nomina iſta, ductus hepaticus, Gliſſonianus, &c? Sufficit noviſſe, trunco uno bilem in duodenum exonerari, ad hunc truncum verò omnes poros derivare bilem ab hepate, ſive illi inſerantur veſicæ, ſ. ductibus extantibus in ſuperficie hepatis, ſive etiam ſubſtantiæ hepatis immerſis ductibus inſerantur quomodocunque. *Fig. XI. & XII.*

Explicatio Fig. XI.

Facies pilæ mucoſæ in Veſica fellis vaccæ repertæ, quomodo

in ſitu erat ſibi relicta, cum hiatibus & foraminibus, ubi margines partium non coierant.

Fig. XII.

Ejusdem pilæ facies, laciniis ſuis explicatæ, ubi

A. Craſſisſimam partem, in quâ hiatus quaſi ſpecum efformat.

B. Mediocris craſſities.

C. Tenuisſimæ partis ſpeciem exhibet, hæc vel bis in ſe replicata & convoluta cum aliis ſpeciem pilæ efformaverat, qualem altera figura offert.

OBSERVATIO XXIV.
D. PHIL. JAC. HARTMANNI.
Anatome Glandiorum.

IN *Corde Suis* glandia complurima, ultra viginti in parenchymate utriusque ventriculi intimiori, obſervavi: ſingulos ſcrobiculos ſingulæ tunicæ albæ oppleverant; tunicis inciſis peculiaris tenuis membranæ folliculus eximi poterat, qui præter limpidum humorem funiculum candicantem fili albi inſtar convolutum complectebatur, ipſisſimum vermiculum.

II. *In aſſati Leporis pulpamento* nemo quidquam vitii advertebat, ipſo verò inciſo multum aquæ proſiliebat: in cujus cauſam intentus, cavitatem inſignem, quæ juglandem minorem caperet, atque in hâc glandiorum congeriem latitantem inveni, multis particulis quaſi pituitoſis in duritiem excoctis, quales ex ruptis glandiis prodeuntes cohærere conſtat, ut filum nodis implicitum exprimerent.

III. Æquè *in piſcium non uno genere*, in Percis, Erythrinis, Luciis, Carpionibus, &c. per hepar, ventriculum, inte-

ſtina,

ſtina, carnem, &c. iſtiusmodi folliculos candicantes & eminentes animadverti, è quibus apertis alba filamenta educere fuit longâ ſerie. Piſcatores ſtatis temporibus cuique generi id vitii obvenire perſuaſi ſunt.

Uſus ex Anatome Glandiorum.

I. *Ariſtoteles* 8. H. A. 21. χαλαζῶσι δὲ μόνον τῶν ζώων ὧν ἴσμεν ὗς. Scaliger in Comment. *Utinam non dixiſſet hoc Philoſophus; Nam & gallinas vidimus nos aliquot, & lepores non paucos, homines verò plurimos, quorum ſanguis eſſet arenoſus.* An illo, ὧν ἴσμεν; an verò illo, quod non eadem in omni animantium genere glandiorum ratio; *Ariſtoteles* excuſari queat viderint alii.

II. Iſti quoque *Ariſtotelis* effato 3. P. A. 4. fin. μόνον δὲ τῶν σπλάγχνων καὶ ὅλως τῶν ἐν σώματι μορίων ἡ καρδία χαλεπὸν πάθος οὐδὲν ὑπομένει; contradicit noſtra Anatome: utut *Ariſtoteles illud ex Hippocratis* L. 4. *de Morbis* S. 13. §. 18. hauſerit, ubi ſimpliciter citra cautiones *à Philoſopho* adhibitas dicitur, νόσημα ἐν τῇ καρδίῃ οὐδὲν γίνεσθαι. Verùm ſalva res eſt, ſi illud, χαλεπὸν πάθος; ſi illud, ὑπομένει; probè rumines. Hocq; *Aretæus de Ca. & Si. Acut.* L. 2, 1. ponderans, ἢν μὲν ἡ καρδίη, inquit, πάθῃ, οὐκ εἰς μακρὰν τοῦ θανάτου ἡ ἀμβολή. Vid. ſeqq.

III. *Ariſtoteles* 8. H. A. 21. *loca glandiorum in ſuibus* ſolùm crura, collum, armos & partem inferiorem linguæ memorat. An non ſufficiens enumeratio partium, cum & Cor ſit addendum? an verò ſubintelligendum iſtud ὡς ἐπὶ τὸ πολύ?

IV. *Glandia*, aut quocunque nomine his affines veniant puſtulæ, *nidos eſſe vermiculorum*, mihi ſit veroſimile.

OBSERVATIO XXV.
D. PHIL. JAC. HARTMANNI.
Anatome Lienum.

I.

IN *Sue* glandiis obnoxio hujus *parvitatis* Lienem conſpexi, ut minimi digiti longitudinem non excederet, craſſitie & latitudine pennam anſerinam tantum adæquaret: inde adeò inquirentis oculis ſe primum ſubduxerat: *Vaſa in eodem* ægerrimè conſpiciebantur ob exilitatem, & numero pauciſſima; carneam quandam particulam integra compages referebat.

II. *In Lepore* Lien vix ad longitudinem & latitudinem digiti indicis, ad craſſitiem autem folii ſummi braſſicæ accedebat.

III. *In Cane* digiti minimi longitudine Lien lumbricum referebat.

Uſus ex Anatome Lienum.

I. *Lienem non eſſe viſcus neceſſarium*, hujus ſignum poſuit *Philoſophus* 3. P. A. 7. fin. quod in nonnullis deficiat magnitudine.

II. *Plinius* 25. H. N. 5. de Teucrio herba habet fabulam, cur Splenion à quibusdam vocetur: *Narrant*, inquit, *ſues qui radicem ejus ederint, ſine ſplene inveniri.*

III. *Vaſorum ad membrum proportio.*

OBSERVATIO XXVI.
D. PHIL. JAC. HARTMANNI.
Anatome Porcellæ Hermaphroditæ creditæ.

P*Orcella* miſſa, quæ ad genitale inter feminæ, ſpecie teſticulorum Domino impoſuerat: ſtatim ut contemplabar laxius pendulos herniam ſuſpicabar, cum ſuillo generi revincti ſint teſtes: nec tamen retrocedebat quidpiam ex tumore vel fortiter compreſſo. Apertus verò *bubonoenterocelen*, miroque modo extenſum peritonæum, relicto anguſto tramite, detexit: ilii maxima portio cum meſenterio omne ſpatium *ficti ſcroti* impleverat, altero *proceſſu Uteri unà illuc protruſo*, in tantum, ut alter proceſſus etiam ex ſuâ ſede deturbatus inveniretur. Protrahi omnia ex ſcroto illo poterant per anguſtam viam adhibitá dexteritate. Ad extremitatem *Proceſsûs Uteri intruſi nec tubæ, nec teſticuli juſta conformatio*, cum præter ſolitum compacta & diſtorta eſſent omnia.

Uſus ex Anatome Porcellæ Hermaphroditæ creditæ.

I. Cum *Hernia* inveniat *diſcrimen ratione loci, & ratione materiæ; ratione materiæ* fortè illam quis ulterius dividendam arbitraretur, utpote cum non ſolùm ab inteſtinis, ab omento, à carne, &c. enterocele, epiplocele, ſarcocele, &c. ſed & à meſenterio, ab Utero, &c. nomen Herniæ imponendum noſtra ſuaderet anatome. Aſt dividere res non eſt easdem frangere: & ἀκυρολογία erit iſta nimia ἀκρίβεια: quæ ἀπαιδευσία rem Chirurgicam fœdè deturpavit.

II. Et *ſequiorem ſexum Bubonocelæ eſſe obnoxium*, cum ſint qui ambigant, ob negatos ſ. n. Peritonæi proceſſus.

III. Ut *monſtroſa* fiant pleraque *non conceſsâ liberâ Naturæ opificio officinâ.*

OBSERVATIO XXVII.

D. PHIL. JAC. HARTMANNI.

Anatome Vitulæ Hermaphroditæ.

TAles Coloni & laniones norunt dari conjecturam ex umbilico capientes. Non comparebat *lorum* in denudato, *teſticuli* tamen ita *Vaginæ muliebri* extus appenſi erant, uti aliàs ipſos in ſexu virili peni appendi contigit: ſed & *maſculini generis eosdem teſtes conditio partium evincebat*, quippe hæc *epididymides* à reliquo corpore diſtinxerat. Iſta itaque Vitulum volebant: aſt *Vagina*, & huic inſerta *urethra*, *ductus* item *vaginales* volebant Vitulam: *defectus* autem *penis*, & *defectus uteri, cæcâ vaginâ*, volebant Hermaphroditum. Habes itaque animal & maſculini, & feminini & neutrius generis abſque ulla Ovidianâ Metamorphoſi androgynon:

Nec duo ſunt, ſed forma duplex; nec femina dici,
Nec puer ut poſſit: neutrumq; & utrumq; videtur.

Uſus ex Anatome Vitulæ Hermaphroditæ.

I. *Quis omnium dabit cauſas*, quàm multa ſunt in rerum natura, quæ nemo, niſi is qui fecit, ſcire poteſt!


II. *Perfectos Hermaphroditos non dari:* i. e. qui utriusque ſexûs æquè abſolutis gauderent genitalibus. Τραγαίνας *Ariſtot.* 4. G. A. 4. *med. conſ.*

III. *In Hermaphroditis alterius ſexûs membrum præpollere,* uti in hac noſtra femininum ſuperaſſe reddet manifeſtius.

Fig. XIII. XIV. XV.

Expli-

BRITISH MUSEUM NATURAL HISTORY.


Vitula
Hermaphrodita.
Anno 86. m. Iunii
F. 13. ad p. 63.
1
2
2
3
3
4
4
5
6
7
F. 15.
ad p. 63.
10
F. 14.
ad p. 63.
8
9
9
F. 16.
ad pag. 66.
A
A
B
B
D
D
D
D
C
C
C
E
E
F
F
F. 17 ad p. 67.
A
A
B
B
B
A
A
C
D
E
F
F
Convolvulus
in Gallina juniori
Anno 83. m. Aug.

Explicatio.

1. Veſica Urinaria. 2. 2. Arteriæ Umbilicales. 3. 3. Epididymides. 4. 4. Teſtes. 5. Clitoris. 6. Vagina Uteri. 7. Inteſtinum rectum. 8. Inſertio Urethræ. 9. 9. Ductus Vaginales σύςοιχοι. 10. Vagina Uteri inverſá imperforata.

OBSERVATIO XXVIII.

D. PHIL. JAC. HARTMANNI.

Anatome Ventriculorum intus latitantibus aciculis.

I.

V*Entriculus anſerinus* à Diſcipulo afferebatur *oblongâ carneâ appendice* notabilis; hujus originem rimantes obſervamus ab intima tunica per craſſum muſculum ventriculi canalem ad appendicem tendere; qui à muſculo ſeparatus, anguſto meatu detegebatur: *Cujus productio*, appendix illa extra ventriculum propendula, non iiſdem conſtabat partibus; quum quæ *proxima Ventriculo* digitum minimum craſſa, articulum longa chylo compacto referta eſſet, tunicâ interiori illi Ventriculi aridæ & aſperæ reſpondente: *quæ verò ab hâc progrediebatur* diſtorta alia, pennæ anſerinæ craſſitie, *acum rubigine ferè conſumtam ſtriisq; exeſam* complanatam reddebat: caput deerat, ut ſcrupulum injiceret, ſi non alius quivis ſtilus ferreus fuerit. Circumdederat autem acum chylus niger, compactus itidem: *finis hujus canalis inſtar inteſtini cæcus erat*, niſi quod prominente acûs acumine perforatus eſſet.

II. *In Anatis Ventriculo* globus plumbei æmulus extabat, cujus tunicas ſuſpenſo cultro ſeparanti, pediculus prodiit, à quo hic globus dependebat. Abſceſſum judicans in-

ductum

ductum inquiro diſſecto Ventriculo, qui quidem ductum commonſtravit, ſed ſtilo non penitius pervium. Globum itaque medium dividere cogor, atque *acicula ex orichalcino filo nitida*, compactâ nigricante maſsâ, quam per foramen illud tranſiens chylus reliquerat, ſepulta erupit. Cuſpis aciculæ exteriora verſus vergebat per globi tunicam transparens: obtuſior pars capite erat minuta: canali quo tranſierat intus rugoſo & aſpero.

Uſus ex Anatome Ventriculorum intus latitantibus aciculis.

I. *Sanis exiſtentibus corporibus chylus interceptus non facilè putreſcit*, ſed exareſcit magis: an illud non fieret, ſi *fermentis* Oeconomia nutritionis ſua ſ. n. perageret?

II. *Mechanicam* mihi ediſſeri vellem, *quâ Natura acuminatas partes extrorſum protruſit*, non ita obtuſas: *an caſui hoc adſcribendum* magis?

III. *Quod alteram acum rubigo affecit, alteram non*, an materiæ adſcribendum, quod altera ex ferro, altera ex orichalco? an diverſis ſuccis Ventriculorum?

IV. Contra *Galenum* tales Hiſtoriæ facilè probant, Ventriculum chylo non uti in nutritionem ſui ipſius; conſumſiſſet enim in ſeceſſibus ſecluſum.

V. *Quomodo Natura novos ductus efformare eosq; ampliores reddere queat*, ſatis mechanicè ex hisce talibus declarari poteſt.

OBSERVATIO XXIX.

D. PHIL. JAC. HARTMANNI.

Anatome Gallinæ Iliacæ.

GAllinam, *quæ* & per ſuperius & per inferius guttur ſanguinem ejecerat, cultro anatomico ſubjeci. *Inteſtina* è regione extremitatum cæcorum intuens, ubi

duri-

duritiem adverto, deglutitum quidpiam ſuſpicor: atque incidenti *corpus globoſo capite, cum hiatu obſcuro, piſciculum imitans, quod muco ex coagulato ſanguine interioris tunicæ obductum erat*, ſeſe offert: quod autem educenti minimè obſequeretur, oppoſitam partem patefeci; hinc quando adnatum quoddam corpus videbatur: reduplicationes enim intruſi preſsè adjacebant, ut unum idemque continuum inteſtinum juraſſes. Denuò divellere ab invicem malè connexa tentanti, ſupernum quidem ceſſit aliquantùm, infernum verò priſtinam retinebat ſedem: Quare & *corpus, quod piſciculum imitabatur*, ſecandum veniebat, atque tunc demum manifeſtò ante oculos ponebatur (1.) inteſtini, cum parte meſenterii integerrimâ, ſeſqui articulum longa intruſa portiuncula: (2.) alia portiuncula ejusdem longitudinis inverſa, rubicunda & mucoſa: (3.) reduplicatio recti arctè ſuperficiei alterius adhærens ac ſi adnata fuiſſet. *Vid. Fig. XVI. & XVII.* Memorabile quod *in cæcis* dura *ſcybala*. *In ventriculi orificio* multum bilioſæ & ſanguineæ colluviei, ipſo Ventriculo rectius ſe habente, utut quædam partes ſanguinolentæ evaſiſſent. *In Recto* pariter ſanguinei quidpiam occurrebat, tunicâ interiori eodem colore infectâ.

Uſus ex Anatome Gallinæ Iliacæ.

I. Quod *paſſionem Iliacam non ſolùm contorſio* aut convolutio inteſtini, unde & convolvulus audit, *ſed & unius in alterum intruſio cauſetur. Exc. Dn. D. Starck, Collega meus honoratiſſimus*, Puerum duodecim annorum à graviſſimo in os ſacrum lapſu ex Ileo mortuum incidens, *præter inteſtina flatuum plena, præter inflammationem & abruptionem meſenterii propè colon, inteſtinum rectum contortum* invenit.

II. *Galenus* 6. *de Symptom. cauſ.* c. 2. *quod ſatius ſit in hujusmodi affectibus, ut dicamus, Ventriculum non trahere, ſed ſuſcipere duntaxat ea, quæ ob inteſtinorum compreſſionem vio-*

lenter ſurſum feruntur. Nam quod inteſtina conſtringuntur, id ipſis ſ. n. convenit. H. I. Rectè inde ejectio ſanguinis per guttur ſuperius intelligi poteſt.

III. *Quidnam* autem *ſanguinem ex inteſtinis elicuiſſe dixerimus?* an vehementiam motûs inteſtinorum nullô affusô chylô? an fermenti cujusdam corroſivi acrimoniam? an magis inflammationem partium?

IV. *Cum ſ. n. in cæcis Volatilium liquidiores ſint feces, quæ cauſa ſcybalorum?* an quod ceſſante preſſione ſequentis materiæ, occluſo tranſitu, in his feces ſubſtiterunt? an quod omnis motus cæcorum à conſtrictione ſuperiorum inteſtinorum? hæc ubi defecit, cæca neſciverunt ſua ejicere? an verò & inflammatio in cauſa fuit? cum unius ejusdem rei, uti poſſunt, plures etiam fuerint cauſæ.

Fig. XVI. & XVII.

Explicatio Fig. XVI.

A. A. Inteſtinum tenue.

B. B. Locus, ubi inteſtinum craſſum tenui ita annexum erat, ut unum videretur continuum, cum craſſius, quàm hîc depictum eſſet, tenue ante apertum.

C. C. C. Portio inteſtini inverſi, muco ſanguinolento obducti, quod deradi poterat.

D. D. D. D. Inteſtinum craſſum, quod inverſam portionem tegebat, apertum.

E. E. Inteſtina cæca fecibus duris ſtipata vel farta.

F. F. Inſertiones cæcorum.

Fig. XVII.

A. A. A. A. Initium & finis inteſtini tenuis intra inverſam portionem craſſi concluſi & abſconditi.

B. B. B. Portio Meſenterii una incluſi inverſo craſſo cum tenui.

C. C. Diſ-

C. C. Diſſecta portio inverſi craſſi.

D. D. Connexio inteſtini tenuiſſimi cum inverſo, ut reduplicatio appareat.

E. Connexio inverſi cum recto ibidem, ut reduplicatio compareat.

F. F. Inteſtina cæca.

OBSERVATIO XXX.
D. PHIL. JAC. HARTMANNI.
Anatome Scirrhorum.

I*Nſignis Gallinæ* erat *tumor ad confinium*, quod apicem oſſis *ſterni* & claviculas dirimit, tribus quaſi globis coagmentatus, pinguedine intertextâ citra peculiarem membranam annexus erat muſculis, in his quibus utut ægrè, conſpicere tamen erat rupturæ veſtigium. Diſſectus tumor albicantem carneam maſſam corticatim circa nucleum quendam concretam exhibebat: aliquando cortices hiatu, aliquando divulſione dignoſci poterant. *Vid. Fig. XVIII. Intus ad latera inteſtinorum propè meſenterium tria rotunda corpora*, ſed variis eminentiis aſpera comparebant; *duo ægrè hærentia*, quæ nullâ vi admotâ, ſuâ ſponte in manus eximentis inciderunt: cutis horum cineritia, muco veluti oblita: *tertium* maximum albicans ab inteſtino certis fibris annexum erat pendulum. Diſſectorum horum omnium eadem conditio, eadem facies quæ Tumoris externi.

Uſus ex Anatome Scirrhorum.

I. *Quod corpore optimè valente, ſanguis etiam extra vaſa concoquatur*: fuit hæc Gallina habitior, fœcunda, præpinguis, ſaniſſima.

II. *Quod à ſanguine extra vaſa purpurea Tinct. tanquam*

volatilis abeat, relicto albo terreſtri, cujus fibrarum condenſatio ſucceſſiva cortices dedit carneos.

III. Ita enim corticatim tumorem concreviſſe auguror, *quod unam vel alteram guttam ex vaſis dilapſam coagulatam, aliæ novè affluentes circumcirca cinxerint, hasq; aliæ ſubinde ſuccedentes,* quousq; ſpatium invenerint.

IV. *Fidem* quoq; *illi Venatoris, in Exc. D. Rommelii Diſcurſu Phyſico-Medico de fœtibus Leporinis, relationi faciet:* ſcilicet abſcedere poſſunt absq; ullo molimine exareſcentes iſtiusmodi globuli ſubtracto nutrimento, non minus ac in vegetabilibus uſu venire novimus.

Fig. XVIII.

OBSERVATIO XXXI.

D. PHIL. JAC. HARTMANNI.

Anatome Uteri Suilli Fœtibus diſparis magnitudinis.

IN hujus *dextro cornu ſex, in ſiniſtro tres, omnes maſculi,* fœtus continebantur. Aſt *in dextro duo embrya puſilla* vix tertiam reliquorum partem magnitudine attingebant, alterum verſus tubam, alterum verſus vulvam inter majora erant ſita: *unum ex his* glandulam chorio Majoris annexam credideram, quippe nullus liquor aderat; inquirens autem, numquid latitaret, tres tunicas cum embryo umbilico à tunicis pendulo detexi: erat avellanæ majoris magnitudine, emarcidum & exaridum, integrum tamen, quoad partes omnes, clauſo jam abdomine.

Vid. Fig. XIX.

Uſus ex Anatome Uteri Suilli, fœtibus diſparis magnitudinis.

I. *Numquid ſuperfœtatio exinde* deducenda? ſanus fui

Ute



Tumor ad apicem Sterni in Gallina. Ac. 83. M. Octb.
ad p. 68. Fig. 18.
Ex parvis mesenterii ſcirrhosis tumoribus
Corticatum opus.
Fig. 19.
ad p. 69.
Superfoetatio in Sue.
Suillum Embryon antepenultimum emortuale Sceleton iſtâ magnitudine, reliquis 5, ejusdem cornu, ſpithamam longis.

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY

Uterus, neque vitium uſpiam adverti, niſi quod extrema choriorum flaccida & mucida. Fœtus tamen emortualis aridus? An Priorum incrementum hujus mors fuit? *Ex alio Utero Suillo emortuale ſceleton necdum digiti longitudine exemi, cum reliqui fœtus ad ſpithamam accederent.*

Vid. Fig. XIX.

II. Magis *tunicas, chorion, allantoidem, amnion à fœtu, derivandas* iſtæ dictabunt hiſtoriæ: cum hæ fœtu mortuo unà contabuerint, nil quicquam prohibente Uteri incolumitate.

III. *Et hæc illuſtrare poſſunt Exc. D. Rommelii Diſcurſum* ſæpius laudatum; *quomodo etiam citra putredinis fœtorem Utero materno benè valente, embrya exareſcant.*

OBSERVATIO XXXII.
D. PHIL. JAC. HARTMANNI.
Anatome Turturis pinguedine ſuffocatæ.

TErtio à morte die hanc incidebam: *luſtratisq́ partibus ſ. n. animalis*, cum ventriculus, ingluvies, proceſſus Uteri, ovarium, omnia Gallinaceis reſponderent, *cauſam mortis disquirens, pinguedine cuncta obſepta deprehendo.* Neque *Ventriculum* ſolùm obſederat, quod in avibus fieri amat, ſed *loborum hepatis extrema* ita inveſtierat, ut hæc quaſi in theca ſive faſcia repoſita viderentur, cum prius ſpecie partis adipoſæ fefelliſſent; atque detrahi poterat promtè, æquè ac faſcia renalis à renibus: *hepar nudatum* atro-purpureum colorem dabat, cætera saniſſimum. Hinc ad *Cor* oculos conjicienti, mirum viſu, *nullo intercedente mediaſtino ope pericardii ſterno revinctum* occurrit: atque viſum quidem prius effugerat, *cum omnis ejus ſuperficies pinguedine tecta per pericardium*

tranſpareret. Nec membrana pericardii ab hac pinguedine liberè ſeparari poterat, ſed ita mutuò conſtricta erant omnia, ut tubulo immiſſo neutiquam inflari poſſet, effarcta enim pinguedine erat undique per omnes, quas ſibi effinxerat cavernulas & receſſus, ut ab illa difficulter avelleretur. *Eadem pinguedo aperto pericardio, tantum non ſebacea in grumos contra adipis naturam coierat. Pericardium* eadem juſto craſſius reddiderat: Eadem *Cordis globoſitatem* corruperat prorſus, cum hoc viſcus non στρογγύλον, ſed variè depreſſum, aliâ parte quadratam, aliâ triquetram exhiberet figuram. *Neq;* tamen *adnata erat Cordi pinguedo, prouti ad coronariam evenire ſuevit*, cum facili digitorum miniſterio ex impreſſis alveolis eximeretur. *In utroq; ventriculo* ſanguis niger; magis tamen *in ſiniſtro* cruor concreverat, tenacitate contritionem atq; ſectionem inſtar polypi difficilem reddens. Ejusdem conditionis erat *ſanguis in Vaſis Hepatis & Pulmonum.*

Uſus ex Anatome Turturis pinguedine ſuffocatæ.

I. *Pinguedo luxurians mortis cauſa*, ſanguinem pigrum & ineptum reddens ad munus ſuum, quod eſt calorem vitalem jugi commeatu ad omnes partes deferre, obeundum.

II. *Quomodo pinguedo intraverit pericardium?* viæ quidem non patuerunt, an per easdem, per quas ſerum? *quin ipſum ſerum pingue uti in ſanguinis ductibus, ita in pericardii quoq; cavitate concreſcere potuit.* An verò ruptis vaſis ſanguineis pinguis latex in illud exſudavit?

III. *Receſſus Pericardii inſoliti* ab extenſione ob vim pinguedinis ingruentem, quæ ſibi *cavernulas, quales in auriculis cordis quorundam animalium*, fibrillis ſuis intertextis hoſpitales exſtruxit.

IV. Cum nec iſta Pericardii extenſio ſatis ſpatii præberet, *moles pinguedinis incumbens motui Cordis obniti cœpit, unde alveoli ipſius ſuperficiei externæ impreſſi.*

V. *Tan-*

V. *Tandem cordis ſyſtole & diaſtole inhibitâ*, concreto unà intus ſanguine, *collapſa eſt rota quâ vitale circumagendum erat humidum.*

VI. *Grumoſum* fuit *pingue, fortè* quod non prope vaſa ſanguinea conſtiterit, horumq; fibras non habuit contiguas: *ſive etiam* chylo crudo illud pingue permixtum fuit.

VII. *Craſſities Pericardii* accretis fibris pinguedinis: cujus vi idem ſterno impactum fuit.

OBSERVATIO XXXIII.
D. PHIL. JAC. HARTMANNI.
Anatome Gruis pinguedine ſuffocatæ.

TErtio à captivitate die, nil quicquam interea temporis guſtans, crure fracto, mortem oppetierat. Ut mittam *illa, quæ ſ. n.* huic animali aderant: *Pinguedo* plurima totum *Ventriculum* obtexerat, quin & *inteſtina* oppleverat undique. *Ventriculi tunica retorrida* nil niſi lapillos fovebat: *Ad pylorum lumbricus*, unus quoque atque alter *in inteſtinis: Veſica fellis* præ pinguedine ægrè obtutui patebat; *felle aterrimo*, quod Rob ceraſorum grumoſum colore & ſpiſſitudine præſentabat. *Interior tunica non cancellatis ſed parallelis ſolùm lineis erat diſtincta: Viam Veſiculæ ad inteſtinum* ſedulò inquirenti, nuſquam ea apparuit.

Cæterùm *in hepatis, in pulmonum, in totius Corporis vaſis, jugularibus, cruralibus, &c. Portæ, Cavæ, Aortæ ramis; in omnibus concretus erat ſanguis*, ut integri trunci majores cum minoribus ramis educi poſſent, ac ſi ceram infuſam ex modulis eximeres.

Vid. Fig. XX.

Non autem *purus putus ſanguis erat*, qui ita concreverat: *quædam partes* horum truncorum & ramorum pituitam denſam oſtendebant; *aliæ* carneum quid dilutum; *aliæ* verò ſanguinem

guinem purpureum. Erat ubi *idem truncus aut ramus ab altero latere* ſanguinis, *ab altero* pituitæ ſpecie compareret: erat ubi *diſtinctè in eodem trunco aut ramo*, miro ſpectaculo, *portiones pituitoſæ, carneæ, ſanguineæ certo ordine ſe invicem exciperent.* Qui *in venis* erat ſanguis, nigrior, qui *in arteriis* purpurei vel dilutioris coloris conſpiciebatur.

Cordis parenchyma aliquot *fiſſuris hiabat*: inſignior erat *dextri Ventriculi* fiſſura: *huncq; intus vera pinguedo oppleverat*, *ſiniſtrum* verò concreta maſſa ſanguinis, quæ columellis & infimis receſſibus in modum *polypi* adhærebat. *Conus ſanguinolentus* ſpectabatur: ſed & *Cor* uti reliqua Viſcera multa *pinguedo cinxerat*.

Uſus ex Anatome Gruis pinguedine ſuffocatæ.

I. Credo *deficiente agitatione corporis pinguem ſanguinem non excitato calore congelaſſe*: uti obeſos eapropter quoq; ſubitò vitam defeciſſe, teſtantur Hiſtoriæ.

II. Quæ *Ariſtoteles* 3. P. A. 9. *fin.* de Ovium nimiâ pinguedine; ἐγκαταλαμβανομένης οὖν τῆς ὑγρότητος καὶ τῶν πνευμάτων, διὰ τὸν σφακελισμὸν, ἀναιρεῖσθαι ταχέως; non malè ex iſtis explanari poſſunt, *in Sphaceliſmi cognitionem*.

III. *Plutarchus 2. de eſu Carnium ſub init.* Saginæ Gruum meminit: *Alii*, inquit, *gruum & olorum oculos conſuunt, incluſosq; tenebris ſaginant, ut monſtroſis miſturis, & conditionibus certis carnem eorum apparent.* H. I.

IV. Noſtris *geminas Hiſtorias* offert *Ann. II. Dec. I. Eph. N. C. obſerv. 87.* Item *Scholia in Obſervationem*: *Acta* quoq; *Medica Th. Bartholini Vol. V. Obſ. 29.*

V. Non video, *quî iſtiusmodi in ſanguine pinguedo chylus dici poſſit*, licet ex chylo eandem ſubortam eſſe certum ſit: ſimpliciter chylus non erit; non magis quàm butyrum, lac, utut butyrum ex lacte elicitum fuerit.

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY.



Fig. 20.
ad p. 73.
Cor Gruis
pinguedine
ſuffocatæ.

Annus VII.

VI. *Generatio carnis ex deciſione villorum*, quos appellens humidum ſubinde in ductus excavare novit.

VII. Ex quibus quoque explicari poteſt, *quomodo creſcere proprium ſit viventium*: quippe cum ab interno principio, per longum, latum, & profundum, reliqua augeri nequeant, viventia corpora ope villorum deciſorum illud facilè impetrant, ubi ſanguis vitalis omnia loca permeare commodè poteſt.

VIII. *Atrophia* ex oppoſito itidem *illuſtrabitur*.

Fig. XX.

Explicatio.

a. a. a. Fiſſuræ quibus hiabat.
b. b. Conus ſanguinolentus.
c. c. Pinguedo.
d. d. d. Species ſanguinis concreti extra vaſa rigidè promi-nentis.
A. Cordis dexter Ventriculus apertus.
B. B. Lobi veræ pinguedinis.
C. Maſſæ ex ſiniſtro ventriculo eductæ una facies.
d. d. ubi polypum referebat.
e. e. e. e. ubi ſanguinem concretum.
f. ex auricula.
g. g. ex vaſis.
H. ejusdem altera facies.
i. i. ubi Polypum.
K. K. K. ubi ſanguinem.
l. l. l. ex auricula.
m. m. ex vaſis.
N. Integra ex dextra auricula & adjacente vaſe educta maſſa concreta.

OBSERVATIO XXXIV.

D. PHIL. JAC. HARTMANNI.

Anatome Canis Morbidi.

COmprehenſus effundebat *Vermes latos geminos* inter ſe implicitos; *Inteſtinis* patefactis pervenimus ad *principia iſtorum in* tenuium *jejuno;* hîc enim ſtigmata offendebamus latiuſcula, ac ſi torrendo aut adurendo fuiſſent impreſſa, adeò arida atque aſpera erant loca, ut nullus humor, nullus mucus inteſtinalis compareret, hæc quæ capitibus vermium infixis reſpondebant. Cæterùm cum *vivus incidendus erat*, idque paulò ante lac hauſerat, nullum hujus, aut *lacteorum vaſorum* extitit indicium. Curioſè quoque indagavi, omnis generis *inteſtinis* diſſectis, ſicubi *glandulas* adverterem, cum *cæcum* intuenti extrinſecus occurrerent magnitudine cicerum translucentes plurimæ, quinquaginta & plures fuiſſet numerare, adeò *obſitum glandulis* erat *cæcum*, ne unicâ quidem alibi deprehensâ. *Fecibus* quoque multis diſtentum erat *cæcum*, hæ quæ cibis multo humore maceratis, quales in echinis ruminantium, erant ſimiles.

Utut autem carnoſus eſſet Canis, *pinguedinis* genuinæ nec ſcrupulum ex omnibus viſceribus redegiſſes. *Ventriculus* non procul *à pyloro* offerebat *globum* glandulæ conglobatæ ad modum: hic cum tunicis Ventriculi obtegeretur prorſus, remotis hisce necdum glandulæ ſpeciem depoſuit. Diſſectus verò diverſas foveolas & corrugatas protuberantias oſtendit, quaſi ex multis glanduloſis tunicis complicatus, neque quidquam monſtri ſuſpicabamur, donec ſtili apicem intruderemus, exploraturi ſi quà ducerent foveolæ: extracto apici tenue filum adhæſit, quod intuiti vix dum vermiculum agnovimus; inquirentesq; num errore quodam aliunde acceſſiſſet, omnes foveolas globulo ſtili excutimus; tunc demum

ultra

ultra viginti conſertos eruimus, quos *parvos, latiuſculos*, fili craſſitie, unguis longitudine, *vermiculos* deprehendimus.

Non memini me in Cane *majus* unquam *Cor* conſpexiſſe, Vitulinum longè ſuperabat, licet Canis ex minori genere eſſet. Cum *Urinæ ſecretionem in Renibus* demonſtrare ſatagerem, atque prius, calidâ per arteriam emulgentem injectâ, cruorem more ſolito eluere, viſcusque emollire meditarer, necdum Venâ emulgente vinculo conſtrictâ, tamen *ſponte ſuâ Ureterem tumefieri, illocq; non ſerum ſed cruorem avehi* percipio, cum per venam nec iſtâ copiâ, nec iſtâ facilitate, quâ ſuevit, ſanguis egrederetur. In cauſam intentus, mucosâ pinguedine intus pelvim arctè obſeſſam offendo.

Uſus ex Anatome Canis Morbidi.

I. Vulgus hic locorum credit, *ſi ferulis Canes à Coquis percutiantur hasoriri tænias*; ſcilicet cum ab iſtâ percuſſione pendulas ejusmodi alios atque alios poſt ſe traxiſſe viderint. Quæ eſt *fallacia, quâ in Phyſicis & Medicis rebus nulla occurrit frequentior, Accidentis.*

II. *Uti in vegetabilibus Cuſcuta* ſuas radices plantarum truncis infigit, quibus alimentum earum exhaurit, *pariter & hoc vermium genus* lentâ animalia conficit tabe. Huic enim *quod nullum lactis, nullum lacteorum vaſorum indicium*; huic *quod nulla pinguedo*, adſcribendum venit.

III. *Canis hic cum optimo genere eſſet ſatus, nil generoſi tamen edidiſſe*, ſed tardior ſemper atque minus alacris viſus referebatur. *An alimenti penuriæ? an dolori ex vermium ſuctione* iſtud accenſebimus? reverà qui cum inteſtinis hisce hoſtibus conflictantur utplurimum minus alacres exiſtunt.

IV. *Ut interdum doctâ plus valet arte malum!* quis Theſeus, quo filo iſtum labyrinthum eſſet ingreſſus, ad tollendam in Ventriculi receſſu abditam Vermium progeniem?

V. *Glandularum in aliis inteſtinis defectum* ſi penuriæ ali-

menti attribuimus, numquid *copiam* earundem *in cæco* attribuemus abundantiæ?

VI. *Cor magnum* in degeneri noſtro *timor arguit.* Licet *An. I. Dec. I. Obſervat. 70. Scholion* in contrarium exempla exhibeat.

VII. *Mictionis cruentæ cauſa* non ſemper calculus in Renibus.

OBSERVATIO XXXV.
D. PHIL. JAC. HARTMANNI.
Anatome Canis in partu mortuæ.

CAnicula per aliquot dies parturiens, ſed non enitens, frigore abdominis & febriculâ fœtum mortuum arguentibus, tandem extincta eſt. Aperto abdomine *Veſica* urinâ turgidâ ampla ad latus deflexerat. *Dextro proceſſui Uteri* fœtus erat incluſus unicus, ſiniſtro inani & contracto. *Pinguedo indurata*, fermè cartilaginea, *oſſis pubis cilia obſepſerat* & cinxerat undique. *Fœtus* non ultra frontis confinium in cervicem uteri roſtrum immergere potuerat, utut *niſum ejus* lingua multum exſerta ſatis indicaret. *Secundina* poſticos pedes involverat, *contagioq; putredinis partem abdominis imi in fœtu læſiſſe videbatur*, cum reliqua omnia nullâ labe inquinata forent, quamvis mater ante quatriduum mortui fœtûs ſigna præbuiſſet.

Uſus ex Anatome Canis in partu mortuæ.

I. *In obeſis difficilis partûs cauſa* pinguedo.

II. *Veſica turgida partum difficiliorem reddere poteſt,* id quod & Obſtetrices animadvertunt.

III. *Niſus embryi dolores in partu ſ. n. cauſari videtur*, hujusq; viribus, Deo obſecundante, partus feliciter abſolvetur.

IV. Illis,

IV. Illis, quæ in *præcedentis Anni Obſervatione 74. de putrefacto intra exiguum temporis ſpatium embryo*, à nobis ſunt tradita, hæc Hiſtoria dubium movet; ſi non dicendum, quod tenerior & delicatior hominis ſit conſtitutio.

OBSERVATIO XXXVI.

D. PHIL. JAC. HARTMANNI.

Anatome Picæ glandariæ Epilepſiâ enectæ.

HÆc pane per aliquot dies enutrita, veſperi epilepſiâ correpta, capite in ſellam impacto, manè exſpiravit. Secta nil p. n. oſtendit; *In ſiniſtri Ventriculi auriculâ & ſinu gelatina lucida*, piſi majoris magnitudine, vitium detegebat; tincta hæc erat verſus vas partem ſuperiorem rubore; non quidem à lateribus Cordis facilè ſecedebat, neque tamen in polypi ſoliditatem obriguerat. *In Cerebri medulla* aliquot *ſtigmata ſanguinea* erant conſpicua.

Uſus ex Anatome Picæ glandariæ epilepſiâ enectæ.

I. Sive *Epilepſia* ſive *Apoplexia* fuerit, *à congelatione ſanguinis circuitu inhibito* fuit.

II. An *acidum panis congelationis cauſam* dicamus? avidè illum devorarat, & facilè concoxerat, cum nec grumus in ventriculo diſſecto reperiretur.

III. Quod *p. n. intra medullam cerebri penetrare valeat ſanguis*, ſuo colore conſpicuus ob vaſorum expanſionem.

OBSERVATIO XXXVII.

D. PHIL. JAC. HARTMANNI.

Anatome Fringillæ Epilepticæ.

SÆpius *epilepſiâ laborârat;* paucis verò, antequam moreretur diebus, alter *oculus* mirum in modum *intumeſcere; quo detumeſcente vitium ad alterum oculum tranſire cæpit:* Agitata interno malo, evolans, ergaſſulo ſuo alliſa extincta eſt avicula. *In ſuperiori caudæ parte durus ſcirrhoſus tumor,* rupto involucro, in duas glandulas diremtus excidebat. *Cranium* intus ſanguineo rubore erat tinctum, *Cerebro* per omnia incolumi. *Oculum alterum* ad calculi duritiem induratus *tophus* occupabat. *Teſtes*, quippe mas erat, *magni*, ceraſum æquabant mediocre, ſed *putridi* ad levem contactum tabe diffluebant.

Uſus ex Anatome Fringillæ Epilepticæ.

I. *A Teſtium ſuppuratione Epilepſiam.*

II. Numquid etiam *ſcirrhoſus in cauda tumor* vitium auxit? an fortè is locus eſt, per quem avibus aliquid genitalis liquoris ſecernitur, ut proſtatarum vices ſubeant? ſanè *glandulæ illæ ſecretioni in qualemcunq; uſum inſerviunt*, unde occluſæ aut induratæ mortem avibus non raro inferunt.

III. *Tumor oculi* à vitio totius maſſæ ſanguineæ, inde facilè ab unâ ad alteram partem fuit tranſitus, propter communionem vaſorum in circuitu ſanguinis.

IV. *Tophus oculi* citra dubium ab excæcatione, in duritiem vitreo & cryſtallino compactis humoribus.

OBSER-

OBSERVATIO XXXVIII.
D. PHIL. JAC. HARTMANNI.
Anatome Gallinæ Hernioſæ.

HUic *ventriculo in loco debito relicto* omnia *inteſtina exciderant:* Verum *elapſa* iſta *juſto ordine ſurſum adacta* ſiniſtrum muſculum ſterni totum tegebant. Erant autem *peculiari tenui membranâ inſtar peritonæi circumvoluta*, atq; ita inter cutem & muſculum pectoris ad axillam usque ſtrata jacebant. Fœcunda atq; per omnia ſana erat Gallina, nullo inceſsûs vitio notabili.

Uſus ex Anatome Gallinæ Hernioſæ.

I. *Enterocelen illæſo tenore inteſtinorum non eſſe* adeò *periculoſam*.

II. *Cutis & muſculorum nexus facilè ſolubilis*, ubi pinguedo non eſt interſtrata.

III. *Peritonæum* quàm *citra rupturam* poſſit *extendi*, ut malè Hernia ejus divulſioni adſcribatur.

OBSERVATIO XXXIX.
D. PHIL. JAC. HARTMANNI.
Anatome Veſicæ Monſtroſæ.

ALlata *Veſica Vitulæ diſtenta*, neque tamen ullo modo humorem exprimere noveramus. Inſertus *urethræ* ſtilus ad veſicam neutiquam penetrabat. Quare *inciſâ urethrâ usq; ad cervicem Veſicæ, hanc coaluiſſe* offendimus; prominensque latiori urethræ parti immerſa ovi cacumen præſentabat. *Ex aperta Veſica effluebat humor lactei coloris* craſſiusculus, *fœtore graviſſimo. Coagulati vel concreti*

nil

nil aderat, niſi quod ad intimiorem tunicam Veſicæ mucilago adipi ſimilis difficulter divellenda adhæreret. Cum *Ureteres* indagaremus, *alium* invenimus intra Veſicam, parte articulum longâ proſpectantem, per quem & ſtilum adigebamus; hic qui eâdem quà Ventriculus mucilagine obductus erat: *Alterius autem Ureteris portio* digitum longa in ligamentum impervium degeneraverat. *Vide ſis Fig. XXI.*

Uſus ex Anatome Veſicæ Monſtroſæ.

I. Talis *coalitio Veſicæ* non niſi Chirurgicâ operâ tolli potuiſſet.

II. *Lacteſcentem liquorem an ad chylum referamus?* contradicente odore, ſerum corruptum potius qualicunque chyli tincturâ larvatum dicamus.

Explicatio Fig. XXI.

a.a.a.a. Coalitio Veſicæ cacumen ovi exhibens.


b. b. Urethra inciſa cum ſinu, cui illud cacumen immenſum erat.

c. Ureter, cujus pars in ligamentum degenerârat.

d. Ureter integer.

OBSERVATIO XL.
D. PHIL. JAC. HARTMANNI.
Anatome Ventriculi Piſcis Siluri, Welſſ / dicti.

NOn poſſum quin Curioſis *ex Anatomis, quas ad partes omnis generis animalium, earumq; actiones cognoſcendas* ſæpius datâ occaſione *inſtitui* particulam quandam *de Siluro* offeram. Vaſti hujus, tantum non cetacei,



Veſica monſtroſa Vitulæ integra incisa urethrâ.

Veſica monſtroſa Vitulæ aperta, cum prominula parte ureteris integri a. a. a. a.

Fig. 21. ad p. 80.

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY.

tacei, *Viſcera cum capite mihi oblata.* Aſt non eſt animus immorandi omnibus, quæ memorabilia iſtorum dedit contemplatio: ſive *dentium per totam mandibulam ſeries* continuas; ſive *os orbiculare propè fauces innumeris aciculis exaſperatum*, tanquam ſingulare; ſive etiam *Omentum*, *Pancreas*, *Hepar*, *Lienem;* quas *partes* non analogas ſed *easdem* prorſus *cum perfectiſſimis Terreſtrium* poſſedit; cum & *Renes*, hepati *parenchymate* nil concedentes, *ductus Uretericos* pennæ anſerinæ amplitudine, partem tectos, partem prominulos dimitterent; ſive ipſam *Veſicam Urinariam*, quæ inflata mediocre Struthionis ovum adæquat; ſive alteram *Pneumaticam*, cujus ductus in gulam manifeſtus; ſive *Pinnas* illarum Delphini æmulas; ſive alia quæcunque *Nutritionis, Senſûs aut Motûs organa* mente revolvam: Quamvis & *Generationis organa* memoriâ dignâ forent, Maris enim *Teſtes* grandinei cocti ſimiliter ac ova feminini generis albumen aliquod mucoſum offerebant: Quibus omnibus neglectis Unicum Ventriculi Phænomenon memorabo, quod neſcio, an ulli traditum. Corda exemta vivere, ſyſtolen & diaſtolen edere, in vulgus notum eſt: *Ventriculum* autem *eductum ultra diei ſpatium vitam traxiſſe*, hoc eſt, quod noſtram obſervationem hactenus fortè commendabit unicè. Quippe cum 8. d. menſis Junii mactatus eſſet Silurus à meridie, tertiâ pomeridianâ ſequentis diei pluribus Spectatoribus Ventriculum adhuc talem, qualem jamjam enarraturus ſum, exhibui.

Scilicet primo obtutu *animal aliquod vivum in ſe continere videbatur*, adeò mirabiles motus edebat; Verùm ubi exinanitum ipſum manibus exploraſſemus ſatis, hinc intentius in *rationem motûs* intendentes, *certis locis non procul à pyloro initium ſumere* cognoſcimus; *in modum vorticum ad tria diverſa puncta ſe contrahebat, moxq; ab iisdem punctis per eosdem vortices ſe extendebat rurſus, certâ* quaſi *ſyſtole & diaſtole.* Ad hos Vorticum reciprocantium motus & *reliqua Ventriculi pars ſuperior*, *unà cum inteſtino*, *quod pyloro proximum*, com-

movebatur. *Quotieſcunq;* autem *deſignata loca premebamus*, ad numerum motûs ejuſcemodi exſurgere vidimus; qui juſtâ interpoſitâ morâ vix ceſſabant. Tentavimus an *aquæ tepidæ fotu* vehementior concitaretur motus, aſt fruſtra fuimus. *Nec integer tantum Ventriculus, ſed & diſſectus ad veſperam uſq; iſtiusmodi motum exhibuit.* Occuparunt autem loca memorata innumeri *nervi, funiculorum contortorum ſpecie*, absq; membranæ involucro, Ventriculi ſuperficiei externæ incumbentes.

Illud adjiciam, quod in craſſis inteſtinis inferioribus multi vermiculi, quos piſcibus familiares diximus, latitudine pennæ Perdicis inſectionibus diſtincti, deprehenſi fuerint.

Uſus ex Anatome Ventriculi Piſcis Siluri, Welß/ *dicti.*

I. An *Helmontii Pylorus Rector* illis lucem accipiet?

II. An *cardiogmi* ex illis patebit *cauſa?*

III. An verò actio illa *Ventriculi ſ. n. concoctionem* explicabit? fateor, licet non unius generis animalia viva ſecuerim, nunquam me *adeò validum ſibiq; conſtantem*, nedum ut *per tot horas* perſeveraſſet, *Ventriculi motum* advertiſſe: *Inteſtina* quidem, quousque calor illa animavit, *motum ſuum edidiſſe*, in pluribus contuitus ſum, verùm non plus ultra. *Exc. Wepferus* in Canicula provectioris ætatis, nuce vomicâ peremtâ, *Ventriculum* circa antrum pylori, circa medium, & verſus ſtomachum, *alternante contractione & relaxatione, unà cum inteſtinis*, pridem emortuo corde, & ſanguine propè omni effuſo, *diu, quousq;* ſcil. *illæ partes caluêre, moveri vidit.* De quo pluribus *conſulatur ipſius* eruditiſſima *Hiſtoria Cicutæ aquaticæ c. 13.*

IV. *Cur non in aliorum ſanguineorum*, e.g. *terreſtrium* membranoſis, *nervoſis, partibus motus ita ſit perſeveraturus*, viſcoſitati humoris vitalis adſcribendum puto, quam propter

ſpiri-

ſpiritus non ita promtè avolare queunt. Sic memini me non ſemel *embrya* grandiuſcula canum, felium, &c. *media* ſub diaphragmate *viva ſecuiſſe, atq; à pedibus per horam ad compunctionem motus fuiſſe obſervatos,* id quod in juſtæ ætatis animalibus iſtis non eveniet. Quamvis *vigori & vivacitati Siluri* multum debeatur, quod non omnes cujuscunque generis Piſcium Ventriculi iſtud ſpectaculum ſint præbituri, experimento cuivis obvio: plus tamen *ſingulari nervorum texturæ* debebitur.

OBSERVATIO XLI.
D. SAMUELIS LEDELII,
De
Vomitu diuturno lethali.

VOmitus admodùm debilitare, norunt febricitantes & hyſtericæ; diu autem illum duraſſe, eſt inter rara reponendum. Corporalis Cæſareus, ſtatæ ætatis, in Hungaria, fuſte plagam acceperat circa regionem ventriculi, inde poſt dolorificum ſenſum hoc reportavit mali, quod ſingulis diebus bis, poſt cibum ſumptum, vomuit, idque per quinquennium continuavit, usque ad horam mortis; quam videbat Grunbergæ Sileſiorum. Poſt vomitum ſummè erat famelicus, nec tamen ob metum vomitûs, appetitui indulgebat, niſi ſtato comedendi tempore. Interim corpus exiſtebat aridum & exſuccum, ut conjectu eſt facile, & lenis tuſſicula eum infeſtabat. Ultimo mortis articulo conatus vomendi ipſum adhuc excruciabat, cum diſſipatione ſpirituum, lipothymia & exſpiratione animæ. Eodem ſymptomate obiit Nobilis Luſatus 62. annorum, qui in juventute erroribus diætæ, utpote in aula vivens, nimium quantum fuit deditus, indeſinenter omnia rejecit, quæcunque adſumpſit, interdum etiam materiam nigricantem, ſed vix paucos pertulit menſes hunc affectum, ſiquidem poſt languorem & atrophiam

phiam ſucceſſit mors, integris omnibus ſenſibus. Vir eximius in Marchia, poſt ſemeſtre ſpatium, vomitu diurno & nocturno labefactatus, obibat etiam. Omnis cura & hîc erat vana: laudanum opiatum aliquoties ſopivit malum, ſed ſtatim vires reſumpſit: ſpiritus maſtichinus, tinctura Catechu & alia ab Autoribus laudata, ſpem meliorationis faciebant; ſed recidivæ illam decollabant. Omnes hi ſi fuiſſent diſſecti, cauſa eluceſcere quiviſſet, quæ certè non apparuiſſet eadem in hisce tribus ſubjectis, licet in eo concurrerint, quod Archæum irritarint: petii hoc à cognatis, at nihil impetravi. Lege, ſi lubet, Obſerv. 32. Cent. 4. Guilielm. Fabric. Hildani. Riverii item, Centur. II. Obſerv. 48. Ephemerid. noſtr. Dec. I. Ann. 2. Obſ. 224.

OBSERVATIO XLII.
D. SAMUELIS LEDELII,
De
Curioſis verè curioſis.

PLacet in theatrum producere talia, quæ Curioſis non erunt ingrata. Datur Panacæa, (locus & perſona lateat ſilentii ſipario obtecta) quæ in forma pilulari exhibita ad gr. ij. iij. pro doſi, radicitus tollit omnes morbos Chronicos & deſperatos. In fidem do pauciſſima. Epilepſiam, quæ ab ipſa pueritia inſedit, mediante ſudore copioſiſſimo radicitus extirpavit. Venenum per annum latens, expulit in fœmina, quæ plus quàm ducentos thaleros per hunc morbum abſumpſerat. En! à prima doſi in momento horrendi vomitus excruciarunt ægrotam, quæ tamen exantlatis his melius ſpiravit: data altera doſis expulit ſudorem copioſiſſimum, fœtidiſſimum, blando ſomno ſubrepente, cum reconvaleſcentia. Plerumque enim poſt ſudorem grata quies refocillat artus. Apparet ex his, mineram accepti veneni non tantùm reſidere in ventriculo, ſed & omnibus partibus corporis,

poris, attamen è ventriculo veluti aſtrali influxu irradiare, infauſto licet aſpectu, reliquos artus & totum venoſum genus. Hæc Panacæa conficitur ex auro, & centum ducati communiter una vice diſſecti, requiruntur ad enchiriſin, diſſolvuntur menſtruo non corroſivo, ſed blando, quod oculo immiſſum nullos dolores excitat: labor abſumit quatuor aut quinque ſeptimanas, & neceſſe eſt, ut ſit continuus, diurnus & nocturnus. Ergo Dii (Deus) mortalibus nil ſine labore dedêre. Operoſam auri trituram exhibuit *Langelottus* Curioſis, qui videatur *Obſervat. 59. Anni 3. Dec. I. Ephemerid.* Memini me Warttenbergæ, in Ducatu Glogovienſi, dum eram P.P. Societatis Jeſu tum temporis Medicus, vidiſſe oleum auri, (ita vocabant,) absque ſingulari odore & ſapore, obſcuri coloris, cujus tres guttæ pro doſi datæ, in febribus petechialibus & putridis mira faciebant, mediante ſudore uberrimo. Sed hoc videtur veluti umbra de vero corpore memoratæ Panaceæ, ſcribo hoc, propter ſummam ejus efficaciam, licet illud oleum fuerit & pretioſum, & ſatis penetrabile. Peſti hæcce Panacæa epinicium canit, & cecinit Anno 1680. & ſeq. lui venereæ, ut & omnibus impuritatibus corporis nidum deſtruit, paucos intra dies. Cancer faciei per annum durans in fœmina, cum fœtore abominabili, fuit ſublatus balſamo exterius illito, ſuperimpoſito emplaſtro, (ſunt etiam hujus Artificis,) & data Panacæa. Virtus renovativa utique hìc quærenda erit, alias tàm efficaciter hæc prodeſſe nequiviſſent, quùm etiam optima, & ab aliis ſummè recommendata nos dereliquerint ante annum, in cancro mammæ exciſo, & tamen per recidivam funeſto. Offenditur apud huncce Adeptum amuletum, quod profuit puellæ, quæ per plures annos faſcinata, omni manuum & pedum uſu vixit deſtituta, cum maximis doloribus: geſtavit appenſum de collo per duos dies, & in integrum fuit reſtituta. Diſceptationem de uſu & operatione amuletorum non faciam meam, quid tamen de hocce ſtatuam, ſincerè aperiam. Quid ſi fuiſſet medicamentum ſummè volatile? (novi

enim huic Chimico ſalia volatilia conficere eſſe vulgaria, trita, & vix æſtimanda,) quod pro penetrantia ſua affecit ſpiritus, qui ad Archæum fugientes (liceat ita loqui) ipſum animarunt, ad excutiendum fomitem morbificum, cui ſuppetias tulit virtus medicamenti ſpecifica, quæ continuis effluviis ipſum non ſivit ſuccumbere inſultibus morbificis, ſed continuitate tandem ſuperavit. Videntur autem amuleta ſuas operationes perficere, aut via manifeſta, aut occulta: via manifeſta, dum effluvia vel emittunt, vel attrahunt, & ita noxia annihilant: occulto modo dum virtute magnetica aut ſpecifica morbidum pellunt, qui modus erutu & explicatu difficilis. Unum addo. Novimus Anglorum infuſionem ſeminum, in certo liquore, ob multiplicationem, ſed quod hunc uſum, licet gratum, excipit, incommoditas eſt, & damnum, ager namque omne id quod fructuoſum continet, una vice explicare cogitur, ſterilis poſtmodum exiſtens. Hic Nobilis Artiſta plures produxit uvas iſthoc modo. Vitem viniferam in conclavi aſſeri inditam, balſamico inunxit liquore, & vitis uvas protruſit pulchris racemis, absq; ulla alia ulteriore manuaria opera. Vides hîc ſpiritum Mundi?

OBSERVATIO XLIII.
D. SAMUELIS LEDELII,

De

Vagitu uterino infauſto.

MUlti hac de re multa ſcribunt, & partim nihil portendere, partim mali ominis rem eſſe aſſerunt. Priorem ſententiam amplectitur celeberr. *Bartholinus, Centur. 5. Obſervat. Anatomic. Obſerv. 1. & 8.* cui pollicem premit Excellentiſs. *Paulini, Faſciculo Obſervationum, Anno 6. Dec. 2. Ephemeridum* annexo, *Obſerv. 37.* Poſteriori ſe aſſociant *Sennertus, Timæus* item *à Guldenklee, Caſ. Medic.*

l. 4.

l. 4. Obſerv. 24. & *Theſeus noſter l. celebratiſſ. Clauderus, Obſerv. 194. Dec. 2. Ann. 2. Ephemeridum.* Quid ego obſervaverim, hîc annoto. In civitate primaria, non ignobilis familiæ Materfamilias, primo partu edidit filium, qui 14. ante partum diebus aliquoties vagiit in utero. Epilepſia ipſum invaſit à partu, & paucos poſt annos, iteratò invadens, tenerum hocce corpus mortuis aſſociavit. Omnia proſpera in hacce familia evanuerunt, paupertas adſtitit ut vir armatus, parens miſerè obiit, & mater eò redacta ut propria ſcybala abſumpſerit, & omni ferè ratione deſtituta, lamentabiliter exſpiravit. *Paterſonii* fœtus, qui ejulavit extra uterum poſitus, & rediit in eundem, Hungariæ infauſtus extitit, ut loquitur Experientia. Vide *Ephemerid. Dec. I. Obſervat. 62.* cum *Scholio*. Lignitii ante obitum ultimi Principis, vagitus uterinus illic locorum etiam increbuit, & pro malo fuit reputatus omine. Lege *Pag. 583.* der Schleſiſchen Fürſten Chron. Utiq; talia non perfunctoriè conſideranda veniunt, quippe cum hîc Dei digitum ſubeſſe haudquaquam negandum ſit: etenim, licet hæc ſint naturalia, & cauſas agnoſcant naturales, ſummus tamen Thaumaturgus iſtis non infrequenter utitur, uti indies occurrit. Inſolita inſolitum quid indicant, hicce autem vagitus eſt oppidò rarus, nec ſemper arguit fœtum fortem, præterea non credas reticeri, ſi ſæpius accideret, quia fœminæ circa hæcce ſunt admodum curioſæ. Annectam ſingulare quid, ob aliqualem argumenti analogiam. Nobilis Locum-tenens, mihi optimè notus, vexillum cum figura duplicis gladii inſignitum, Turcis eripuerat poſt derelictam Viennam, attulit hoc ſecum, & in ſignum victoriæ, patrii pagi templo deſtinavit, ibique appenſum firmare juſſit. Altero anno in media concione, præſentibus parentibus & ſororibus, die Dominico, vexillum ſe de loco movet, & minatur caſum. Contriſtantur ſubitò omnes, & intra paucos dies per literas nunciatur, hunc heroem eopſe tempore terris obrutum, ſuffocatum interiiſſe in obſidione Budæ. Ergò omina non ſemper ſunt nuda nomina.

OB-

OBSERVATIO XLIV.
D. SAMUELIS LEDELII,
De
Nauſea carnis ob diſciſſum gallum oviparum.

QUia promiſi *Ann. I. Dec. 2. Obſerv. 145.* me velle amplius annotare accidentia, in poſterum obventura fœminæ, quæ gallum oviparum diſſecuerat, ideò, ut fidem liberem, notifico, quod adhuc dum vivat, plerisque manus digitis contractis & ad uſum ineptis, aliàs ſana præter hoc, quod omnis averſatur carnis eſum ab illo tempore, quo gallum mactavit, hucusque juſculum carnis bubulæ cum ptiſana hordeacea admittens odorem carnis etiam, ipſam tamen carnem haudquaquam. Juſſi ut naturæ obtruderet, obſervatura quid inde damni emerſurum ſit, aſſumpſit: Verùm tantam ſenſit anxietatem, ut animi deliquia inſtarent, ideò omnem eſum & uſum carnis abjuravit. Nonnulli anatomiæ non aſſueti, aut etiam vulnerum deligationes adſpicientes, nauſeam carnis ad aliquot dies incurrunt, qualia exempla mihi ſunt nota: attamen ſponte ſua hæc evaneſcit. Apud hancce fœminam ſubtilius quid latet, & puto quod cauſa inde quoque deducenda unde hæc, quando ad mentionem res adverſæ & abominabilis naſeabundi exiſtimus: ergò erit in nervis guſtatoriis, non autem in olfactoriis, aliàs odorem carnium non ferret, an verò in ſola imaginatione conſiſtat & ſpirituoſitate, an in corporeitate, eſt, de quo diſquiri poſſet. Puto utroq; modo, ſalva aliorum ſententia.

OBSER-

OBSERVATIO XLV.
D. SAMUELIS LEDELII,
De
Morte ob ſanguinem è mammis exſuctum.

NOn animalium tantùm ſanguinem intus aſſumptum eſſe noxium & ſæpè lethalem, ſed & humanum, leges *Obſerv. 149. Ann. X. Decur. I.* verùm per ubera loco lactis ſuctum, mortem intuliſſe mihi videtur inter ſingularia eſſe numerandum. Titulus obſervationis poterat eſſe: Inconſuetum hæmorrhagiæ remedium, ſed placuit prior. Caſus ita habet. Vulnerabatur circa regionem cubiti fœmina lactans, ab irato marito, fortiter illiſo urceo, cum effluxu ſanguinis immodico, quem nulla ſiſtebant remedia. Infans tumultu excitata vociferabatur, quam exhibitis mammis quietiorem reddere volebat mater. Ecce! dum infans ſugit, omnis fluxus ſanguinis deſinit. Sepoſitâ puellâ animadvertunt, quòd purum putum ſanguinem ſuxerit. Sanguine autem per vulnus iterùm erumpente, iterùm quoque mammis apponunt infantem aſſidentes, idque multoties: hoc modo ſanguini fluenti obicem poſuerunt mediante hacce revulſione, infanti autem ſaxum ſepulchrale, quippe cui 4. dies erat exitialis, matre ſalva. Addo hoc: Curæ meæ aliquando ſuberat lue venerea contaminata fœmina, hujus mammæ fundebant lac & ſanguinem una vice, non tamen commiſcebantur hæc invicem, ſuadebam, ut ablactaret puerum, ne noxam caperet ab inſolito hocce & improportionato nutrimento, cui etiam morem gerebat cum ſalute filioli.

OBSERVATIO XLVI.
D. SAMUELIS LEDELII,
De
Funeſto tympanorum ſonitu.

FRagorem & ſonum gravem, tum caput, tum aures præprimis offendere, & ſtupiditatem & ſurditatem cauſare, in confeſſo eſt: cumque ex improviſò irruit, mirum quantum terret, & varia poſt ſe trahit damna. Ideò non inutile videntur perpetrare parentes, qui teneros infantes paululùm aſſueſcere faciunt ad ſonos perferendos, & non tàm meticulosè tractant negotia domeſtica, in hypocauſto, ubi tenellos alunt: culpandi verò illi, qui nimis ſanctè domi cuſtodiunt, nec aëri liberiori exponunt, ſed ab omni ſono removent. Omnia fiant cum judicio. Ad rem. Celebrabantur nuptiæ, dumque tàm tenerè enutritus infans exaudiebat fortè fortuna inconſuetum ſonum tubarum & tympanorum, perterrefactus, epilepſia derepentè corripitur, mortique ſubjicitur. Paucos poſt annos eodem fato iisdemque circumſtantiis alius obibat infans, eadem teneritudine educatus. Jocoſum ſubjungo. A turba gryllorum materfamilias moleſtabatur, cumque aliquando hilares convivæ ſono tubarum & tympanorum anguſtum conclavis ſpatium implebant, & tympana propè fornacem habitaculum gryllorum locabantur, ſequenti die omnes grylli exanimes ſtrati jacebant, cum gaudio fœminæ.

OBSERVATIO XLVII.
D. SAMUELIS LEDELII,
De
Cauterio actuali mortem inducente.

INnumeros errores quotidiè occurrere circa curas, præprimis Chirurgorum, eſt extra controverſiam, & hocce confirmatur. Abſcindebatur fœminæ ſat vegetæ pes, & animosè perferebat dolores, operatioque erat felix, nec ullum moleſtabat ipſam ſymptoma urgens. Balneator, cui judicium deerat, legerat fortè cauteria prodeſſe etiam in hocce rerum ſtatu, præprimis in caſu neceſſitatis, & hæmorrhagia nimia, nullis aliis remediis cedente. Cauteriſat partes vulneratas, nulla id neceſſitate exigente, nec ſanguine ulterius fluente. Fœmina, quod conjectu facilè, miſerè exclamat, & hosce dolores eſſe majores præ illis, quos pertulerat in abſciſſione pedis, conqueritur: ſed ille regerit; hoc neceſſitatem requirere, nec abſtinet ab ulteriore applicatione, ſed aliquoties repetit hic aſinus hanc carnificinam, proteſtante licet ægrota, & nimium quantum, exorante. Exinde dolores exacerbabantur, reliquiæ ſpirituum penitus diſſipabantur, & ſomnus, quem hucusque anxiè ad demulcendos dolores expetiverat, jam feſtinanter obveniebat, verùm erat ſempiternus. Exprobrabam aliquando tali balneatori craſſam ignorantiam, & multa circa ægrotos commiſſa & omiſſa, at ille regerebat: neminem unquam rediiſſe, (erant enim mortui) qui ipſum coram Magiſtratu accuſaſſet. Sed væ capiti tuo! Deum iratum ſenties.

OBSERVATIO XLVIII.
D. SAMUELIS LEDELII,
De
Utilitate fumi tabacini.

ABuſus in Medicina Medicamentis omnem demit gratiam, idque ſi in ulla re, certè in Nicotiana obvenit. Paucis rem attingam. Qui fluxu laborabat oculorum poſt generales evacuationes per fiſtulam tabaci fumum interdum admittebat cum reſtitutione. Alter eodem malo laborans, ſentiebat ab hauſto tabaco levamen, terminos autem nimietate excedens, tandem omnem ſibi demebat viſum accerſendo defluxiones ad oculos. Ergo

Uſus habet laudem, crimen abuſus habet.

Miles furioſus ab octo cuſtodiebatur militibus, omnes tabacum incenſum per fiſtulam attrahebant, magnumque fumum excitabant, quo ipſo tanquam nebula circumdatus ægrotus turbabatur, obque vim Narcoticam laſſus, & veluti temulentus exiſtebat, ſomno ſubveniente. Expergefactus multum erat mutatus, & adhibitis adhibendis, reconvaleſcebat. Matrona perferebat dolores dentium acerbiſſimos, mercatores fortuitò ipſam inviſentes mediante fiſtula, tabaci fumum excitant ſat denſum: illa exinde turbulenta facta lectum petit, & cum ſomno omnes dolores ſuperat. Nonnemo libenter aſſidet tabacibibulis, hanc ob cauſam, ut fumus inde excitatus, caput ejus defluxionibus obnoxium, ambiendo calefaciat & exſiccet, ſibique benè cedere affirmat. Conſuetudo vim legis obtinet in Medicina. In uteri ſuffocatione fumum tabaci profuiſſe *Ephemerides* noſtræ loquuntur *Dec. 2. A. 2. Obſ. 171.* per os attractum tamen, quanquam omnes fœminæ promiſcuè hunc odorem non perferunt.

OBSER-

OBSERVATIO XLIX.
D. SAMUELIS LEDELII,
De
Urinæ ardore immenſo & diuturno.

UNicus Paulitzii, Archiatri quondam Reg. Poloniæ, frater, ſocer meus, Johan Georgius Paulitz in Girbſtdorff / tum vir 69. annorum, ſanguineo-cholericus, alacris & vegetus, quiq; plurima itinera curru & ephippio emenſus, aliquando etiam per urinam ſanguinem excrevit in itinere, absque ſingulari dolore primùm, dein poſt commotionem fortiorem, ut eques, iterùm cum dolore per quadriennium, & quod excurrit, excarnificatus fuit affectu & raro, & nullis medicamentis cedente. Integrè ſed compendiosè deſcribam ad Urinam; creberrimè emittendam ſe ſenſit ſtimulari, nec volens retinere potuit, exiit ſemper ſummo & urente cum dolore (wie ein glůend Eyſen långſt der Rőhren hin) usque ad glandem, & tum digitis membrum valdoperè compreſſit, quærens ita lenimen, quod tamen non invenit, ſiquidem retentas guttulas in cavitate glandis, tum majori cum dolore excernere opus habuit. Sicubi quoque alvi excrementa unà ſtimularunt, (quæ tamen plerumque fuêre exſiccata) tum major extitit dolor. Ubi pauſam dolores fecerant, quietè dormivit, appetitus etiam continuavit bonus, & quando dolores ipſum tenuerunt, immotus jacere fuit coactus, quum à leniſſima commotione dolores acerbiſſimos ſenſerit. Hæ ejus lachrymæ, præterea de nullo alio dixit ſymptomate aut ægritudine, ad ultimum usque mortis articulum. Plurima conquiſivit conſilia & remedia, plusque quàm ſexcentos impendit Imperiales absque ulla remiſſione. Uti diverſos conſuluit, ita & diverſa judicia audivit. Fuêre qui calculum adeſſe ſuſpicati ſunt, ſed falsò, alii qui veneficium ſub-

 eſſe

eſſe autumarunt, cæteri dyſuriam judicarunt, ortam à nimia humorum acrimonia acida, in primæ coctionis viſceribus contracta. Et hi rectè mea opinione. Nam urina, ut Neoterici ſtatuunt, conſtat ſale volatili & terra, ſero & oleo: Sales volatiles autem ſunt forma tereti, acutis ſpiculis conſtantes. In ſtatu ſano urina noſtra tenui & blando oleo perfunditur, & acuties ſalium à prædicto oleo obtunditur, quod ſe circumdat circumcirca ſales, & acrimoniam infeſtam ſalis demulcet. Ergò ex hacce hypotheſi affectus noſtri cauſa facilè eruitur. Gratioſiſſima Facultas Medica Lipſienſis prognoſtico dato de ægrè reſtituendo ægroto, utpote ſene, ſuaſit præmiſſis præmittendis terebinthinata cum Mercurio dulci, Tincturam Antimonii Tartariſat. Eſſentiam Martis Solarem, acidulas artificiales ex Marte & alia plura, verùm ut aliorum conſilia & remedia, absque effectu: ſiquidem ut ſuprà notavimus, ſenio unà & viribus dolorificè exhauſtus, ſana mente & benè præparatus morti ſuccubuit.

OBSERVATIO L.
D. SAMUELIS LEDELII,
De
Calculo veſicæ lethali.

JAmdudùm Medicos fuiſſe ſollicitos, de liquore, ad diſſolvendos in veſica, calculos excogitando, novimus, verùm hucusque ſine ſucceſſu vidimus. Lege *Dec. I. An. 2. Obſervat: 158.* & niſi ſectio, tanquam ſacra anchora, calculoſum à prole lapidea liberat, actum eſt de ejus vita. Exiſtit autem calculus tum, quando deficiente oleo in urina, (de quo in præcedente *Obſervatione*) ſales volatiles urinæ propriam aggrediuntur terram, illamque inſtar clavorum figendo in formam calculi cogunt. Quamdiu enim ſales volatiles blando oleo urinæ involvuntur & temperantur, tamdiu

impe

impediuntur, quò minus in propriam agere terram queant. Alebat veſicæ calculum Sartor 30. annorum, qui per 16. fermè annos variè agitatus fuerat, & excruciatus lapidibus renum & veſicæ, quorum plurimos excreverat diverſis temporibus, exiguos tamen. A parvo principio, ut fieri conſuetum, lapillus hicce majori cum incremento crevit, licet ſpes, ob molem grandiorem, excluſionis decreverit: nec ulla ſalus ex lithotomia ſperanda, propter artificis abſentiam, & opus hic loci inſolitum, ideò prognoſtico præmiſſo feci quod debui, quod potui. Miſer vitæ ſtatus, cauſam mortis ſcire, nec illam tamen removere poſſe! Primùm corpus exiſtebat aliquantulùm tumidum, urina licet fluente, & ſquamulas unà evehente, reſpiratio concurrebat difficilis, ventriculus & cibum & medicamenta reſpuebat, alvus tamen clyſteribus ſollicitabatur cum placentia. Natura autem excretioni intenta ſummos excitabat dolores in collo veſicæ, quos poſt quatriduum excipiebat epilepſia, & tandem mors. Quæ corpus loturæ ſubjecerat fœmina, manibus in regione veſicæ lapidem palpavit & tractavit grandem, nec tamen inciſioni locus datus.

OBSERVATIO LI.
D. SAMUELIS LEDELII,
De
Tumore linguæ inſigni.

MErcatoris Thorunienſis uxor 25. annorum phlegmatica corripitur menſe Decembri 1685. inſultu febrili cum cephalalgia, ſiccitate oris, dolore & aliquali tumore linguæ: conſulit Chirurgum, qui venas ſublinguales ſecat, ipſamque dimittit. Itineri ſe rurſum accingit, illudque proſequitur ſub Jove frigidiſſimo, quo ipſo defluxiones concitat, quæ facto impetu irruunt in ſpongioſum

ſum linguæ corpus, illudque mirum quantum extendunt. Inviſebam tum temporis matrem in confinio Saganenſi, & illa caſu in meum incidebat conſilium. Lingua ita tumebat ut ore contineri non poterat, ſaliva continuò ſtillabat ex ore, nec loqui, nec edere, nec liberè ſed difficulter reſpirare valebat: lingua ab utroque latere erat dura, præterea dolor capitis ipſam etiam exagitabat. Chirurgus Saganenſis corpus expurgaverat, & medianam aperuerat, malo non cedente. Acceſſivi itaque clyſteres, cucurbitulas, oris collutiones, externa capiti, ſtomacho, nuchæ ac pedibus applicanda. Verùm quia ad diſcutiendum nulla ſpes ſupererat, ideò ad ſuppurationem promovere ſtudui materiam, non neglectis, quantum per difficultatem deglutitionis poſſibile, internis. Itaque rupto œdemate, magnam puris copiam per os excluſit, ſicque intra paucos dies, Deo benedicente, benè reſtituta, ſana abiit, ulteriorique itineri ſe commiſit. Iſtiusmodi tumoris mentionem facit *Galenus 14. de Method. medendi cap. 8. Foreſtus l. 14. Obſerv. 18. Ephemerides* noſtræ *Dec. I. An. 2. Obſerv. 107.* qui tumor miraculoſus pronunciatur in illa obſervatione. *Riverius c. 1. Obſerv. 1.*

[*Gorlicio Luſatorum d. 11. Jul. 1688. Norib. miſſæ.*]

OBSERVATIO LII.
D. SIGISMUNDI LEDELII,
De
Diverſis alvum ſollicitantibus mediis.

NObilis non ignobilis ſubditis ſuis in obſtructione alvi, ſuadet fotum ex decocto ceparum cum utilitate, idque, ut Medici norunt, erit adſcribendum ſali volatili harundem, quod ſpiculis ſuis ſtimulat, & inſtar ſuppoſitorii ſollicitat anum. Puto enim extra litem eſſe, hoc ſal volatile reperiri in cepis, ut docent lachrymæ exſtillantes ex oculis, dum eas diſſecamus. Alius in obſtructione alvi

cum

cum colica, ſacculum ſtercore ſuillo repletum, in aqua coctum, abdomini applicabat calidè, bono cum ſucceſſu. An ob eandem rationem, an ob ſolum calorem externum, ut JCtus, Medicis decidendum relinquo. Obambulationem in pavimento marmoreo, frigida aqua copioſiore inſperſo, Borſio, Ferrarienſium Duci, alvum lubricaſſe, refert ex *Antonio Muſa Braſſavola*, magnus *Rolſincius libro 5. ſectione 7. capite 14. Method. Medicin. ſpecialis Commentator*. Grünbergæ dum eram, memini me obſervaſſe, in duriſſima alvo, aliis nil efficientibus, ſuaſu fratris, ſmegma noſtrum aqua calida diſſolutum repagula hæcce amoviſſe. Leges *Dec. II. Eph. harum Ann. 6. Obſerv. 231. pag. 501.* Saponem Venetum fuiſſe propinatum ad alvum ciendam. Motu Grünbergæ quidam ſe diſponebat ad alvi ſolutionem, qui tamen aliis anum reddit ſicciorem. Sic ubique ludit natura.

OBSERVATIO LIII.

D. SIGISMUNDI LEDELII,

De

Remediis Chymicis non omnibus promiſcuè utilibus.

STatuo, unumquemque hominem ſingulari gaudere natura, Idioſyncraſiam vocant, licet non negandum ſit plures etiam quandam admittere analogiam, & exinde illuceſcit, Artem Medicam eſſe difficillimam, dum tot diverſa diſcernere ſubjecta opus habet. Sæpè animadvertimus, quod huic homini eſt medicamentum, alteri eſt noxium: huic confortat ſpiritus, alii turbat & diſſipat. Cum jucunditate legimus Ruſticum Pharmacopolium ingreſſum, deliquio animi correptum fuiſſe, ob fragrantiam odoris inconſueti, reſtitutum tamen conſueto ſibi odore ſtercoris bubuli, & aliis huic genti familiaribus. Medicamenta Chymica ro-

buſtioris naturæ hominibus non ſemel obſervavi, tum apud Fratrem Grünbergæ vivens, nil profuiſſe, neque evacuantia, neque alterantia & confortantia. Pro Tartaro emetico plus profuit Gummi Gutt. Pulvis Aſari, Decoctum Gratiolæ; Pro Elixiri, eſſentia aut ſpiritu ſtomachico, efficaciorem dixerunt pulverem aut mixturam ſtomachicam, morſulos & alia: ad fallendam ſitim frequentius expetierunt Julepos, emulſiones, decocta, relictis Tincturis, Clyſſis & Spiritibus. Nobiles & ruſtici Polonici plerique magis amant Galenica quàm Spagyrica remedia: Ipſorum enim ventriculi ſunt vaſti & calidiores, hinc conſuetudo fert, ut multum cibi & potus ingerant, & ſic quoque majorem medicamenti copiam appetant. Etenim uti paucus cibus ipſos non exſatiat: ita paucæ guttulæ liquoris parùm alterant, præterea qui cyathos & cucullos amant, guttulis ſibi liquorem annumerari, non geſtiunt, dubito, an huc etiam trahenda ſit opinio, ubi ſtatuitur, non in quali ſed in quanto conſiſtere virtutem, & integram libram plus poſſe quàm unicam unciam. Propterea Medicus unicuiq; pro palato.

[*Javerâ Sileſiorum Gorlicium & hinc 11. Julii 1688. Noribergam miſſæ.*]

OBSERVATIO LIV.
D. JOH. JAC. WEPFERI.
Uteri procidentiæ exciſæ felix eventus.

ANna Maria Stöklerin d. 13. April. ſt. v. 1688. ante meridiem per intervalla tormina levicula intra umbilicum ſentire cœpit: pranſa eſt: obambulavit: veſperi tormina, per vices crebriores, fortiora & longiora paſſa eſt, coram domeſticis tamen illa occultare valuit. Hora 6. cœnantibus in menſa aſſidere nequivit, & cum poſt cœnam ab obſtetrice ſuaderetur juſculum cumino alteratum & pedi-

pedilavium, illud averſata eſt, hoc uti nequiit, quin planè ſedere non potuit: interea dolores partûs in hypogaſtrio & lumbis invaluerunt: ob horrorem veſtibus induta lecto incubuit; voluit in ſellam locari, in quo nimis diu in primo partu detinebatur. Non diu in lecto quievit: partûs dolores crebriores & validiores urſerunt, ut veſtibus amplius exui non poſſet; poſt quatuor nixus Chorion rumpebatur, aquam profudit in exigua quantitate, mox in lucem prodiit fœtus ſexus fœminini & mox ſequebantur ſecundinæ; longè facilius peperit quàm in primo partu & poſtea in abortu; nec vel minimum obſtaculum in vagina animadvertit. Lochia excluſis ſecundinis mediocriter fluebant benè colorata; in puerperio parcè fluxerunt, loturæ carnium ſimilia. Die octavo à partu ſurrexit, in hypocauſto obambulavit: poſt tertiam ſeptimanam hinc inde in ædibus obambulavit, rem domeſticam curavit, etiam in culina aræ aſtans coxit. Infantem abunde lactavit die noctuque crebrius. Die 21. Maji 1688. ipſam cum D. Bekero, qui procidentiam ſuſtulit tanta dexteritate, ut iterum concipere & felicius parere poſſet, conveni: erat benè colorata, obæſa, ſaniſſima, nec de ulla re ipſi moleſta conquerebatur, atque hoc ipſo die in publicum prodire voluit, ſexta ſeptimana nondum à partu præterita. Infans puella ſaniſſima quoque erat, benè colorata, obæſula & vivida.

SCHOLIA.

I.

PRocidentiæ Uteri putatitiæ ſeu apparentis radicem non in cavo uteri fuiſſe, ſed in vaginæ parte altiore, conceptio, antequam filum extractum fuerat, (nam demum menſe Octobr. 1687. ſua ſponte ſeceſſit, & ipſamet ſine ullo dolore, aut ſuperveniente hæmorrhagia illud eduxit, ut mihi Dn. Beker tunc Stuttgardiæ retulit) & felix partus abundè teſtantur, ut argumentis quibusdam perſuaſus conjeci in An. V. Dec. II. Obſ. 150. Schol. V.

II. Poſt partum in quinta puerperii ſeptimana, quamvis præproperè & intempeſtivè ſe è lecto proripuerit, obambularit & rem domeſticam curarit, ne minimam quidem moleſtiam in vagina percepit, adeò ut nunc nec annulo nec pila indigeat.

[*1688. d. 24. Julii Scaphuſio Auguſt. Vind. miſſa.*]

OBSERVATIO LV.
D. THEODORI CAROLI,
De
Fungis quernis ſingularibus.

GRaviter Plinius Hiſt. Nat. L. 24. C. 1. p. 435. Ne ſylvæ quidem, inquit, horridiorque Naturæ facies Medicinis carent, ſacrâ illâ Parente rerum omnium nusquam non remedia diſponente homini, ut Medicina etiam fieret ſolitudo ipſa. Prodeat in exemplum Quercus, ſacra omni ævo arbor, quod vitæ quaſi cauſa fuerit primumque mortalibus victum ſuppeditârit, quô feræ hodie atque alites, conceſſis nobis immensâ DEI bonitate frugibus, lætiſſimè paſcuntur. Quanquam verò genuini quercûs fructus in eſum noſtrum cedere deſierint, non deſinit tamen illa ſpurios quosdam fructus medendi magis vi inſignes ſingulari Naturæ beneficio & admiratione nobis producere, ut non ſine ratione inter Arbores ſylveſtres fructu belliſſima atque fertiliſſima audiat. Non hîc Viſci Querno adnati virtutes, quarum conſideratione tanto ab Antiquis Cultu & reverentiâ deſtinatorum eò Sacerdotum ope, colligebantur, recenſebo; nec enarrabo multiplices gallarum uſus, multò minus uvas Quercinas à Camerario in Matthiolum & Frid. Hofmanno in Cl. v. Schrôder. deſcriptas, Pilulasve à Benedicto Curtio Hortor. L. 16. c. 13. notatas, aut Fungos extrinſecus Quercui adnatos varios, de quibus alii. Memorabo ſolùm Fungi aliquam

quam ſpeciem, quam annoſæ aliquando Quercus parturiunt. Cerniturque miranda hæc luxuriantis Naturæ ſ. ſoboles, ſ. Aberratio, rarius licet, in grandioribus Quercubus, intus excavatis, ubi tanquam in utero delitescit, donec operariorum labore in lucem producatur. Scilicet ex medio excavatæ Quercûs ventre nodus aliquis durior pugni magnitudine exurgit, ex quo fungoſa quædam folia (ſex ſeptemve) prodeunt, eo ferè diſpoſita ordine ac favi in Apum alveis conſpiciuntur, ita enim folia iſthæc fungoſa exiguo inter ſingula intercedente ſpatio ſibi invicem incumbunt, diverſæ magnitudinis, craſſitiei ac teneritudinis; Infimum folium dimidiæ ulnæ latitudinem, digitique minimi craſſitiem habet, reliqua ad ſupremum usque magnitudinis ac craſſitiei aliquam partem ſucceſſivè admittunt, ut ſupremum vix quartam ulnæ partem, ſummam verò præ reliquis teneritudinem ac mollitiem habeat: ſingula verò nodo iſti poſteriore ac mediâ ſui parte, ubi etiam major ipſorum craſſities, adhærent: Infima ſi latius excreſcant, deorſum reflectuntur, interioremque quercûs peripheriam aliquousque allambunt: Color ipſorum ex albedine flaveſcens, in foliis inferioribus obſcurior, in ſuperioribus clarior: Exteriori margini ac ſuperficiei plures feſtucæ Quernæ, plus minus immerſæ adhærent: In infimis etiam interiorem Quercûs circumferentiam propius attingentibus impreſſa Ligni veſtigia ſtriæque ac lineæ oblongæ comparent. Diſtractæ per medium foliorum horum laciniæ lanuginem oppidò tenerrimam oculis manibusque exhibent, ſaporem verò linguæ ſubauſterum adſtringentem, qui clarus virtutum ſuarum, quas in coërcendo licentioſius prorumpente ſanguine exerit, interpres eſt; mira namque in Hæmorrhagiis ab externa quâdam violentia oriundis præſtare ſolet, ceu plurimis id experimentis comprobatum vidit Nobiliſſimus ac Generoſus Dominus à Geisberg, rei apud nos Foreſtalis Præfectus vigilantiſſimus, qui aliquoties eximi fungoſos hosce fœtus ex cavernoſis Quercuum ventribus vidit. Deſcribit

bit quoq; Celeber. D. Breynius in Miſc. Cur. Dec. I. A. 4. 5. Fungum quendam Coriaceum Quernum quem Hæmatodem vocat, à quo tamen multum diſcrepat modò deſcripta Fungoſa excreſcentia, ceu ex utriusq; collatione mox comparet.

[*A. 1688. 16. d. Aug. Auguſtam Vind. miſſa.*]

OBSERVATIO LVI.

D. GEORGII TOBIÆ DÜRRII.

Tympanites, & virtus Conſervæ Spagyricæ.

ANte duos annos occurrebat in praxi Virgo Auguſtana triginta aliquot annorum adeò tympanitica, ut de ſanitate recuperandâ ipſamet deſperaret, urinâ autem neque ruffâ, neque turbidâ, ſed clarâ & pallidâ exiſtente bonam concepi ſpem, remque aggreſſus ſum medicamento penetrante, incidente, deobſtruente, flatus discutiente, & ſimul confortante, quod erat Conſerva Spagyrica, de quâ ſingulis diebus jejuno ventriculo magnitudine nucis moſchatæ ſumpſit, interdicto omni medicamento purgante: potus ordinarius erat decoctum Radicis Petroſelini, Raphani ſylveſtris, Radicis Glycyrrhizæ, & Seminis Cumini; ſic venter ſenſim ac ſenſim detumeſcebat integrâ ſubſecutâ ſanitate. Deſcriptio hujus Conſervæ, quæ recipit arcanum duplicatum Mynſichti, eſt in noſtrâ Pharmacopœiâ Auguſtanâ reformatâ & auctâ Anno 1684. Alii tamen pro arcano duplicato ſubſtituunt ſequentem calcem: ℞. Nitri purificati ℔j. injice in cucurbitam vitream, affunde guttatim & ſenſim Spiritus Vitrioli rectificati ℔j. poſtquam deferbuit & quievit, impone Alembicum cæcum, & ne quid expiret, cum Albumine ovi & calce commiſſuras benè firma, pone in Balneum Mariæ ad digerendum 6. 7. vel 10. dies, priùs tepido dein calido, attamen

men non plùs quàm ut manu tractari poſſit cucurbita, dein amoto Alembico cæco impone roſtratum, deſtilla Phlegma in receptaculum, donec ſicca calx in fundo maneat, hanc fracto vitro, in hypocauſto calido exime & ſerva. Hâc in talem modum paratâ Conſervâ, curavi antè aliquot annos Sereniſſimam Electricem N. N. ex inordinato uſu acidularum obſtructione meſenterii cum colicâ periodicâ periculosâ & adſtrictione alvi laborantem, cum enim clyſteres, balnea, laxantia, & alia interna, & externa ritè quidem adhibita parùm proficerent, à primâ ſumptione hujus medicamenti, & ſic pergendo quotidiè, alvus cum optato levamine, & diſſipatis doloribus, depoſuit varii coloris excrementa malè olentia, reſeratis nimirum obſtructionibus.

SCHOLIUM.

ALiam Conſervæ hujus habet præparationem, ab ipſo ejus Autore deſcriptam, quæ loco Arcani duplicati Nitrum regeneratum recipit, in eleganti tractatu, quem *Regnum minerale* vocat, Collega noſter Curioſ. Nobil. *D. Eman. König pag. 136.* quæ cum diverſa ſit ab iſta in *Diſpenſatorio* noſtro *Auguſtano novo* communicata, quænam harum ſit præſtantior, dubitari poſſet, & à quibusdam etiam dubitatur. Mihi verò pro diverſa Medici intentione, utrique prærogativam deberi videtur; *& vitulo hæc eſt digna, ut & illa.* Amantiſſimo enim noſtro *D. Königio* factæ deſcriptioni laudem genuinitatis uti vocare in dubium animus non eſt, ita noſtram ad uſus, quos præſtare nobis debet, magis adcommodatam eſſe arbitror; licet, ut & hoc fatear, largiorem olei cinnamomei doſin magis imminutam vellem; quo de tamen, reliquíſve ingredientibus jam diſpicere nolo, de Nitro, Arcanóve duplicato tantummodò pauca dicturus. Ubi ſanè in genuina Helmontii formula paulò operoſior, quàm ſit neceſſe, Nitri ſingulari ſtudio præparati acceſſio omitti poſſet, cum reverà non

aliud

aliud quàm Nitrum vulgare purificatum exhibeat, paucis coralliorum & perlarum (modò & hæ in ignis tortura non aliquid patiantur,) granulis commixtum: ab iſta enim Nitri per fuſionem & cum pulvere carbonum detonationem alcaliſatione, ac poſtea per Nitri ſpiritum ſaturatione, nil niſi vulgare Nitrum obtineri, tum ſtiriarum, in quas concreſcit, figura, tum ſapor, tum quoque inflammabilitas evincunt; unde jamdudum *Ant. Guinth. Billichius Obſ. ac Paradox. Chim. lib. I. cap. 7. & 14.* Spiritum Nitri cum Alcalibus ad matris ingenium redire edixerat: Scio equidem, non incelebrem quendam Chimicum alicubi ſcripſiſſe, pulverem ſclopetantem, qui ex Nitri partib. 3. Salis Tartar. part. 2. & Sulphur. part. 1. conficitur, cum Nitro hoc paratum, nullum edere ſtrepitum, ideoque non videri Nitrum iſtud eſſe idem, quod fuit antea, i. e. vulgare; verùm experimento hujus inſtituto, non ſecus in fulmen erumpere, ac ſi cum vulgari eſſet paratum ſal illud ſclopetans, cognovi. Excell. *D. Joh. Helfr. Jüngkenii* confectio hæc ſplenetica, quam *pag. 581. Chim. experiment.* profert, quoad ſalis hujus additamentum cum noſtra convenit, ſiquidem Nitrum vitriolatum, cujus deſcriptionem pag. 218. exhibet, idem eſt cum Arcano duplicato. Conf. *Pharmacop. Auguſt. nova, pag. 328.* Neque Calx, quam Clar. D. Author hîc ab aliis ſubſtitui innuit, multùm ab iſto recedit, cum per Nitrum purificatum, cui Spiritus Vitrioli adfundendus eſt, idem illud Nitrum per carbones in Alcali reductum, eſſe intelligendum, efferveſcentia, quæ à dicti ſpiritus adfuſione excitari dicitur, indicet.

[*L. Schröck, L. f.*]

OBSER-

OBSERVATIO LVII.
D. GEORGII TOBIÆ DÜRRII,
Aſcites in muliere ſeptuagenaria.

FOemina Eſcheloheria, relicta Piſtoris civis Auguſtani vidua ſeptuagenaria, aſcite decumbebat, ut vix è lecto potuerit ſurgere, tumor enim abdominis & pedum impedimento erat, quo minùs unus aut alter greſſus perficeretur, tuſſis quoque, & anheloſa reſpiratio minabantur ſuffocationis periculum: in tali ætate relictâ purgatione, præſcripſi Spiritum Salis: ℞. Spiritus Salis rectificati ʒij. Salis Abſinthii ʒß. miſc. & ſumat omni manè guttas v. aut vj. cum ℥ij. aquæ ſequentis: ℞. Aq. Agrimoniæ, Fragor. Petroſelini, Raphani, Cumini āā. potus ordinarius erat Decoctum diureticum in caſu præcedente notatum: continuato per v. aut vj. hebdomades horum uſu convaluit rei domeſticæ perficiendæ apta exiſtens, & cum poſt duos annos recidivam pateretur, iisdem remediis rurſus reſtituta, tandem ſecundâ aut tertiâ recidivâ oppreſſa victas morti dedit manus. Alia majoris paulò ætatis mulier aſcitica quoque, ſimiliter eadem methodo tractata ſalva evaſit, dum hæc ſcribo, octuageſimum agens annum.

OBSERVATIO LVIII.
D. GEORGII TOBIÆ DÜRRII,
Anaſarca.

PLurimos anaſarcâ laborantes priſtino vigori reſtitui Decocto Radicis Vincetoxici, quod quidem ſapore & odore valdè ingratum eſt, ita ut donec ventriculus quaſi aſſueſcat, per vomitum ſæpè rejiciat: propinavi autem in tali formâ: ℞. Radicis Vincetoxici ab arenoſis lapillis mun-

dat. & minutim inciſ. ℥vj. infund. per noctem in vini alb. ferventis ℔ij in ollâ vitreatâ, manè vaſe tecto coquantur unicâ ebullitione, de colaturâ expreſsâ bibat Patiens jejuno ventriculo ℥iij. calidè, expectando poſteà ſudorem aut in lecto, aut in ſudatorio, priùs tamen corpus uno aut altero Hydragogo juxta naturæ permiſſionem purgavi, modò in formâ pulveris, ut: ℞. Spec. Diaturb. c. Rhabarb. ℈ij. Mag. Mechoac. nigr. Gummi gottæ vitriolat. āā. gr. vj. Tartari vitriolat. gr. v. Miſc. pulvis pro doſi unâ; modò in formâ Electuarii: ℞. Conſerv. Violarum, Chalyb. Acet. Tamarindor. præp. āā. ℥ß. Pulv. Radic. Jalapp. ʒj. Diacryd. ſulphurat. ℈ijß. Cryſtall. Tart. ʒj. Baccar. Laur. ℈ij. Rob. Ebuli ʒiij. Ol. ſtill. Sem. Aniſi gr. v. cum Syr. Fl. Violar. Miſc. f. Elect. dividendi in 4. aut 5. doſes matutinas. Potus ordinarius ferè ſemper erat lixivium ex cineribus juniperi & ligni quercûs.

SCHOLIUM.

VIncetoxici vires in educendo hydropicorum ſero & alii præſtantiſſimi Medici deprædicarunt, quos inter Clar. *Caſp. Hoffmannus* in conſilio, cachexiâ & anaſarcâ laboranti ſcripto, apud *Laurent. Scholzium conſ. med. 337.* ejusdem Radicis ℔ß. per noctem in vino maceratam, atque ad tertias decoctam conſulit, manè jejuno ſtomacho calidè potatam, ſudore copioſo aquam intercutem mirificè expellere teſtatus; quod pariter in *comm. lib. 3. Dioſcor. cap. 90.* tradidit *Petrus Andr. Matthiolus*, radicem ſcilicet iſtam in vino albo decoctam ſelibræ pondere, diebus pluribus potam hydropicos, ſi à potu ſtatim ſudor provocetur, juvare. Id qua ratione præſtet, Exc. quondam noſter Collega, *D. Elſnerus* in *Dec. I. Ephemer. harum Ann. I. Obſerv. 57.* docuit, maximâ nempe penetrandi vi eam eſſe præditam, ſuaque ſubtilitate lympham incraſſatam attenuare, ut per glandulas commodè transcolari denuò poſſit; qua virtute etiam ſcrophulis mederi oſtendit.

[L. Schröck, L. f.]

OBSER-

OBSERVATIO LIX.
D. GEORGII TOBIÆ DÜRRII.
Teneſmus.

KUnigunda N. ſenex & vidua in menſe Januario Anni hujus octuageſimi octavi implacabili corripiebatur teneſmo, fruſtrà tentatis variis remediis nihil magis profuit & quaſi incantamenti inſtar, quàm Olei Maſtichis deſtillati guttæ v. aut vj. cum Aquâ Menthæ, Pulegii, & Plantaginis āā. ſumptæ manè & veſperi.

SCHOLIUM.

CUm Maſtiche ab omnibus ſtomachica inter medicamenta referatur, atque teneſmus nonnunquam à ſtomachi, chylum crudiorem & acidiuſculum ad inteſtina amandantis, vitio ortum trahere queat, vel hac etiam ratione prodeſſe poteſt. Quin & *Plinius lib. 24. hiſt. natur. cap. 7.* lentiſci lachrymam vitiis ſedis prodeſſe clarè innuit, cum quid ſiccari excalfieríve opus ſit, hinc tantoperè ſuum oleum maſtichinum extollit in *Maſtichologia Joh. Steph. Strobelbergerus*, à quo unciæ pondere hauſto quodlibet ventriculi & inteſtinorum frigens vitium obmuteſcere ſcribit; cui tamen commendatum hîc ſtillatitium ejus oleum non immeritò præferendum erit.

[*L. Schröck, L. f.*]

OBSERVATIO LX.

D. GEORGII TOBIÆ DÜRRII.

Calculus ſine Lithotomo è veſica prodiens.

Cùm Anno 1662. ſub Sereniſſimo Archiduce Auſtriæ, Ferdinando Carolo, glorioſæ & piiſſimæ memoriæ, Domino meo Clementiſſimo &c. Phyſicus Marchionatûs Burgovienſis Gynzburgi ſedem firmarem, retulit mihi Jacobus Lang, civis & ephippiarius illius loci, ſe, cùm in juventute ſuâ per plures annos inſignes cruciatus propter calculum in veſicâ exiſtentem ſuſtinuiſſet, tandem à Lithotomo per ſectionem feliciter curatum eſſe. Ab illo tempore nil mali ampliùs ſentiens per 15. annos ſanus & incolumis erat, elapſis autem iisdem, in lecto noctu decumbentem vexabat pruritus dolorificus in perinæo ſeu in loco ubi olim ſectio fuit celebrata, hinc Ille digito hiſtoriam explorans accepto cultello aperuit januam hoſpiti ingrato, cujus forma hìc ſiſtitur, exeunte illo calculo ſine notabili dolore, & per Chirurgum poſteà vulnere curato, ſalubrem victor degit vitam.

Fig. XXII.

OBSERVATIO LXI.

D. GEORGII TOBIÆ DÜRRII.

Icterus niger cum ſcabie ſiccâ.

Poſtquam An. 1677. à Phyſicatu Provinciali Marchionatûs Burgovienſis Auguſt. pro Phyſico vocatus eſſem, nobiliſſimus & fortiſſimus quidam miles & Dominus N. N. Vice-Colonellus in exercitu Bavarico, vir annorum 58. per tres annos ictero nigro tenebatur, cui ante medium annum

num ſupervenerat ſcabies ſicca cum pruritu præſertim noctu moleſtiſſimo, dextrum hypochondrium erat tenſum, in epigaſtrio ſubindè obſervabatur dolor, & cum curæ meæ ſe committeret, ea talis erat: ℞. Radic. Fragor. Aſparagi āā. ℥jß. Flor. Carthami, & Perſicor. āā. Pj. Agarici Trochiſcati ℥ij. Fol. Sennæ el. ſ. ſtip. ℥jß. Myrobalanor. citrin. ℥j. Rad. Elleb. nigr. præp. ℈ij. Salis Tartari & Abſinth. āā. gr. v. Macis. ℈j. inciſ. coq. in vini alb. Neccarici ℥vj. ad dimid. in Colatura expreſs. diſſolv. Syr. Byzantin. comp. lenit. de trib. āā. ℥vj. Miſc. f. potio, detur tribus ſucceſſivè diebus matutinis. Mundatis ſic primis viis, pro præparatione humoris bilioſi, ſalſi, & melancholici corrupti apozema ordinatum: ℞. Radic. Eryngii, Rubiæ tinct. Aſparagi, Petroſelini, Urticæ āā. ℥vj. Herbar. Cuſcutæ, Marrubii āā. Mij. Fragariæ c. toto, Agrimoniæ, Scolopendr. āā. Mjß. Semin. Cannabis ℥ß. Cortic. Tamariſci ℥vj. Citri, Arant. āā. ℥ij. Tartar. crud. alb. contuſ. ℥ß. Fol. Sennæ el. ſ. ſtip. ℥jß. incis. coq. in Aq. fontan. ℔iij. ad dimidias, Colatur. fortit. expreſs. add. Syrup. Byzantin. comp. ℥ij. Succor. Beccabung. cochlear. āā. ℥iß. Fumar. ℥j. Miſc. pro 4. doſibus jejuno ventriculo ſumendis unicuique doſi add. Tinctur. Tartari gutt. x. veſperi autem duabus horis ante cœnam pro majore emollitione abdominis utatur laconico, cui herbæ iſtæ incoctæ ſint: ℞. Herb. Altheæ, Malvæ, āā. Mij. Abſinth. Mj. Flor. Chamomill. Verbaſci, Meliloti, āā. Mj. Seminis Lini ℥ij. inciſa commiſc. ad ſacculum cum interbaſſat. qui teneatur in ipsâ balneatione ad epigaſtrium; ante & poſt balneum abdomen unguento Dialth. inungatur. Cum apozema quaternis in die vicibus plurimum humoris bilioſi, Porracei, Viſcoſi, & nigricantis per alvum educeret, denuò præparatum eſt, additis Radicibus Curcumæ, Chelidoniæ majoris āā. ℥vj. & Rhapontici veri ℥j. ante quamlibet autem doſin pro majori eductione pillulas has deglutiat: ℞. Maſs. Pill. de Tartaro Schröderi ℈ß. Extract. Chelidon. maj. Centaur. min. āā. gr. vj. Extr. Croc. gr. vj. Pulv. Syrii. gr. v. f. Pill. num. xj.

pro unâ doſi, & ſic f. 4. doſes æqual. intereà continuatum eſt balneo laconico, & loco unguenti Dialtheæ illinitio facta eſt Oleo Martiali, quod componitur ex Oleo Olivarum, cui Radices Bryoniæ recentes incoctæ ſint, colaturæ expreſſæ intingatur ſæpiùs chalybs ignitus. Præparatis, emollitis, & eductis ſic humoribus ſuccedebant Acidulæ Egeranæ hâc quidem methodo, ut omni manè ſtomacho menſuram unam biberet Patiens, ſumptis paulò priùs pillulis his: ℞. Eſſent. Martis ſicc. Succ. Citri præp. ℈j. Extract. Rhabarb. ℈ß. Extract. Abſinth. gr. vj. Pulv. Syrii. gr. v. Spec. Aromat. Roſat. gr. vj. c. Tinct. Tartari f. Pill. num. xvij. pro doſi unâ. Ne frigidæ aquæ potu offendatur ventriculus, inter bibendum Confectionem Aniſi maſticet, prandium autem & cœna Tragemate claudatur: ℞. Cinnam. acut. ʒvj. Spec. Imperator. ʒiij. Pulv. Stomachic. Birckm. ℥j. Faved. Cort. Arant. ʒj. Sacchar. Roſat. tabulat. albiſs. āā. ℥iij. Miſc. f. Pulv. In primis Acidularum diebus correptus fuit colicâ bilioſâ aliàs etiam per periodos recurrente, enema autem, quod inſigniter operabatur, dolorem brevi leniebat: ℞. Decoct. emollient. ℥iiij. Carminat. ℥iij. in his diſſolv. Elect. Diacatholic. ℥j. Ung. Clyſmat. ʒß. Ol. Chamomill. Violar. Lin. Rutac. āā. ℥j. Miſc. f. Enema. Dein de Acidulis menſuras duas bibit, & ita per 14. aut 15. dies procedendo convaluit. Quantas obtineant virtutes Acidulæ præſertim Martiales in debellandis magnis morbis, quotidiana docet experientia, & dictat ratio, ſicut autem earum uſus legitimus ſummè ſalutaris eſt, ita abuſus maximè nocivus, imò non rarò lethalis exiſtit.

OBSER-

OBSERVATIO LXII.
D. GEORGII TOBIÆ DÜRRII.
Anus occluſus.

ANno 1688. Menſe Februario Domini Joſephi Duboins Mercatoris Auguſtani Uxor, enixa eſt puerum ſine podice, unde Parentes anxii Excellentiſſimum Dominum Doctorem Lucam Schröckium Seniorem, Virum ultra quadraginta annos practicum, Collegam meum honoratiſſimum, & me in conſilium vocârunt, ut clauſa porta per Chirurgum Benedictum Schieslin in ſuâ arte diligentem & peritum aperiretur: Sublatis linteolis, inveniebamus anum quidem imperforatum, ſed ab ipſo lineam ad radicem penis procedentem, in extremitate cum aliquo foramine piſum mediocris magnitudinis æquante, per quam viam alvinas fæces modò tenuiores, modò craſſiores, paucas tamen cum conatu, non rarò cum ſibilo flatuum, depoſuit infans. Re à nobis ſeriò penſitatâ, & manifeſtâ ſpe lactati, oſtium hujus viæ minùs quidem ſolitæ, magis ac magis ſucceſſu temporis dilatatum iri, actuali manûs operationi inducias dedimus, intrusâ tamen, ad dilatandum quadantenus hiatum illum, quò liberior conciliaretur fæcibus alvinis exitus, turundâ è radice Gentianæ paratâ. Intereà tamen, cum excrementorum excretio creſcente puerulo, qui cæteroquin edendo &c. ſanum ſe eſſe probabat, difficilior fieret, & abdomen intumeſceret, inſtantibus Parentibus nominatus Chirurgus die 22. April. me præſente, intruſo in foramen ſtylo argenteo, ſecundùm lineæ aut canalis longitudinem exploravit, num tendat ad locum ani conſuetum: cognitâ digito quoque externè non levi rei certitudine, clauſuram hanc neque à conniventiâ, neque à coalitu, ſed ſolummodò per membranam eſſe, impoſito priùs cauterio potentiali, per lanceo-

lam

lam via reſerata eſt, cum modicâ ſanguinis profuſione, & fæcibus in momento exeuntibus: ab illo tempore puer porrò comedit, bibit, digerit, excernit, dejectiones autem alvinæ duplicem per novum utpote ſimulque prius oſtium habent exitum.

[*A. 1688. d. 23. Auguſti exhibita.*]

OBSERVATIO LXIII.
D. MICH. BERNHARDI VALENTINI.
Curioſa in Araneis Obſervata.

Eôdem quo hæc ſcribo anno inſignis magnitudinis araneam in Muſæo meo animi ergò tolerabam, quæ cum crucis ſigno deſuper ornata ſit, vulgo noſtro dicitur **eine Creutz-Spinn.** In hâc autem duo à paucis hactenus obſervata conſpexiſſe licuit, partim quod ſerpentum inſtar exuvias deponat, partim quod Narcotico Opii fœtore exanimata concidat. Utrumque caſu obſervatum eſt, adeoque modum, quô exuviis ſe extricat, certò vix determinavero. Probabile tamen eſt, quod ut ſerpentes petris, ſtipitibus vel rigidioribus vegetabilium caulibus corpus affricando ſe ab effæta cuticula liberant, ita araneas in angulis rimiſque, quas inhabitant, ſe volvendo ſuperiori ſe cruſtâ liberare. De cauſa verò exuviarum in ſerpentibus, erucis &c. eruditè SENGUERDIUS in *Diſſert. Phyſicis.* Ad alterum φαινόμενον occaſionem ſuggerebat Tinctura Opii Langelotti, quam Opium cum ſucco Cydoniorum in Muſæô fermentando præparabam, cujus exhalationes ut hominibus quandam inducunt ſomnolentiam, ita inſectis hiſce certum minari videas interitum. Cauſa ſine dubiô latet in Sulphure Opii Narcoticô, ſicut rationibus æquè ac experimentis dudum adſtruxerunt ex profeſsô Viri pretioſi WEDELIUS, BORRICHIUS, WALDSCHMIDIUS &c. quatenus particulis ſuis acidis ligat, enervat, & nî maturè

maturè obviam eatur prorſus coagulat ſpiritus influentes, eóque facilius ſi tenerior ſenſoriorum textura ſit conjuncta, quâ, ut vulgò dicitur:

Nos aper auditu, nos vincit aranea tactu.

OBSERVATIO LXIV.
D. MICH. BERNHARDI VALENTINI.
Antipathia fabuloſa inter vitem atque braſſicam.

NOn penitus de nihilo eſt, quod Illuſt. VERULAMIUS habet *de Argumentis Scientiarum L. 2. C. 3.* Dum *ſatis* inquit, *ſcimus haberi Hiſtoriam Naturalem mole amplam, varietate gratam, diligentiâ ſæpiùs curioſam; attamen ſi quis ex eâ fabulas & antiquitatem & Auturum citationes & inanes controverſias, Philologiam deniq; eximat, ad nil magni res recidet.* Eas inter fabulas meritò accenſeri meretur antipathia, quæ à LEVINO LEMNIO *Lib. 4. de Occultis Nat. Miraculis cap. X. p. 395.* Vitem inter atque Braſſicam dicitur intercedere. Adeò veritati hoc & experientiæ repugnat, ut nuſpiam ferè lætius ſuccreſcat braſſica, quàm inter vites juniores, idque ſine ullo harum damno vel injuriâ, ſicut in Palatinatu inferiori, Alſatia aliisque Regionibus viniferis obſervavi ſæpiùs; unde meritò his & ſimilibus erroribus maturè renunciamus, de quibus fuſius in *Phyſicâ Scholarum Fabuloſâ*, quam ex Publicis Lectionibus DEO adjuvante propediem Typis exſcripturus ſum, quo fabulis ab Antiquis in Philoſophiâ Naturali olim aſſertis tandem obviam eatur, quas funditus tandem eradicatas iri eò certior me ſpes tenet, quod alius in Germaniâ Phyſicus Celeberrimus ſimile omninò ſcriptum meditetur, ut ex amica D. D. PAULLINI relatione conſtat.

SCHOLIUM.

De fabula hac etiam legi meretur *Henr. Smetius Miſcellan. Medic. lib. 2. cap. 53.* ubi quæſtionem: An, & cur braſſica vitibus inimica ſit, eruditè pertractat; braſſicam ſeri & plantari frequenter admodum, teſtatus, in vineis Heidelbergenſibus tam antiquis quàm novellis, adnaſciq́ue majoribus minoribusq́ue propaginibus, odiumq́ue nullum alterius erga alterum animadverti poſſe. Simile quid *Georg. Rollenhagius* in *libr.* Wahrhaffte Lügen inſcripto, *cap. 14. §. 3.* ſcilicet Halberſtadii multisque aliis in locis braſſicam prope vites naſci innuit, utrâque plantâ lætè germinante & vite quandoq; braſſicæ tanquam fulcro adhærente.

[L. Schröck, L. f.]

OBSERVATIO LXV.
D. MICH. BERNHARDI VALENTINI.
Ex Ophthalmiá Phthiſis.

Crebrâ Verſatiſſimi Medici Francofurtenſis DN. WESEMII experientiâ conſtat, quòd Ophthalmia, imprimis ſeroſa intempeſtivè ſuppreſſa, in Phthiſin pulmonalem ſæpè abeat. Hinc affectibus oculorum Chronicis obnoxii ſi iisdem deſubitò liberentur, raró ultra unius vel alterius anni periodum ſolent ſupervivere, quod ex iteratâ obſervatione haud ita pridem ſincerè mecum dividebat Vir Celebratiſſimus.

[*1688. Menſ. Septembr. Gieſsâ Norib. miſſa.*]

OBSER-

OBSERVATIO LXVI.
D. EMANUELIS KÖNIGII,
De
Vitrificatione Metallorum.

ELegantia ſunt, quæ de Vitris ſtillatitiis ut & anaclaſticis in *Ephemerid. Curioſ. German. Dec. I. & II.* tum à Viro Illuſtr. *Franciſc. Redi* tum *Roſino Lentilio* tum *Morhofio* erudito orbi exhibentur, quibus tamen meo judicio, quoad inſignem utilitatem quàm in Alchymicis & Re Medicâ præſtare poterunt, longius antecellunt Vitra Metallorum, qualia ut & Mineralium, Lapidum omnium facillimè & citiſſimè absque fixis ſalibus absque ullo addito plumbo ſe in fornace compendiosè extructâ in Vitra redigere poſſe liberè ſcribit *Theodorus Gummert* Epiſtolâ divulgatoriâ ſpeciali Anno M DC LXXVII. Dresdæ editâ, in quâ præter dictam Vitrificationem etiam de certâ purificatione Vitrioli, Mercurificatione Ferri & Cupri peculiarique probâ mineræ cujusdam Bohemicæ candidè mentionem facit, neminemque inibi aſſerit hactenus fuiſſe, qui hujus Vitrificationis meminerit, præter *Iſaacum Hollandum;* quonam verò loci hic in ſcriptis ſuis de hisce tractet, minimè ſiſtit: *Libavium* verò dum evolverem offendi hunc ex hujus *Operis Mineralis Cap. LXXVI.* & *Cap. XCI.* hæc adducere verba *Syntagm. Arcan. Chym. de Transmut. Magiſter. Libr. VII.* Omnia metalla absque additamento in Vitrum abeunt excepto auro, quod per ſe nullis ignibus in vitrum verti poteſt, Argento combuſto, ut fit in examine cinnabaris examineque ejus facilè vitreſcente longè facilius metallis cæteris, unde Figuli ex marte flavum conflant, ex Venere viride lucidum vel obſcurum, ex ceruſsâ ſtanneâ lacteum, ex lazurio argenti & bismuthi cœruleum, quod ultramarinum vocant &c. Et quàm varia mineralia vitream naturam accipiunt in conflatoriis Venarum officinis, in quibus ſpumæ &

lapides vitrei de liquatis detrahuntur, qui denuò liquati elegantius & purius vitreſcunt & materia ſunt vitreis vaſis. Idem refert *Cap. ſeq. XX.* quod Iſaacus ex calce Lunæ cœruleum conflet vitrum, ex Solis verò rubrum, quanquam *Cap. XCI.* negaverit Solem vitreſcere poſſe, qui verè calcinari (nî forte hoc notum fuerit Moſi vitulum aureum comburenti & populo Iſraelitico potandum offerenti) nequiret, & tamen non ſit tranſitus ex metallo in vitrum niſi per calcem tanquam medium inter utrumque; Vitrificationis ſcilicet medium eſt terra fuſilis, cinerea, calciformis, cui omne humidum viſcoſum igni ablatum eſt, vel pauciſſimum hujus remanet & cujus ratione poſtea quoque Vitrum (ut Saturni) pinguedinis nonnihil exhibet; Quare ſi conſideremus Metallorum & Mineralium Ortum, reperiemus primariam eorum baſin eſſe terram calciformem, lapidiformem, teneram, & tractabilem ſeu calcem & lixivium Gilgil Arabis apud Albertum, unde inferre eſt, quod Mineralia & Metalla quo plus hujusmodi terræ poſſident & minus de vaporibus unctuoſis mercurialibus ſulphureis aſſumpſerunt, etiam in Vitra redigi poſſent, ſi ſcilicet prius decenter in calcem redactæ ſint partes eorum ſulphureæ, immundæ aliæque impuriores quas in mineris nactæ ſunt, pinguedine namque ſulphureâ combuſtâ, ut Hollandus loquitur, combuſta fex ſulphuris tam ſicca fit, ut metallum in terram aut calcem facilè convertatur: De hac verò terrâ plurimùm participare Antimonium vel facilis Vitri ipſius per ſimplicem exhalationem ſulphuris arſenicalis conficiendi ratio docet; ſtannum etiam multùm hujus terræ in ſinu recondere patet, quod metallis admixtum mox ea fragilia reddat & duritiem ſingularem & tantùm non vitream ipſis conciliet, velut ejus beneficio Cuprum facilè in ſpecula metallica efformatur, cujus ratione commendamus fuſionem ſimultaneam Jov. opt. ℥xij. Reguli Antimonii Martialis ℥j. Ven. rubr. ʒij. ut & jucundiſſimum opus parabolicè exhibitum à *Glaubero Oper. Miner. Part. III. p. m. 102.* quo ſtanni transmutationem viâ facili

cili ſiſtit & quàm dives, generoſa, pulchra & glorioſa ſit in ſuis receſſibus Natura edocet. Alia metalla quod ſpectat, ut Cuprum & Ferrum horum mineræ terrâ ejusmodi lapidiformi propriâ plenæ & metallurgorum ſolitâ caſtratione haud privatæ, per ſe in Vitra quoque abire poſſunt, ceu in liquatione eorum lapides vitrei in ſcoriis adparent. Notabilia verò ſunt verba citati Gummerti dicentis: Materia univerſalis reſpectu metallorum & mineralium talis ſit oportet, qualis requiritur ad lapides & quartios in cryſtallos redigendos; Hinc prout ad radicaliter ſolvenda metalla præſertim perfectiora requiritur mercuriale penetrantiſſimum igne magico prægnantiſſimum (cujus nimirum præparatio fit ope reguli Martis antimoniati ſtellati & Lunæ, de quo *Anonymus Philaletha* in Experimentis de præparatione Mercurii Sophici, & Auctor Anonymus Penes nos unda Tagi nimirum *d' Eſpagnet* in Arcano Hermet. Philoſoph. Opere) quo velut glacies in aquâ liqueſcant & primo opere regiminis quod eſt Mercurii, penitus diſſolvantur, ſic quoque ad Lapides & Quartios vitrificandos talis erit materiæ velut amor, ut ſtrictiſſimè invicem combinata unà in cryſtallum & nitrum abire poſſint; Qualiter verò ejusmodi materia obtineatur, modò dictus analogiſmus & conjecturæ quas ſuggerit epiſtola divulgatoria Gummerti innuunt, nimirum quòd ſit metalli calcinati terra calciformis puriſſima, quæ ſuper porphyrite vel marmore terenda eſt cum aqua ſalsâ impalpabiliter & poſtea aquâ communi limpidâ abluenda, donec aqua à calce munda & pura defluat, quæque rurſus ut prius terenda, donec nullæ amplius ſordes terreæ defluant: Hoc ergo modo ſi debitè procedatur, nullatenus dubitandum, quin inſignia Amauſa (fortè à Muſaico vel muſivo opere, quale Venetiis in Templo Divi Marci videre eſt, ita dicta, de quorum etymologia aliàs tacet Exc. *Brunonis* Lexicon Medicum Caſtelli renovatum) & elegantiſſima cryſtalliformia corpora obtineri poſſint, v. g. ex calce Veneris ita uſtâ inſigne Amauſum viride ex calce plumbi

ac etiam ferri vitrum fulvum, ſtanni album, Argenti cœruleum, Solis rubrum, (in cujus tamen defectu ſi magnum opus philoſophicum quis conficere ignoraverit, quod ad hoc requiritur, Lectori commendamus Purpuram Auri ope liquoris Jovis obtinendam, quo quidam expertus Chymicus, hîc in viciniâ in vico Stauffen, Vitrum rubrum elegantiſſimum conficit) vel ſi mixti colores alii expetantur ex mixtis his invicem obtinebuntur. Qualiter autem Metalla prius calcinanda ſint, ut in Crocos vitrificationi deſtinatos commodè cedant, in *Regno Minerali* diximus fieri ope Salis Tartari & pauci ſulphuris communis, quibus invicem fuſis facilè metallum lamellatum in Crocum ſolvitur: Verùm juxta elegantem procedendi modum Hollandi & Gummerti calces ejusmodi prius depurandæ ſunt, ut Vitrum fiat multò ſpecioſius & præſtantius amauſum, id quod innuit Gummertus dum purificationis Vitrioli ſingularis quâ omnes omninò partes ejus metallicæ ſequeſtrantur, mentionem facit, quo ad coloranda vitra ex ſilicibus fuſis præſtari queant ea, quæ exempli gratiâ è calce Veneris in cœruleo, Martis in rubro, Argenti in flavo & in compoſitione horum habentur. Elegans certè ſummèque delectabilis eſt hic vitrificandi modus Gummerti quo facillimè nigerrimos, rubicundos & albidos craſſos lapides in cryſtallum transparentem, Saphyrum, Smaragdum (qualem artificialem duplicatum novies mille ducatis quendam Mediolanenſem, fraude diu tectâ, vendidiſſe Merretus in Nerum refert) Amethyſtum & quorumvis colorum alias gemmas fundere poteſt, dum nempe debita præceſſit depuratio & ſequeſtratio particularum, quæ opacitatem inferre poſſent calcesque non impolitæ ſed debitè mundificatæ ſumuntur, mundificantur autem Metalla urendo & reverberando aut calcinando (ubi ſi deſit fornax compendioſa Gummerti, illa cœmentatoria Glauberi præ Venetorum Vitriariorum inſervire ad hoc poterit) ac calces itentidem lavando, aut calces denuò in corpus reducendo ac tum denuò

calci-

calcinando atque iterum abluendo aquâ communi, donec nullæ amplius feces proveniant, ſic enim repetitis his calcinationibus & depurationibus impediri quoque poterit ſolita alias efferveſcentia & materiæ effluxus, qui contingit ex mutuâ actione partium acidarum in ſilicibus in partes calcinatas alcalicas juxta communem vitrificandi modum, de quo tantum conqueritur Glauberus. Quantum verò utilitatis ex ejusmodi præcedaneâ depuratione obtineri poſſit, Hollandus & Gummertus eleganter monſtrant ex reductione Amauſorum, quæ etſi per ſelongè majoris ſint pretii & pluris æſtimanda quàm metallum, quod in ſe depuratiſſimum & nobiliſſimum fovent, tamen inſuper anſam exhibent judicandi quid lucri obtineri poſſit ex frequenti vitrificatione & reductione calcium metallorum, de cujus utilitate ſummâ jam quædam in *Append. Ludovici enucleati* propoſuimus, ac etiam ipſum magnum Opus Philoſophicum ad hanc claſſem tandem reducendum eſſe diximus, non enim, ut *Philaletha in Vade mecum Philoſoph.* loquitur, facilè fluit primi ordinis pulvis nedum quamdiu pulvis manet alterius cujusvis ordinis niſi cum corpore ſuæ ſpeciei perfecto fundatur, prius verò tum in vitri metallici tincti formam redactus inſtar ceræ fluit ſuper metalli lamellam calefactam Mercuriumve projectus: unde & *Turba* Comburite æs noſtrum igne fortiſſimo. Cæterùm modus reductionis Amauſorum ſeu vitrorum artificialium exquiſitiorum, quæ Principum vaſa exornabant olim ab Hollando proponitur talis isque conſideratione digniſſimus: Sume & pulveriſa Amauſa ſubtiliſſimè, & ſume bonum acetum deſtillatum, in quo Sal Armoniacum ſolutum fuerit, in ſingulis libris aceti ℥ß. Salis Armoniaci, cum eo contere pulverem ſuper lapide tam tenuiter, ut ſi pictor eo uteretur. Ac illum contritum vitro inde aut amphoræ lapideæ ac bonam quantitatem aceti deſtillati ſuperfunde ac pone in balneo ac balneo ignem ſubde, ut bulliat, ac move quater aut quinquies de die ſpatulâ ligneâ, atque hoc pacto retine per

dies

dies quatuor, tum ſinas frigefieri, ac funde feces aceti in mundam amphoram lapideam, ac ſuper feces denuò acetum recens funde ac fac ut prius, idque tertiò reitera ac ſemper acetum primo adde, tum corpus illud omne ſolutum eſt ex fecibus illis aut ex vitro, tum acetum evapora aut per alembicum deſtilla ac in fundo corpus metalli permanebit in corpore ſubtili, cum eo aliquantum borracis permiſce ac crucibulo inde ac liquefacito in igne vehementi cum corpore. Si fuerit Mars aut Venus, munda ac pura ſunt, ita ut non amplius ſitu & rubigine infeſtentur, ac à ſuis fecibus vacua ſunt. Si verò Jupiter, fœtor ac ſtridor ei ademptus, eſtque mundus ac fortis ut Luna. Si Luna, fixa eſt. Si Sol, Medicina, ac ſi Saturnus fuerit, Luna eſt. Quoad plumbum, notatu dignisſimum eſt, quod *Auctor Artis fuſoriæ fundamentalis & experimentalis* docet, quòd ſcilicet plumbum vitrificatum & in cupellâ ſeu teſtâ reductum ſemper aliquid argenti elargiatur, imò etiam auri aliquid, ſi præſertim flava, fuſca & nigra arena qualis circa ripas Rheni & aliorum fluviorum in Helvetiâ alibique reperitur, cum calce Saturni vel Minio vitrificetur & cum Sale alcali fruſtulisque ferri reducatur, de quo legi meretur *Glauberus in Novo Lumine Chymico* ut & *Oper. Miner. Parte III.* quo in loco aſſerere haud veretur calcis ferri, cupri vel ſtanni libram ope vitri plumbi ſilicum additione facti dimidium vel etiam integrum auri lotonem, ſi res ritè tractetur, reddere poſſe, præſertim ſi Sal Tartari aut cineres clavellati adhibeantur, & crucibula ad manus ſint, quæ non tam citò perterebrantur, id quod fit, quia plumbum denuò calcinatum pinguedine & mole corporis ſui poros ejusmodi vaſorum occludit & impedit, quò minus ignis in metallum agat, quâ actione impeditâ vis omnis in vaſa argillacea vertitur, ut hæc collabaſcere neceſſum habeant. Apertius tamen hoc in negotio ſe declarare videtur cit. *Glauberus Pharmacop. Spagyr. Parte VI.* ubi crucibulorum vulgarium loco ferrea in uſum trahenda ſuadet, imò loco Saturni nemini non noti ipſum Saturnum

turnum Philoſophorum ſecretum ſcilicet plumbum, quod per ſe eſt purum & præſtabilius auro, commendat, Regulum ſcilicet Antimonii optimè depuratum, ceu aptiſſimum ſubjectum, cui ſe aurum ſilicum embryonatum combinare poſſit, ut ſic ex iis, quæ ſeparatim actu metallum non ſunt, poſt ſui conjunctionem in perfectam auri & argenti craſin convenire poſſint, haud aliter ac rotæ horologii disjunctæ horologium minimè conſtituunt, conjunctæ verò harmoniâ decenti quàm optimè elegans automaton efficiunt. Hoc igitur in negotio experiri quis poterit ſumendo calcis Stanni ℔iij. Reguli Antimon. Martialis ℔j. Arenæ Danubii, Rheni, Emmæ vel alterius ℔iiij. & fundendo invicem in maſſam vitro æmulam, quæ in crucibulo vulgari vel ferreo cum Salis Tartari ℔j. reducta, repetitione aliquoties inſtitutâ, auri & argenti ſatis dives evadet, quo facto, aurum ab argento aliisque admixtis præcipitatione ſingulari per fuſionem ſolam obtineri poterit, ſi cui notus erit modus taliter ſeparandi aurum ab argento, quem ſe communicare poſſe, harum rerum Studioſis refert *Cl. Cardilucius in Notis ſuper Erkerum*, quemque Comites, Barones, Nobiles ſumptibus haud exiguis à ſe expetiiſſe ad nos perſcripſerat. Qualiter verò ope vitrificationis Lunæ, hujus fixitas obtineatur, elegans itidem operandi modus eſt innuens juxta ea, quæ ex Animali & Vegetabili Regno demonſtrari poſſunt, qualiter ex deſtructis corporibus ea meliora & glorioſiora reſurgant, haud aliter ac ex putrefactis & incineratis cadaveribus humanis elegantius & clarius corpus reſuſcitabitur, è quo anima die noviſſimo ſplendida lucebit, ad modum ſcilicet lucernæ per laternam elucentis, idque omne juxta beneplacitum DEI. Eleganter de hiſce in Apocalypſi Johannes Evangeliſta: Ipſa civitas (nova ſcilicet cœleſtis Jeruſalem) erat aurum purum & ſimilis vitro puro, nimirum pelluciditate, velut & aurum philoſophicum pellucidum arte fit. Hic verò Johannes Evangeliſta, ſi fas eſt allegare verba Lucernæ Salis Philoſophorum, Auctore filio Coſmopolitæ, *Michaele Sendi-*

vogio p. m. 65. etiam ab Avicennâ dictione primâ libri de Animâ inter poſſeſſores Lapidis Philoſophici ſuosque Inſtitutores, qui ſe ſcilicet Avicennam artem hanc docuerint, numeratur, quod veriſimile ſit, eò quod Eccleſia priſca, Auctore Adamo à Sancto Victore die D. Johanni Evangeliſtæ ſacro menſe Decembri in hymno incipiente: Gratulemur ad feſtivum &c. ſic in ejus honorem cantet:

Cum gemmarum partes fractas
Solidaſſet, has diſtractas
Tribuit pauperibus.
Inexhauſtum fert theſaurum,
Qui de virgis fecit aurum:
Gemmas de Lapidibus.

Ut verò ad fixitatem Lunæ deveniamus, quæ omnium elegantiſſimè vitrificationis beneficio obtinetur, illa ſequenti modo obtinetur prout nimirum opus hoc *Tacki* manus aliquoties effecerunt; ſumitur ſcilicet Argentum ope Saturni decenter lotum & depuratum ad ℥ij. idque in aquâ forti per argentum clarificatâ & præcipitatâ, ut decet, ſolvitur, poſt præcipitatur argentum ſolutum cum muriâ ſeu aquâ ſalsâ & poſt digeſtionem per dies duos in cineribus calidis *Calx argenti* debitè ſiccatur, & edulcoratur & tandem funditur cum *Borrace* in vitrum; Argentum verò ejusmodi vitrificatum ut reducatur cum fructu & compenſatione laboris miſcetur cum *Salis gemmæ* & *Calcis vivæ* de naturâ alcalium ana ℥j. *viridis Æris* ℥ß. *Sacchari Saturni* depurati ℥j. faciendo ſtratum ſuper ſtratum in pyxide cæmentatoriâ vel duobus tigillis perlutatis & poſt quatuor horarum cæmentationem per gradus inſtitutam tandem è vitro denuò obtinebitur Argentum, ſed non quale prius, ſed ſufficienter tum vitrificationis ope tum admixtione ſalium tum viridis Æris & Sacchari Saturni aureum redditum: Salia enim quid hîc poſſint, præſertim Sal Gemmæ eleganter illuſtratur experimento *Kunckel, in Obſer-*

vat.

vat. Chymicus p. m. 154. quo ritè inſtituto quempiam anni ſpatio neceſſaria vitæ præſidia vel fructum ſaltem honeſtum obtinere poſſe, aſſerere haud veretur, ſumendo ſcilicet Sal Gemmæ, vel etiam commune minutim contuſum idque cum foliis argenti cupellati ſtratum ſuper ſtratum faciendo in pyxide cæmentatoriâ per duodecim horas in friabilitatem ſepties cæmentando, & poſteà denuò in conum fundendo aquâque forti ſeparando, quo pacto Argentum ſufficienter auro imprægnatum obtinebitur, unde & non mirum, quod ad particularis illius Chymici proceſſum in *Aureo Vellere p. m. 92.* Argentum fundatur cum Amiantho & Sale communi (Alii etiam aliquid de vitro Veneto addunt, de quo *Beccherus Concord. Chym. p. 547.*) quo tandem ex imprægnatione ulteriori Sulphuris Martis & Veneris ſolaris aurum perfectum obtineri poſſit; Huc ſpectant ea, quæ de naturâ Mercurii ingenioſiſſimè proponit *Beccherus de Minerâ arenariâ perpetuâ p. m. 76.* quòd ſcilicet Mercurius ſit reverà pura puta eſſentia ſalis marini, nempe ſal ſulphureum totum analogum ſulphuri ſalis communis, unde etiam ſuam originem traxit, per deſtillationem ſcilicet ſalis marini in terræ cavernas ibidemque per ſublimationem & commixtionem ſubtilis cujusdam terræ, unde opacitatem acquiſivit, poterit tamen in diaphaneitatem reduci, nempe in liquorem diaphanum, ceu talem ſibi notum eſſe, qui Mercurio in gravitate æqualis ſit, Beccherus refert, innuens hunc liquorem vel de compoſitione pluris terræ diaphanæ ſeu ſalis lucentis vel extractione terræ opacæ ex Mercurio obtineri, eò quod Mercurius ex ſale communi augmentetur, & ſæpe augmentatus in diaphanam aqueitatem tendat. Talis verò liquor fortè & ille fuit, quem quidam Venetus à Græco factum vidit, cujusque medio ope quintæ eſſentiæ decenti digeſtione multiplicatio lapidis inſtituta eſt, uti legere eſt in MS. quodam celebris Monaſterii Murenſis in Helvetiâ p. 185. Ad confirmationem horum facit, quod *Leurſen in Prodromo Theatr. Chym. p. 29.* refert, poſſe ſcilicet additione

vilis cujusdam ſubjecti ſal commune in Mercurium currentem reſolvi, tacendo jam ſal commune nonnullos effectus producere Mercurio proprios tam in poteſtate Medicâ quàm Phyſicâ & Alchymicâ, ipſumque aurum per Mercurium in ſalem communem converſum fuiſſe, ſcribente Becchero. Quantum verò utilitatis prædictæ Vitrificationes in operationibus Alchymicis præſtare queant, patet vel maximè ex naturâ vitri, quod ſcilicet hoc omnibus rebus ingreſſum largiatur, metalla in fluxu conſervet, volatilia & vapores minerales figat, præſervet ab igne, ne adurantur corpora, multaque alia utilia præſtet, præſertim in auro arte facto utpote adhuc tenero, cui fixationem & exaltationem dat. Hinc etiam magnum ſubeſſe arcanum ingenuè fatetur *Beccherus* in illo Vitrificationis modo, quem ſiſtit Chym. Glückhaſ. p. m. 547. ℞ Materiæ illius, unde aurum lotione extrahitur, German. Goldſchlich/ Sulphuris & Nitri ãã. miſceantur probè & in ollâ terreâ deflagrent, addendo poſtea *Vitri Veneti* ãã, ſubacta probè indantur tigillo ſtratum ſuper ſtratum faciendo, & in ſummitate denuò vitro Veneto tegendo, vaſe perlutato fluant probè, ut abeant in vitrum rubrum, è quo pulveriſato ope aquæ regiæ extractio & abſtractio inſtituatur ad remanentiam maſſæ rubeæ in fundo, cui adde Vitrum Saturni parum argenti nobilitatum & commiſceantur Argento fuſo, quo hoc ope vitri Venetæ & Saturni decenter in poris ſuis dilatetur iisque aureæ particulæ ſufficienter ſe infigere poſſint. Alius ejusmodi proceſſus, quo ope Vitri Saturni ingreſſus in Lunam facilitatur, reperitur in *Aureo Vellere p.m. 47.* ℞. *Mercurii Saturni* vel ſaltem *vulgaris* decenter depurati ℥iiij. calefacto in tigillo, adde *Auri optimi* lamellati ℥j. ut fiat amalgama, cui affunde Sulphuris fuſi ℥ij. & continuâ agitatione in lapidem velut nigrum redigantur, hunc pulveriſatum inde phiolæ hermeticè ſigillatæ, & digeratur per quatuor ſeptimanas, ut obtineat pulverem punicei coloris, quem ſequenti aquâ fixatoriâ imbuat: ℞. *Auripigmenti, Salis Armoniaci* ãã. ℥iiij

Sulphu

Sulphuris, Nitri āā. ℥vj. *Cinnabar.* ℥ij. deſtillentur ad inſtar aquæ fortis, quæ ter pulveri prædicto affundenda & denuò abſtrahenda, igne ſub finem fortiſſimo; maſſam pulveriſatam Lunæ in fluxu ſuperinjice & ejus ingreſſum promove ope *Vitri Saturni*, & ſic obtinebis poſt ſeparationem Aurum puriſſimum.

[*Baſileâ A. 1688. d. 10. Sept. Auguſtam miſſa.*]

OBSERVATIO LXVII.
D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI,
De
Fœtus quaſi emortui in vitam per ſuctionem reſtitutione.

Quâ minimè credas mors atra ſupervenit horâ,
Noſtraq; crudeli gaudia falce metit.
Sic heu, ſic Miſeri labor, & ſpes certa coloni,
Immatura perit grandine quaſſa ſeges.
Sic gravidâ teneri velluntur ab arbore fœtus:
Sic pubeſcentem decutit aura roſam.

Sicque cum *Poſthio Pcëta* & *Medico* celeberrimo ſæpius conqueruntur mœſti parentes, quando vident, quòd nec mors differat falcem ſuam immittere jam demum in lucem egreſſos tenellos fœtus, qui & rectè ex eodem *Pcëta* reſpondent:

Una mihi vitam dedit, & vitam abſtulit hora
— — *& juſtos mors venit ante dies.*

Talia autem mœrore plena Exempla accidunt, quando videlicet tenelli fœtus niſus ſui labore, quo arcto illo clauſtro egredi conantur, usque ad mortem debilitati, faucibus mortis inhærent, quibus & certiſſimè abſorberentur, niſi interdum obſtetricis prudentia & experientia ſuccurreret. Varia autem media ſunt, quibus obſtetrices in ejusmodi caſu conſtitutis

ſubveniunt, quorum recenſu hoc loco abſtinebo. Pergam autem plura fœtuum ſuctione in vitam reſtitutorum exempla commemorare. An. 1686. *in Ephem. Cur. Dec. II. Obſ. CXXI. Anni V. p. 242. 243.* duos hoc medio ſervatos cum curioſis noſtris communicavi. Quam in vitam reſtituendi methodum & ſuo Experimento comprobavit Excell. D. *Samuel Ledelius Decur. 2. Anni VI. Obſ. LIX. p. 145.* Ecce! Die 8. Julii Solis currentis An. 1688. à quodam Generoſiſſimo Domino in aulam accerſitus, ut Ejus conjugi puerperæ febre ardente laboranti conſilio meo opem ferrem, quæ cura, (Deo debentur grates) optatum ſucceſſum habuit, brevi enim illa cum ſanitate rediit in gratiam. Hujus obſtetrix, cum à me interrogaretur, quomodo ejusmodi debilitatis puſillis ſubveniret, reſpondit: Suctione papillæ ſiniſtræ mammæ, Eaque methodo jam paucis ante diebus duos fermè emortuos in pago *Kleinen Flinbeck* reſtituiſſe, vitæque aſſeruiſſe dicebat. Errorem alterius cujusdam obſtetricis referebat, quæ ſcilicet infanti adhuc vivo in partu conſiſtenti, manumque ſuam è clauſtro ſuo exſerenti adimere voluit, quod illa admittere nolens manum rurſum in uterum inſeruit, paulò poſt femina illa feliciſſimè peperit ſanum & incolumem fœtum, quem nequiſſima obſtetrix mutilare, manuque privare voluit. Tales obſtetricum errores merentur annotationem, magisque ſeveram animadverſionem per carnificem. *Nutricis peccantis* Exc. D.D. *Paullini*, Academiæ noſtræ Decus, meminit. Contrà iſtam obſtetricem obſervanda *Lex Cornelia VIII. Si quis necandi infantis piaculum aggreſſus aggreſſave ſit, ſciat ſe capitali ſupplicio eſſe puniendum.* Non diu poſt ad me inviſit obſtetrix noſtræ urbis ſenior & Ordinaria, hæc, cum à me interrogaretur de modo ſalvandi fœtus debilitatos; *Reſpondit*, ſe ſuctione papillæ ſiniſtræ mammæ jam pridem tres debilitatos in vigorem ac vitam reduxiſſe; addebat, ſeſe primò fricare mammam ſiniſtram, ſi illud voto non reſponderet, tunc ſe papillam ſugere. Hocque modo cujusdam Bibliopegæ hujus oppidi infan-

fantem penè emortuum vitæ reſtituerat. Iſto ritu jam item fœtus vivificatos *Samuel Ledelius* & ego commemoravimus: Quod ſi tempus plura Exempla ſuppeditet, illa cum Curioſis noſtris, D. V. communicaturus ſum. Alii Nobiliſſimi Collegæ hunc modum ſuas obſtetrices Exempla Exc. D. D. *Ledelii* docere ac ſucceſſum referre dignentur, humaniſſimè à me rogantur. Meo arbitratu ad debilitatos fœtus plurimum quoque conduceret, ſpongiam vino calido vel & ſpiritu vini imbutam mammæ ſiniſtræ & ſcrobiculo cordis apponere, vel & carpis pulſuum admovere,

SCHOLIUM.

BRevis ero, hoc enim lex me jubet! Suctionis beneficio multa mala tolli poſſe in humani corporis œconomia, docet Experientia. Quomodo ea ſurditas ſæpiuſculæ ſit ſublata *Ann. VI. Decur. II. Obſerv. CXXI. p. 254. & 255.* innui. Non poſſum, quin hîc referam hiſtoriam notatu dignam, quam legi in Exc. D. D. *Jæpſerii* manuductione ad vitam longam *c. 3. p. 584.* Calculus ſubſiſtens (ubi ſatis tota virga) continua robuſti hominis ſuctione extrahendus eſt: Qualiter novem abhinc annis, magnum magni Stemmatis, maximæque virtutis Dominam, ſuo feciſſe marito, novi; quæ graviſſimis doloribus afflictam Domini Mariti ſui virgam, inter amaras oculorum ſuorum ſtillas, tamdiu ſuxit, usque dum hærentem in ea tricuſpidem calculum, unà cum frequenti purulentia trium horarum ſpatio extraxiſſet. Hæc hiſtoria nobis ob oculos ponit amoris conjugalis laudabile Exemplum &c. Quid ſuctio queat in vulneribus ſanandis, exque eis extrahendo veneno, docet nos ex *Roderico Santio P. I. Hiſt. Hiſpanic. p. 297. c. 4. Piccartus Decad. V. Cap. X. p. 263.* Non levior fides fuit, inquit, in Eduardum Anglum uxoris: cum, ſcribit, Eduardus Regis Angliæ primogenitus ad Domini ſepulchrum transfretaſſet, fuiſſetque in via proditoriè à Mauro quodam gladio

vene-

venenato percuſſus, Medicorumque remediis non tam allevaretur, quàm alligaretur, tandem in Angliam ſine ſalutis ſpe reverſus eſt. Ejus igitur uxor Regis Hiſpaniæ filia novam atque inauditam ſed amore & pietate plenam adhibuit Medicinam, plagas enim Mariti toxico infectas, quæ veneni vi claudi non poterant, lingua dietim lingebat ſugebatque humorem venenoſum, ut liquorem dulciſſimum, cujus vigore, verius dicam fidei uxoriæ virtute ſic omnem materiam veneni attraxit, ut integratis coalitisque vulnerum cicatricibus ille planè curatus fuerit, ipsâ etiam incolumi manente. Claudam utramq; hiſtoriam verbis Domini *Piccarti* c. l.

Quid harum mulierum fide clarius, quid mirabilius audiri poteſt? ut uxorum linguæ fide & dilectione maritali perunctæ, venena dilecto marito & calculum expulerit, quæ ab electo Medico trahi non valuerunt, quod plurima exquiſitaque non effecerunt medicamenta, uxorum pietas explevit.

Quibus hiſtoriis aliam jungo, quæ & fidei ac amoris conjugalis inſigne documentum præbet. Honeſtiſſima ac piiſſima matrona, cui ab aliis hoc erat perſuaſum, illorum hominum, qui letali morbo laborant, urinam juxta ordinarium naturæ curſum non eſſe ſalſam, ſed prorſus inſipidam, ſæpius ſui Mariti urinam ſine faſtidio & nauſea guſtavit; ſalſaque deprehenſa, exhilarata, at ſpem firmàm de ſui Mariti reſtitutione concepit, quâ & gaviſa eſt. Tantum de ſuctione, quâ penitus enecti fœtus in vitam quaſi reſtituuntur, quâque duæ magnæ Matronæ conjugalis fidei ac amoris ſpecimina eximia dederunt. De ſuctionis efficacia in morbis curandis non memini me quicquam legiſſe apud Autores, quod ſi nunc ulterius in eam inquirere placeret Medicis ac Philoſophis, forſan majus commodum de eo auxilio nobis promittere vel ægris polliceri poſſemus. In hydrope loco *Paracenteſis* ſuctio umbilici vel per animal, utputa canem, vel organo eo fine facto & ad illud inſtitutum adaptato inſtitui poſſet, quem modum ego Paracenteſi præfero & quoque ipſi apertioni per

acum auream, vel argenteam, quid de utraq; ſentiendum ſit, docet nos Excell. D. *Strauſſius* eleganti ſuo opuſculo *Palæſtra Medica* inſcripto, *P. III. Gymnaſm. XII. p. 288. 289.* cujus Magni Viri laborem ſpiſſius exoſculor!

[*1688. 10. Septembr. Auguſtam miſſa.*]

OBSERVATIO LXVIII.
D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI,
De
Corona Serpentum.

DIe 13. Septembr. An. 1688. quo, mi Domine Celſe, literas has ad Te exaro, filii mei cum matertera ſua domum Fridrichſtadio revertuntur; hi omnes uno ore unà cum auriga aliisque duobus itineris comitibus aſſeverabant, ſibi apud Molam Seleck dictam, hora pomeridiana tertia in via occurriſſe ſerpentem prorſus candidum linea nigra per ſpinam dorſi ducta tricuſpide coronà articulum digiti alta coronatum: ſatis quoque commodam eum ſerpentem capiendi fuiſſe occaſionem, ſi diligentiam adhibere voluiſſent, curruque deſilire, ego lubens coronam illam unà cum ſerpente 12. imperialibus redimerem. Proinde certum eſt, dari ejusmodi coronas ſerpentinas; quod autem agyrtæ ac circumforanei, fallax hominum genus, hîc fucum dolumque faciant, hoc ipſius rei veritati nihil omninò præjudicat. Poſſum inſuper ſanctiſſimè affirmare, me adhuc duas ſimiles coronas vidiſſe hîc Kiliæ, alteram habebat quidam aurifaber, civis Quedlenburgenſis, apud nos hîc Kiliæ commorans, peſte illius civitatis incolas depaſcente: alteram habebat cujusdam hujus urbis Conſulis filius, qui eam dono dedit cuidam Officiali Regis Daniæ, qui mihi eam oſtendit. Tollere quoque eas mira adverſus epilepſiam aliosque morbos vi, mihi perſuaſiſſimum eſt: meoque arbitratu effectus ille,

ille, cujus mentionem facit *Höchſtetterus Decade 4. Obſervat. Caſ. 6.* non fuit vanus; aliquid autem humani patitur hic Excell. Vir, dum hoc amuletum ſuperſtitionis accuſat. Coronæ vel diadematis ſerpentini meminit quoque *Majolus Colloq. VIII. p. 212.* Non deſunt, inquit, aliis ſerpentibus diademata, quæ etiam regium ſtatum quempiam indicant &c. Cornutorum ſerpentum meminit *Seyfrid Lib. II. Cap. V. §. 25. p. 667.* ex *Eraſmo Franciſci.* Minimè autem aſſentior plur. Rev. *Franzio* in ſua *hiſt. animal. P. IV. Cap. I. p. 583.* ſcribenti: Cornua nullus habet ſerpens, ſed in quibusdam in capite deprehenduntur quædam eminentiæ ſeu tubercula extuberantia, & quidem carnea, quæ vulgus appellavit cornua, item coronas &c. Cornua quorundam capitibus innaſci docet *Eraſmus Franciſci.* Illas eminentias vel tubercula non eſſe carnea, evincit autopſia, ſunt enim dura, corneæque ſubſtantiæ eſſe apparent. Quidnam autem ſentiendum ſit de aureis coronis quorundam ſerpentum, quos commemorat Exc. Polyhiſtor *Happelius l. 2. c. 7. p. 332. 333.* ſui Mandor. vel deſcript. Inſular. nobis affirmativa placet. Multa enim inſectorum genera cutetenus aureo ſplendore ſuperbiunt: hæcque ſuæ cutis elegantis ſplendore aureo omnia penitus animalia ſuperant; pertinent & huc columbarum colla, pavonum caudæ &c. Pluribus de hac materia ſcripſi *Chil. 3. Cent. 2. Decur. 6. Epiſt. 9. Miſcellanearum Epiſtolarum.*

[1688. d. 13. Sept. Auguſtam miſſa.]

OBSERVATIO LXIX.
D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI.
Mira febris ardentis per frigidam cura.

QUod notemus curationes hominum per ordinaria media juxta receptum MM. ut quidem operæ pretium eſt; ſic nec minus utile ac neceſſarium eſt, annotare

notare curationes per media paradoxa ac contra M. M. peractas, & tandem felici eventu donatas. Quæ & rectè audiunt *irregulares*, aut ſi mavis *extraordinariæ*, quæ ex extraordinariis principiis fluunt. Rectè hîc conveniunt illa, quæ habet Excell. JCT. *Hopperus* in ſuo *Sedunodo L. III. Tit. XLIV. p. 188. Quæ partim bona, partim mala, plus mali in ſe habent, quàm boni, ſic tamen ad bonum aliqua per ea ſit reverſio* &c. Hoc evincet ſequens hiſtoria. Nuper incidi in obſervationum oppidò rariorum faſciculum Nobiliſs. & Excell. D. *Paullini*, *Polyhiſtoris inſigniſſimi, Amici, Collegæ & Fautoris Honoratiſſimi, Ephemeridum Cur. Decadi II. Anno VI.* additum, & quidem *Num. XXIV. p. 30. & Num. XLII. p. 50. 51. De ardentiſſima febre ſolâ nive feliciter curata, & Obſervat. XLII. De ſudore ſub veſte ſaluberrimo* &c. Quas Obſervationes legens, recordabar alterius curationis hiſce non multum abſimilis. Quidam Generoſiſs. Dn. febre ardente laborans, hanc curandi methodum ſecum & feliciter inſtituit; jubet, famulus ſitulam aquâ frigidâ plenam afferret, allatâ aquâ, ſe omni veſtimentorum genere ac ipſo induſio nudat, ita ut prorſus nudus eſſet, hoc facto, immergit lodicem in aquam frigidam, eaque madida corpus ſuum involvit febris ardore æſtuans, ſicque madido linteo involutus ebibit Cyathum Spiritu Vini impletum, lecto ſuperinjecto, aliisque tegumentis, ſopore alto corripitur, corpusque ſudore madeſcit largo, elapſis 24. horis evigilat ſanus ac incolumis. Mira & rara curandi febrem methodus, de qua cum Excell. *Paullino* in hæc verba erumpo: Interim valde dubito, an hoc tentamen mihi tibive, ſi periclitari velimus, fauſtè ſuccedat! Proh! quanta monſtra curationum naſcuntur aliquando in arte ſaluberrima &c. Sanè hæc cura partim bona, partim mala, plus autem mali, ſic tamen ad bonum, DEO auxiliante! converſio fuit, ut æger tam irregulari M M. curatus ſit. Si loco frigidæ, calidam aquam adhibuiſſet, non improbarem, omnium optimè ſibi conſuluiſſet, ſi in Vinum Alcoholiſatum Camphoratum lodi-

cem intinxiſſet, eaque ſeſe involviſſet, hæc optima forſan eſſet M. M. ad febrem quartanam, cumprimis paralyſin tolleret, ſudore largo ſubſequente. De qua aliàs diſcurram &c. Cæterùm ſcio plures ſat commodè & ſine ſanitatis diſpendio ſub nive dormiviſſe. *Nix eſt principium proſperrimum, & omnigenæ fœcunditatis menſtruum vegetabile.* Meretur hîc legi, quod ſcripſit Excell. D. *Henricus Mundt Novæ Phyſic. hodiernæ Lumine Eruditiſs. opere, c. VI. §. VI. p. 42.* Tellus etiam, ſcribit, quæ ſex totos menſes nivibus & gelu obducta latuerat, non alio lætamine refecta adeò luxuriat, ut Cerere ob Proſerpinam inventam ſupra modum lætata, nuſquam uberiorem frugum proventum, aut celerius productum inveniat.

[*1688. 2. Oct. Kiliâ Noribergam miſſa.*]

OBSERVATIO LXX.

D. ANDREÆ CLEYERI,

De

Plantis Japanenſibus Iſnoacky, Germ. Eyſerholz/ & Tzumacky.

ISnoacky, Germanicè Eyſerholz/ quod lignum hujus arboris ferreæ ſit duritiei, arbor eſt vaſta & ſatis craſſa, extrà & intrà nigricans; folia arboris perpulchrè virent, appropinquante hyeme decidua; ſed vere nova ſuccreſcentia. Semina ejus quercuum gallis aſſimilantur, intus cava, nec ad ſui propagationem ſeminando apta. Ob duritiem lignum hoc permultos annos in aqua ſine ulla corruptione durat, unde in Japan ad fundamenta ædium adhibetur, minùs tamen aptum ad conſtruenda navigia & opera marina. Radices hujus arboris medullitùs marmoris varietate ſuperbiunt, ad opera ſcrinaria commendabiles: reſiſtit enim durities earum corro-



Dec. II.

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY.

BRITISH MUSEUM NATURAL HISTORY.



Annus VII.

corroſioni vermium. Creſcunt hæ arbores non tantùm in Regno Japan, verùm etiam in Regno & Inſula Ceram, nec non in Promontorio Africano Capitis Bonæ Spei copiosè, amantque excelſos montes & ſcopulos.

Vid. Fig. XXIII.

Tzumacky vox Japanica, puerum juniorem ſignificans, arbuſcula eſt, duos pollices vel uncias craſſa, tres autem vel quatuor perticas alta. Folia ejus densè ſtipant ramulos & caudicem. Flores magni perpulchrè rubent, in medio ſtaminulis luteis capitulis purpureis præditi. Ultra ſex dies flores non perdurant; ſed decidunt, quos ſuccedunt ſemina, quæ vultum ſeminis Thee præſentant. Folia ſaturatè virent, craſſitiem foliorum Lauri bis exſuperantia. Ramuli ejus cinerei ſunt coloris cum aliquâ purpurâ aſperſi. Radix fibroſa latè ſerpit. Japanenſes arefaciunt ſemina, eaque piſtillis comminuunt, & ſic oleum ex iis exprimunt ſuavè olens. Hôc oleô Japanenſium mulieres itemque juvenes 15 & 16 annorum (Wachaſi dicti) capillos inungunt. Hâc enim ætate ipſis capillos alere permittitur, adultioribus autem abraduntur. Ad alios Medicinæ uſus arbor hæc aut ejus partes non adhibentur. Menſibus Octobre & Novembre folia arboris decidunt; Martiô verò & Aprili cum floribus denuò erumpunt.

Vide Fig. XXIV.

OBSERVATIO LXXI.
D. ANDREÆ CLEYERI,
De
Plantis Japanenſibus Cumi Gummi & Miaco Bana.

CUmi Gummi parvus & humilis eſt frutex, ramuli ejus tenues ſunt, rectâ in altum ſurgentes. Ex iis Japanenſes ſcopas conficiunt: folia ejus minuta ſunt,

parùm ſerrata in margine: decidunt hyeme, vere autem rurſum erumpunt cum floribus eleganter candidis. Voces Japanicæ Cumi Gummi ſignificant Latinis flos ſarmentorum; perdurant flores præter propter 14 dies, antequam decidunt. Fructus non ferunt. Elegans eſt frutex: colitur à Japanenſibus in vaſis fictilibus, & ante cameras eorum & feneſtras collocatur. Ligni eſt admodùm duri, nec ad medicos venit uſus.

Vid. Fig. XXV.

Miaco Bana arbuſcula ſive frutex parvus eſt, priori Cumi Gummi haud diſſimilis. Uberè redit ex Miacko Emporio permagno Japaniæ, centum milliaria diſtante à Nangaſacky, ſeritur & colitur frequens in hortis. Folia aſſimilantur Cumi Gummi foliis, præterquam quod majora ſint & viridiora. Fructus rubri erumpunt ex ramulis & caudice ejus inſtar ceraſorum. Naturâ frigidi & humidi, ſaporis amari. Colitur frutex ornatûs gratiâ.

Fig. XXVI.

OBSERVATIO LXXIII.
D. ANDREÆ CLEYERI,
De
Plantis Japanenſibus Kyrama & Fickoſax.

Kyrama, aliàs Tzutzudſic, parva eſt arbuſcula, perticam unam aut alteram procera, unciam craſſa. Flores ejus variegati inſigne ornamentum conciliant: varii ſunt coloris, ſcilicet rubri, albi, lateritii, purpurei, incarnati; nullius tamen odoris. Inſerunt Japanenſes in hanc arbuſculam florum ramulos varii generis, uti in Europa ceraſi arbores tractantur. Flores inodori cum Anemonibus vel Jaſmi-


Kyrama. vel Tzutzud su.
p. 134.
Fig. 27.
Fig. 28.
Fickoſax

[illegible] HISTORY.

BRITISH
HISTORY


Niſum Schin Srogat
pag. 135. Feggo.
Fig. 29.
Fig. 30.
P. 136.

Jaſminis conveniunt: per integrum menſem durant, ſuccedentibus per ſex dies alios, aliis. Caules & caudices ejus cinerei ſunt coloris. Radix fibroſa in multas radiculas diviſa. Fructus nullus. Loca amant montoſa & ſaxoſa. Sylveſtris planta à Japanenſibus ante ædes & feneſtras colitur: nullius in Medicina usûs.

Fig. XXVII.

Fickoſax alta & craſſa eſt arbor, caudice robuſto. Folia lætè virent ſine apicibus rotunda. Altera ſpecies Fickoſatz dicitur. Folia arboris in modum coronæ creſcunt. Flores flavent odoris jucundi & fragrantis. Fructus rotundi nigricant, & nullius ſunt usûs. Ligna cremanda culinis inſerviunt, ad carbones conficiendos apta.

Fig. XXVIII.

OBSERVATIO LXXIII.
D. ANDREÆ CLEYERI,
De
Plantis Japanenſibus Niſum Schin 'Srogat, Mominoky & Feggo.

NIſum Schin 'Srogat Japanis idem ſonat, & eſt quod Latinis Japanica gens alba. Creſcit eâdem formâ, quâ planta quædam in Java majore, Batavis Jan Brancke dicta. Frutex eſt ſex vel ſeptem pedes altus. Flores ex luteo albicant. Fructus verò candidus. Ob ſaporem dulcem pueris & infantibus gratus & conducens cibus, quamvis intùs fibroſus ſit. Folia hyeme decidunt, & vere renaſcuntur.

Fig. XXIX.

Momi-

Mominoky ſpecies eſt Pini vel Tedæ. Procera eſt arbor rectà in altum ſurgens, foliis aculeatis, ut Pinus, Pinaſter, Teda & ſimiles arbores in Europa verſus Septentrionem frequentes. Harum autem genera longè plura in Japan repeñuntur, quàm in Europa. Cæduntur ex iis trabes pro conſtruendis ædibus & navigiis.

Feggo ſpecies eſt Filicis maris. Creſcit magnâ copiâ in Japan ad ſaxa arboresque veteres. Amat loca umbroſa. Japanenſes hanc herbam frequenter in cibum expetunt. Coquunt radices ad pulmentum usque, quod per cribrum trajiciunt, eique ſuperfundunt jus gallinaceum, & ſic gratus iis fit cibus. A ruſticis & plebe comeduntur radices hæ paratæ cum Miſou.

Fig. XXX.

[1688. 9. Octobr. Berolino Noribergam ab Excell. D. D. Mentzelio miſſæ.]

OBSERVATIO LXXIV.

D. ADAMI à LEBENWALDT.

Vomitus diuturni cura.

NObiliſſima Domina à Loizendorf, Cæſarei Præfecti ferrifodinarum in Styria Uxor, per octo integros annos manè vomitu pituitoſo quotidiè divexata, qui non ceſſavit, donec aliqua ſemper particula bilis porraceæ rejecta fuerit. Petiit à me auxilium, ſuaſi ut biberet acidulas Rhoitſchenſes, de quibus doctiſſimum Tractatum ſcripſit & in lucem edidit Cælius Aurelianus noſter. Dicto facto ex horum fontium uſu in integrum ita reſtituta, ut jam per annum & amplius nullâ nauſeâ & vomitu tentetur. Sic multum eſt poſitum in hoc, ut evacuando humorum colluviem ſimul reſtituamus viſcerum temperiem tonum & harmoniam,

niam, in qua re acidulæ triumphant, certis tamen in affectibus.

OBSERVATIO LXXV.
D. ADAMI à LEBENWALDT.
Morbillorum cura.

HOc anno 1688. Illuſtriſſima Domicella ex familia Zolneriana, ætatis duodecim annorum, Verno tempore correpta eſt morbillis, gravibus ſymptomatibus concomitantibus. Inter cætera reſpiratio difficilis, frequens & anheloſa cum oris raucedine & faucium aſperitate; adhibita ſunt expellentia & contra malignitatem pugnantia, copioſè erumpentibus in dorſo, pectore, ventriculo totoque abdomine morbillis abſque omni alleviatione. Ut autem Vitale ſarcinâ ſuâ liberarem, jamjam Venæſectionem adhibere meditabar, tentavi tamen adhuc expulſivum ex gr. xij. Bez. Orient. in aq. C. B. & fumar. Ecce repentè incipiunt manus & pedes rubris ac latis maculis conſpergi & notabiliter (me adſtante) diſpnœa remitti, pulſusque majori libertati reſtitui, ex quo paulò poſt perfectam obtinuit ſanitatem. Hîc apparet, translationes materiæ peccantis ad partes extremas ſummè eſſe proficuas.

OBSERVATIO LXXVI.
D. ADAMI à LEBENWALDT.
Dyſenteriæ cura.

EOdem anno menſe Auguſti, Dyſenteria Epidemica in Styria Superiori per multa territoria graſſabatur, infantes, convulſionibus ſtatim ab initio infeſtantibus, diem obierunt, adultiores fluxionibus diuturnis die noctuque cruciati, vix levamen ſenſerunt ab Alexipharmacis, plus

ab abſtergentibus & cum adſtrictione evacuantibus; præceſſit tempus inæquale, jam frigore jam æſtu ſæviens, inſectorum magna copia &c. Ego propter accurſum ægrorum miaſmate hoc ex contagio inquinatus, intra triduum plus ducenties ad ſedem Clinicam evocatus, dejeci ſanioſa, purulenta ſanguinea, bilioſa porracea & æruginoſa, ſemel cum tanto ardore ut carbonem ignitum inteſtino recto inhærere crediderim, unde non parùm de gangræna metueram, hoc mirabar, quod ſtatim primo die duæ puſtulæ nigerrimæ urentes in labiis apparuerint latentis hoſpitis indices. Egi tandem clyſteribus abſtergentibus, Epiceraſticis, anodynis, per os ſumpſi Emulſionem, quibus Euporiſton meum, C. C. ſcilicet absque igne præparatum copiosè admiſcui, ejusque gelatinam juſculis, ſic Deo miſerente in meliorem ſtatum redactus, viribus tamen multùm proſtratis. Miſera eſt Medicorum conditio,

Sæpè ægri Medicos non munere, funere donant.

[*Leobio A. 1688. d. 10. Oct. Auguſtam Vind. miſſæ.*]

OBSERVATIO LXXVII.

D. DANIELIS CRÜGERI,

De

Fonte Polzinenſi miraculoſo.

TAm immenſi ſunt fontes Miſericordiæ Divinæ, ut ſi quis eos exhaurire aut rationis trutina pendere aut examinare vellet, aquam cribro hauriret. Rivulus etiam ad nos ex illius bonitate promanavit, dum in Pomerania quoque noſtra fons quidam miraculoſus prope oppidum Polzin, octo milliaribus abhinc diſtans, ſcaturiit, cujus conditionem ulterius declarare conſtitui.

Prorupit autem hic fons in profunda Valle vix per milliaris quadrantem ab oppido diſtante, inter duos Montes amplâ

ſcatu-

ſcaturigine, in cujus ebullitione copioſa alba arena regurgitat, quam ægroti, oculis, auribus, capiti & ulceribus phagedænis externè imponunt. Altitudinem aquæ, Paſtor illius loci, Dominus Joachim. Titelius duodecim pedum poſt juſtam dimenſionem obſervavit.

Regurgitavit hæc ſcatebra hoc 1688 anno, brevi poſt Feſtum Aſcenſionis Chriſti, Menſe Majo.

Color (quod admirationem parit) manè turbidus, albicans, lacteſcens, ſapore ſulphureo; Meridie clarus; pellucidus adinſtar communis aquæ, aſt Vitriolico, Martiali ſapore, quem ſaporem, dum Stargardiam transmitteretur, lingua dignoſcebat.

Color tamen hic certis temporibus iterum variat, ita ut rurſus manè aqua limpida, & clara, Meridie lacteſcens conſpiciatur, & pro variatione hujus coloris alios nanciſcatur effectus, aliumque ſaporem, mox ſal Martiale alcalicum, mox ſulphur & Vitriolum alium oſtendunt effectum & ſaporem.

Quilibet quantitatem & doſin hujus aquæ ſecundùm robur naturæ ſuæ metitur, alii bibunt quantum placet, quoniam Medicus nullus adeſt; Hinc fit, ut quidam in diarrhœam incidant, quæ tamen etiam ſanitati eorum conduxit.

Operatio eſt, per ſudorem, per alvum, per urinam, in aliis etiam vomitum movit ab initio, ſecundùm materiæ peccantis conditionem.

Scaturiginis autem hujus Origo primùm animadverſa eſt ex profluentis aquæ novâ Tincturâ, quoniam illabens in ipſam rivulus novus eam turbavit, atque lacteſcente colore tinxit.

Novitate hac Pannifex Martinus Schmied, motus, ad originem fontis accurrens aquam hanc potavit, oculos lavit, pedem immerſit, quo facto domum reverſus, dormiens in ſudorem univerſalem incidit, expergefactus ſe ab Ophthalmia & ganglio in crure liberatum ſenſit, divulgato tunc hoc

 rumo-

rumore, advolant plurimi diverſis affectibus onerati, & quod mirum, brevi liberantur. Sanè ut fatear, effectus edidit hic fons, qui naturæ limites excedere videntur, ut fermè miraculoſus nominari mereatur.

Curavit enim mutos, ſurdosque à nativitate, phthiſicos, quartanarios, paralyticos, epilepticos multorum annorum, cæcos, tumore & dolore lienis & hypochondriorum detentos, hydropicos, tumoribus magnis in genibus & præcipuè in dorſo inſtar gibbi obſeſſos, ſcorbuto contractos, dolore dentium cruciatos, appetitu proſtrato laborantes, manè vomituriantes & ex bile nauſeantes, cachexiâ & ex mala viſcerum diſpoſitione & obſtructione diu languentes, ex ventris ſcorbutico dolore ejulantes, ſcabioſos & multos alios affectus.

Et quoniam de prædictorum morborum curatione quis dubitare poſſet, mitto ipſum avtographum Paſtoris Titelii Polzini d. 8. Sept. A. 1688. exaratum, qui Exempla curationum cum nominum deſignatione curioſè obſervavit, proq; multis è ſuggeſto publicè gratias egit. Videantur addenda.

OBSERVATIO LXXVIII.
D. DANIELIS CRÜGERI,
De
Epilepſia.

MEntem meam de Cinnabari præterito anno aperui. Verùm cum rationibus ſolùm fidere noluerim ad experientiæ incudem Cinnabarim revocare conſtitui, idcircò cùm in uno Menſe quatuor Epilepticorum cura mihi obtigerit tantoperè laudatos trochiſcos Riverii antepilepticos, quos in noviſſima editione in folio in Arcanis videre licet, in uſum revocavi. Quorum deſcriptio hæc eſt: ℞. Cinnabaris Antimonii, ſingulari modo, ibidem deſcripto, factæ

factæ ℥j. Magiſter. Margarit. Corallior. ãã. ʒjß. Ambr. Gryſ. Croci ãã. ℈j. Ungul. Alc. ʒj. Cranii humani præp. ʒiij. Fœcul. Pœon. ℥ß. Ol. Succin. deſtill. Mucilag. C.C. Cranii q.ſ. ad trochiſcos formandos, doſis ℈j. ad ʒß. Virgo quædam nobilis integram compoſitionem ſucceſſivè abſumpſit, continuis diebus ſumere non potuit, nam ingens turbatio in corpore ſucceſſit, ut ſputationis metus adeſſet, idcircò per intervalla quamdiu potuit, uſurpavit, nullo ſubſequente commodo. Aſt ſequenti Decocto multum levaminis ſenſit, ita ut per quadrantem anni paroxyſmus non conſpiceretur, cùm aliàs bis in menſe vel ad minimum ſemel corriperetur, & hoc ultra annum. ℞. Radic. Pœon. Maris ℥ij. Viſci querni ℥j. Herb. Rutæ, Betonicæ, Verbenæ, Hyſſopi, ãã. Mj. incid. d. ſ. **Kräuter zum Kochen** / manè & hora una ante cœnam ℥iij. ſumſit, tum ex aqua ciconiarum, ad modum aq. hirundinum cum ſpeciebus antepilepticis deſtillata, levamen ſenſit; præcepi, ut Medicamenta continuaret, non tamen obtinui obedientiam.

2. Secretarius quidam ex verborum conflictu iracundiâ ſuccenſus in epilepſiam vehementiſſimam incidit, quater de die recurrentem, dato purgante & ſecta vena dedi remedia communia primùm, ut pulv. epilepticum Riverii, de gutteta, Marchionis, aquas epilepticas cum Sale Succin. volat. C. C. &c. Sed cum cura intra duos dies non ſuccederet, acceſſit quidam Cinnabarim Antimonii laudans, annui dictis, ut adſtantium petito ſatisfieret, datus igitur eſt hic Pulvis: ℞. Cinnabar. Antimon. ℥j. Cran. human. Corallior. rubr. præp. ãã. ʒij. Margarit. præp. Ungul. Alc. ãã. ʒj. F. Pulvis, dedit ℈j. ter in die, dixi forſan doſin eſſe juſto minorem, idcircò altero die dedit cum aquis ſpecificis ʒß. ter in die, ſed cum pejus haberet, & res jam in anguſto eſſet, patiensque & adſtantes mortem timerent ſucceſſuram, iterum curam mihi obtulerunt, idcircò ſequenti modo curam aggreſſus ſum: ℞. Radic. Valerian. ʒij. divid. in duas part. æqual. d. ſ. **Pul-**

ver auf zweymal. ℞. Aq. Cardui bened. ℔j. Theriacæ ℥j. M. d. f. Vermiſcht Waſſer zum Pulver; de hac aqua ſeu mixtura ſumſit ℥iij. cum una doſi pulveris prædicti, & ecce in univerſalem incidit ſudorem, & paroxyſmi mox remiſerunt, à meridie accepit alteram doſin Pulveris cum Mixturæ prædictæ ℥iij. & planè intermiſerunt eâdem die paroxyſmi, mador continuabat, & ſic ſenſim viribus collectis convaluit, qui morti vicinus erat. DEO ſit laus.

3. Ancilla Conſiliarii cujusdam ex terrore, quod ſervus veſperi diabolicâ larvâ indutus & veſtitus, ipſam comprehenderet, incidit in epilepſiam bis aut ſemel in menſe recurrentem. Trochiſcos prædictos Cinnabarinos aliquoties dedi, poſt purgationem & venæſectionem, ſed nihil levaminis ſenſit, idcircò pulv. Radic. Valerianæ per octo dies cum ſudore datus in conveniente vehiculo, ipſam curavit.

4. Attamen majoris tentationis gratia adhuc ſemel in quarto patiente experiri volui. Ancilla quædam oſtiatim ſtipem colligens, cùm & meas fores acceſſiſſet, ex commiſeratione dixi, me non pecuniam, ſed medicamenta pro curatione ipſius morbi gratìs porrecturum, poſt purgationem iteratam dedi trochiſcos cinnabarinos ſingulis diebus, usque dum in ſalivationem incideret, verùm convulſiones epilepticæ frequentius accedebant, idcircò ab illa cura abſtinendum erat, Pulverem itaque Divinum ex Radice Valeriana ſingulis diebus manè aſſumebat drachmæ pondere cum Aqua Ciconiarum cum ſudore, & ecce poſt 15 dies mihi flexis genibus gratias egit, afferens poma, pyra & nuces in patella, ſeq; non alia munera acquiſiviſſe aut poſſidere. Ego verò ut fides huic curæ adhiberetur, miſi hanc ancillam ad fœminam quandam nobilem & alios, ut ediceret quid contigiſſet.

[*1688. M. Octobr. Noribergam allata.*]

OBSER-

OBSERVATIO LXXIX.

D. JOHANNIS AVENII,

De

Termitibus per urinam excretis; Item ſpina & acicula ventriculum perforantibus.

HIc aliquid novi mitto: Termites nimirum ſimillimos iis, quos muſcæ majores æſtatis tempore carnibus apponere ſolent. Illorum aliquot centurias unâ vice cum urina excrevit puella hìc bimula, Chriſtiani Zeitlers / Stannarii filia. Hæc, cum antea cretam, carbones, & ex parietibus calcem & lutum avidè devoraſſet, incidit in febrem, diarrhœam, deniq; in atrophiam.

Vocatus ego tandem, ut ſuppetias ferrem miſellæ, præſcripſi inter alia etiam contra Aſitiam Elix. propriet. ſ. ac. Eſſentiâ Abſinth. miſtum; ad cujus Mixturæ bis vel ter iteraram exhibitionem ingens termitum ejusmodi agmen cum lotio rejectum obſervat mater puellulæ. Audito hoc addebam Medicinæ iſti ſtatim Spiritum Tartari tanquam Diureticum, & poſt aliquoties iſtorum vermiculorum multa millia minxit infans, remittente nunc in dies morbo.

Contrectat Patiens frequenter & digitis ſcalpit regionem veſicæ; inter mejendum verò quandoque tremulâ voce ſubridet quaſi, ac ſi titillaretur leviter. Unde aliqualem in meatu urinario vel cervice veſicæ pruritum adeſſe conjicio.

Rarum hunc caſum dum aliis narro, duæ ex plebejis mulierculæ ſimilem mihi affirmant, qui ante aliquot annos in ſuis filiabus, adhuc vivis, tunc verò ejusdem cum noſtra ætatis, contigiſſet, quarum altera quoq; abſurdo & depravato appetitu multa eſui inepta ingeſſiſſet.

Et

Et *D. Timæus Caſ. Medicin. 38. l. 3. pag. 175.* eundem ferè Affectum de Eccleſiaſte quodam Colbergenſi memorat, inibique Arcani cujusdam ex *Libavii Syntagmate Arcanorum Chimicorum* meminit.

Puella iſta triennis, militis gregarii filia, cui Chirurgus hìc caſtrenſis Paulus Cuhl præterito menſe Majo ſpinam piſcis ſuper ventriculo ex transverſo ſub cute hærentem exſcidit, ut Dibbertus iſtius Cuhlii gener Stargardiæ Tibi recenſuit, ſpinamque oſtendit, ſtatim poſt exciſionem rectiùs valere cœpit, nunc ab Atrophia & omnibus, quæ diu eſt perpeſſa, ſymptomatibus libera.

Sic & Chirurgus noſter urbicus Nicolaus Matthiæ ante annos aliquot puero in iſta corporis regione aciculam eadem ratione extraxit.

Puto ego & ſpinam iſtam & aciculam hanc à pueris illis inter edendum unà cum bolo aliquo cibi fuiſſe deglutitas, quæ ſucceſſu temporis ventriculos perforarunt.

[*Ex literis D. Avenii Colbergâ Stargardiam ad D. Crügerum miſſis, & hinc 1688. M. Oct. Noriberg. allatis.*]

OBSERVATIO LXXX.

Dn. JAC. AUGUSTINI HÜNERWOLFFII,

De

Cephalalgia, corroſivô formicarum liquore curata.

CIvis & fullo Arnſtadienſis, perpetuâ cephalalgiâ tentatus, ex infinitis remediorum generibus adminiſtratis nullum percepit commodum, hinc ea abdicavit omnia, malum patienter ferens. Cùm verò mihi in medicum uſum colligeret aliquando formicas, baculis acervo diruto impoſitis, manibusque deterſis inde & præcipitatis in la-

in lagenam vitream animalculis, & manus ipſi excoriarentur à ſaliente liquore animali, oppidò ceſſavit, nec unquam dolor iſte capitis moleſtiſſimus eſt reverſus.

OBSERVATIO LXXXI.

Dn. JAC. AUG. HÜNERWOLFFII,

De

Verſicolore & exulcerata cute à menſibus retentis.

Puella inferioris ſortis, annorum novendecim, ob menſtrua malè reſpondentia fiebat laſſa, anheloſa, macilenta, per totam corporis peripheriam maculoſa, non exceptis linguâ, palatô, labiis; ex maculis verò lividis, purpureis, violaceis, atris lenticularibus prodibat ſanguis craſſus, purulentus, ater, ex ore rubicundior, grumoſus, aderat reſpiratio ſummè difficilis, lipothymia frequens, periculum interitûs. Quid fit? querula mater me adit, & quid ſubſidii adhuc ſuperſit, rogat. Duxi puellæ exhibendum eſſe liquorem ex Sabinæ Oleo æthereo, Sale Succini volatili, & Spiritu Lepidii paratum, quô bis terve ad aliquot guttas in calida cereviſia acceptô, aliquot libras ſanguinis per nares emittebat absque intervallo, unde extremè debilitata jamjam oppetere mortem videbatur. ἴσχαιμα varia adminiſtrata fuêre fruſtra, & tandem ſtypticus vapor Aëtii exceptus naribus ex hæmatite ignito, in aceto acerrimo extincto, fecit auxilium, & victus melior, & emmenagogus liquor antedictus, evaneſcentibus maculis, in integrum reſtituêre deſperatam adoleſcentem.

OBSERVATIO LXXXII.
DN. JAC. AUG. HÜNERWOLFFII,
De
Gelatina Sabinæ.

EX internodiis ſtolonum annuorum juniperi poſt pluvias exudantem gelatinam, exterius in paralyſi affrictam pro ſecreto habuit Cnöffelius in Ephem. Append. ad Ann. 6. & 7. p. 184. Gelatinam ſimilem in fungulos abeuntem, non ſemel in annoſæ Sabinæ ramis, humidâ tempeſtate obſervavi. Hanc in vitro ſoli expoſitam, inq; aquam redactam & propinatam, ſuppreſſos menſes blandè & ex voto ciere ſcio.

OBSERVATIO LXXXIII.
DN. JAC. AUG. HÜNERWOLFFII.
De
Mole corporis à mola & hydrope notabili.

SOphia Ronnebergin, uxorcula civis noſtratis, annorum viginti quatuor, gravida viſa, ſtupendæ magnitudinis ventrem præ ſe ferebat ultra menſes novem; ſed partûs loco burſa ſe oſtentabat hydropica, quæ tantam indies creſcebat in molem, ut rupturam abdominis ſæpè metueret ægrota. Sanitatis deſiderium bonæ inſidebat fœminæ: cùm verò nil opis ſupereſſet, exſiccata tandem & arida illa supernè, exhalabat imô ſub pondere vitam. In exenteratione, adactâ novaculâ, ex abdomine trium ulnarum in ambitu, aquæ flaveſcentis menſuræ triginta ſex in vas proſilierunt, neglectâ eâ, quæ manavit in terram. Peritonæo papyraceo internè ad latus

BRITISH MUSEUM NATURAL HISTORY

Fig. 32.
pag. 247.



A. Ventriculi portio.
b.b.b.b. Inteſtinum Duodenum.
c.c.c.c. Pars inferior ſeu cauda Pancreatis in experimento abſciſſa.
d.d.d.d. Pars ejus ſuperior, quæ ligato ductu emarcuit.
e.e.e.e. Portio sani superſtitis, nucis juglandis magnitud:
f. Locus ubi in inteſtinum penetrat ductus Pancreatis.
g.g.g.g. Ductus callosus partis ſuperioris marcida.
h. Cicatrix callosa rami superioris decurtati.
i.i.i.i. Ductus partis inferioris abſciſsæ.
k.k.k.k. Ductus lateralis exilis, qui ducit ad meatum bilis.
l.l. Locus, ubi pars inferior ſeu cauda Pancreatis olim reſecta fuit.

latus ſiniſtrum adnatæ erant hydatides quatuor gallinaceorum ovorum magnitudine, totidemque tubercula ſebacea magnitudine gallarum. Inteſtina flatibus & excrementis aquoſis ſcatebant. Uterus immenſum extenſus erat, & lateri dextro firmiſſimè adhærebat mola carnoſa ovata, libras novem civilis ponderis pendens, cum aliis quinque minoribus uvarum magnitudine, & hydatide veſicam æquans mediocrem ſuillam. Hepar conſpiciebatur tumidum & pallidum. Veſicula bilis atro humore repleta. Lien craſſus & cinereus. Renes mucoſi. Pulmo durus, & nigris maculis pictus. Mirum verò, quòd fœmina ejusmodi tenella, lecto vel ſedili non affixa perpetuo, tantam ferè ad ultimum vitæ diem usq; ſarcinam circumferre valuerit.

OBSERVATIO LXXXIV.
Dn. JAC. AUG. HÜNERWOLFFII,
De
Euporiſto in Hydrope.

DEUS in abſcondito ſemper poſuit maximum, in aperto autem minimum, inquit Crollius in præfat. de ſignaturis. Fluitat & occultatur in aqua, quod loco movet aquam in humano corpore, & in apertum profert, fœniculum ſcilicet aquaticum, vulgò Waſſer-Saum. Si enim lympha extravaſata inundavit viſcera, & venter intumuit, planta hæc impoſitione ſola molem lymphaticam educit. Aſcitica Arnſtadii, ſuaſu cujusdam ab eodem malo ſic liberati, fœniculô aquaticô aridô pedes ſibi ſupra malleolum circumdari juſſit, quod veſicatorii vicem, & unâ nocte plurimas veſicas effecit, quibus diſſectis, abdomen & crura feliciter ſe exonerarunt, aquâ fluente ſenſim ad multas libras, ægraque ſe refocillante. Paganus Eſpenfeldenſis, hydropicus εὔσπλαγχνος eandem herbam pedibus admovit, & ex

voto aquam eduxit. Quod verò miſerum, excoriati pedes ob effluxum continuum laticis ingenti dolore cruciari ſolent ægrotos, quos jubeo ſolari, & à periculo defendere ſequenti cerato: ℞. Gum. Elemi, Terebinth. ãã. ℥ß. Colophon. ℥j. Ol. Amygd. d. Roſar. Lumbr. terreſtr. ovor. ãã. ʒvj. Ceræ ℥j. Liquatis his leni calore adde Pulv. Rad. Ireos Flor. Lumbricor. terreſtr. Thuris, Myrrhæ, Tutiæ, Bol. Arm. ãã. ʒij. Vitell. ovor. num. ij. M. exactè. F. & S. Heil-Pflaſter. Paracenteſis ad umbilicum Chinenſis moxæ ſubſidiô inſtituta cum euphoria videatur apud Gehemam Obſerv. Med. 4. Decad. 1.

OBSERVATIO LXXXV.

Dn. JAC. AUG. HÜNERWOLFFII,

De

Pudendo ſuillo contra urinæ incontinentiam.

POëta ſentit: *Obeſô nil melius turdô, nil vulvâ pulchrius amplâ.* Caro nempe ſuilla vulvæ contermina eſurientibus, ipſum verò os vulvæ lectum mejentibus conducit. Vir quinquagenarius mandit vulvam cum parte ventriculi & inteſtinorum bovis coctam, conciſam, & cum aceto præparatam inſcius, & urinam continuit. Adoleſcens octodecim annorum ejusmodi vulvam devoravit in botulo, & opem ſenſit. Puella ſexennis ex galreda conſumſit hoc pudendum, & à pudendo malo liberata fuit. Eundem glabri murium pulli obtinent effectum in Ephem. Decur. II. Ann. 2. Obſerv. 173.

OBSER-

OBSERVATIO LXXXVI.

DN. JAC. AUG. HÜNERWOLFFII,

De

Diabete lethali ab uſu cantharidum externo.

SExennis puella civis cujusdam Ilmenſis, poſt curatam urinæ incontinentiam, fluxiones oculorum doloremq; paſſa, à veſicatorio ex cantharidibus ad nucham applicatis, lethalem incidit in Diabetem.

OBSERVATIO LXXXVII.

DN. JAC. AUG. HÜNERWOLFFII,

De

Curatione Dyſenteriæ deſperatæ.

CIvis & ſartor Arnſtadienſis, temperamenti calidi & ſicci, annorum triginta ſex, dyſenteriâ decumbens, incidit in manus immaturi practici, cujus conſiliô ſine mora validum adſtringens aſſumpſit, ex quo ſtetit ad horam fluxus, poſtea verò idem violentiſſimè rediit cum ſummo ventris cruciatu, ſingultu, vomitu, teneſmô intolerabili, phimoſi, urinæ ſtillicidiô, lipothymiis frequentioribus, vigiliis, inſaniâ, excreta per alvum cruenta, carnoſa, æruginoſa dejiciebantur, & quas præterfluebant partes, peſſimè exedebant. In opio hîc maxima vis erat auxiliaris. Pulvis ex C, C. Phil. Bolo Arm. Terrâ ſigill. Antim. Diaph. cum aliquot guttis Tinct. Opii ægro præbebatur, enemata abſtergentia, conſolidantia opiata curabam injici, adſtringentibus & confortantibus pulveribus Laudanum Opiatum admiſcebatur, & interdum granum j. ejusdem ſolum porrigebatur;

& ſaneſcebat hic noſter, poſtquam ultra quatuor hebdomades noctes dieſq; mille ſuſtinuit labores, & Hippocrati 4. aphor. 24. dyſenteriam, ſi ab atra bile incipiat, lethalem eſſe pronuncianti, vellicavit aurem.

OBSERVATIO LXXXVIII.

Dn. JAC. AUG. HÜNERWOLFFII,

De

Calculo clavato.

DN. Joh. Wigleben, verbi divini Præco in pago Sültzenbrück, ſat diu calculo renum gravatus, tandem octiduanam experitur iſchuriam, unde cordis anxietas, vomitus inanes, hæmorrhagia narium, inflammatio faucium, totiusque corporis pruritus oriebantur. Vocatus ad hunc, omnem locavi operam clyſteribus, diureticis blandis, & fortioribus lithontripticis, inſeſſibus, fomentis, inunctionibus, emplaſtris emollientibus, carminativis, non neglectis ſymptomatibus urgentibus, quorum uſu tandem urina turbulenta ad libras duas unâ vice fuit excreta, & ſucceſſivè major copia cum inſigni allevatione. Cùm autem boni dies præteriiſſent octo, ſecuta eſt nova & totalis urinæ ſuppreſſio, per dies totidem durans, cum vomitibus crebris primò inanibus, deinde craſſæ, tenacis & cruentæ materiæ, cordis palpitatione, & ſuffocatione lethali. Apertô cadavere, omentum & inteſtina ſanguine erant ſuffuſa. Ventriculus venis & arteriis turgidus. Hepar ingens ex atro rubebat. Lien maculis nigris ſignatus conſpiciebatur. Ren ſiniſter ſolito major & pallidior erat, inque ejus parenchymate & cavitate latitabant calculi rotundi, angulares, duri & frangibiles, albi & ruffi, cum multo ſabulo & muco. Ren dexter ſemiputris magnitudine multum ſuperabat ſiniſtrum, & crepitabat preſſus, inque diſſecto hoc ſilices duros teretes, triangulares, orbicu-

biculares piſis majores offendebam, quos continebant pelvis, & ipſum parenchyma renis. Unus verò notabilis, craſſitie pollicis, orificio ureteris veluti clavus major capitatus [Vide Figuram XXXI.] unciam unam ſemis cum drachma una & ſcrupulo ſemis pendens, ita fuit infixus, & ab eodem ſuperfuſô ſabulô copioſô obturatus meatus, ut nihil ſeri urinarii tranſire potuerit. Ureteres fuerunt ſolito craſſiores & vacui. Veſica urinaria vacua. Teſticuli in ſcroto exiles & flaccidi. Primò quidem, ſolutô in nonnullis carunculis muco, per ſiniſtrum renem exivit urina ſine dubio: viis tamen illis iterum occluſis, reſtagnavit hæc denuò, & aruit fluvius, oppreſſis vitalibus, morte patientis infelicitatem eximente.

Fig. XXXI.

OBSERVATIO LXXXIX.

Dn. JAC. AUG. HÜNERWOLFFII,

De

Cerebro Apri antipodagrico.

SYri Medici in Tragopodagra Luciani unguentum ſecretum, quô ſolantur dolentium cruciatus, crepantes, nulli mortalium juramento adſtricti revelandum, exclamant inunctum eſt; ſed non laxat flammam doloris. Majorem in ſe conſolationem habent, quæ citra invidiam cordatiores medendi palàm faciunt artifices. Verùm & ſimplex pharmacum, lac caprinum calidè applicitum Valleſius. Panis medullam decoctam, & cum pulpa caſſiæ impoſitam Riverius. Cœleſte ſigillum, ſive Bryoniam ad extra Villanovanus. Totam bonam Simon Pauli. Liquorem in vetuſtis quercuum caudicibus reperibilem Hagedornius. Linctum canum Cnöffelius. Pinguedinem erinaceam Aabdorachmannus Ægyptius. Laudo cerebrum apri calidè impoſitum, quod ſatis proſperè multi, me ſuadente, ſunt experti.

OBSER-

OBSERVATIO XC.

DN. JAC. AUG. HÜNERWOLFFII,

De

Noxa puerperarum à ſecundinis temerè abjectis.

SEcundinas quisquiliis, locisque impuris & ſuſpectis mandare, quantum ſæpè noceat puerperis, non ignotum eſt. Emaciatæ primiparæ in noſtra vicinia exemplum, cujus lochia cum ſecundinis paludi putidæ injecerat ancilla levis, obſtetrices officii admonet. Fœminæ fullonis Arnſtadienſis poſt partum validæ, ſecundinas cum lochiis projiciunt in foſſam extra mœnia, ubi ſolent hoſpitari ſerpentes & bufones; ex quo puerpera cordis anxietatem percipit, noctes inſomnes ducit, tacitaque exæſtuat irâ, naturaliter ad hanc non prona. De conſilio rogatus, quia propenſio aderat ad vomitum, porrexi emeticum antimoniatum, quod eduxit abundè bilioſam amurcam, cum ſupernatante quadam pinguedine, & ſana evaſit fœmina.

OBSERVATIO XCI.

DN. JAC. AUG. HÜNERWOLFFII,

De

Maleficiis ſuffitu curatis.

PErmittente Deô, Dæmon *κακόχαρτος* per ſua mancipia facit cæcos, ſurdos, mutos, claudos. Sicut verò ad opera ſua nefanda rebus hic utitur naturalibus; ita iisdem, Deô in auxilium invocatô, ſæpe deſtruuntur illa mirabiliter. Aliàs faſcino reſiſtere dicitur ſuffitus ex felle ſerpentis, aut canis nigri. Ex faſcino pedis tumorem, dolorem, ambulandi impotentiam Matrona haud ignobilis Arnſtadii

ſanavit

ſanavit in continenti ſuffumigio ex abſciſſa pallii particula rei. Filia civis & figuli noſtratis incantata, repentinum periodicum dolorem dorſi, & anxietatem cordis, nulli pharmaco diu cedentem, abegit à ſe ſtatim ſuffitu fruſti tunicæ ſciſſæ incantatricis incuſatæ. Miles ſuffivit particulis chirothecarum, à compane præſtigiatore ſurreptis, manum dextram incurvatam, & extemplò faſcinum evanuit. Quæ cauſa tanti effectus? neſcio, utrum inflatus Dæmon pertæſus anathematum, atque rerum quæ habentur in levi, ipſe reſpuat ludibrium & futile murmur; an fumus alcalicus tenuis contemptæ & abjectæ materiæ infarctum Dæmonis acidum corrigat & diſpellat?

[*1688 18. Octobr. Arnſtadio Noribergam miſſæ.*]

OBSERVATIO XCII.
D. JOHANNIS de MURALTO,
De
Aſthmate ſuffocativo mirando.

VEnator nobilium Tigurinorum ante tres circiter menſes à cane rabido demorſus, uſus eſt aliquot remediis ſudorificis, & melius habuit; cùm è contra faber quidam ferrarius nulla remedia ſumens derepentè rabie tactus, liquida faſtidiens, torvo vultu & quaſi latrans ſuccubuerit. Venator prædictus, tertio poſt morſum menſe in itinere probè excalefactus potum vini ingurgitavit frigidum, ſtatimque rigore correptus. Laſſitudinem ſpontaneam concepit, domumque magnâ moleſtiâ veniens ſuſpiria movere & anhelare cœpit, nihil penitùs deglutire poterat, & ſtatim atque appropinquaret potus, eſus, vel medicamentum, altâ voce clamare, atque cum maximis anxietatibus ſpiritum trahere cœpit, ſudore frigido per totum corpus diffuſo; aërem verò in ullo membro vel articulo præ ſuffocationis metu to-

lerare nequivit: Convulſiones quoque tantæ erant, ut brachium non potuerimus de loco movere ad inſtituendam venæſectionem vel porrigendam theriacam, tandem ferè rabioſus factus derepentè moriebatur.

SCHOLIUM.

Rabiei fermentum in Venatore diaphoreticis oppugnatum tardiùs vires exeruit, ſecùs neglectis remediis, hinc citiùs ad ἀκμὴν pervenit in fabro ferrario, ipſumque interemit. Vini Cyathus frigidus, quem excalefactus hauſit, frigore excalefactioni ſubindè inducto, ſub ratione motuum contrariorum ſibi invicem & derepentè adverſantium, humores exagitavit, miaſmaque rabioſum latitans exaltatum eſt; anhelitus; deglutitionis impotentia, horror ad potum, eſum, anxietates, convulſiones generis nervoſi affectum indicabant; rabies ſiquidem inflammatio membranarum cerebri à priſcis Medicis definita, ipſorumque ſpirituum inſignis & furioſa excandeſcentia etiamnùm apud modernos audit, quæ præ cæteris quibuscunque aliis morbis gravia horrendaque ſymptomata inducit. Præ ſuffocationis metu refugiebat aërem, ex eo quod membrana ſpiritibus aculeatis exquiſitius ſentirent, & ab effluviis vaporoſis aëre externo propulſis intùsque recurſantibus præcordiis, ſuffocationis periculum immineret.

OBSERVATIO XCIII.
D. JOHANNIS de MURALTO,
De
Partu difficili.

Mulieri paganæ in partûs difficultate, urgentibus magnis doloribus, clauſis uteri latebris, oborto delirio ſequentia præſcripſi: ℞. Cortic. Raphan. Mercurial.

curial. āā. ℥j. Croc. gr. vj. Caſſ. Lign. ſubtiliter pulveriſ. ʒj. Succi Sabin. ʒij. miſce; & ſimul omnia bene contuſa totumque contuſum ligatum in petiâ ſubtili collo matricis junctum fuit, item mixturam ex Succ. Sabin. ʒij. Boracis Mineral. ſubtil. pulveriſ. ʒj. cum vin. alb. odorifer. ℥j. propinavi. 20. Auguſti noctu peperit embryonem vivum ſed immaturum ſine ungvibus, ſine capillis, & qui non ultrà horæ quadrantem vixerat; enixæ infirmitatis ex labore præcedaneo viribus, propinaui aquam Borragin. cum Syrup. Violat. ſumpſitq; identidem conditum major. cum Conſerv. Roſar. beneq; (Deo gratias) reſtituta eſt.

SCHOLIUM.

Quamvis methodo ſcrupuloſè nimis adſtricti à remediis partum excludentibus abſtineant, & φλογίϛα dicant dari in partu παρὰ λόγον, quòd inflamment ſanguinem, accendant febrem, ducantque ad uteri vaſa ſanguine turgida coarctantia & claudentia fœtûs exitum, quodq; partus criſis ſit, quæ naturæ imperio committi debeat, & quod ſi quid agendum, venæſectio cubiti vaſa uteri deplendo ſit opportuna. Nos autem *Hippocratem* ſequuti ab iſto paradoxo urgente caſu deflectere non veremur, partus quippe eſt propriè ipſius uteri niſus fortis validaque compreſſio, quâ totis viribus maternorum viſcerum pondus excludere ſatagit, utque onus illud ſpiritum ducat, penè mater expirat; quidni igitur refocillandæ vires & adlaboranti animæ ſuppetias afferre licuerit; & inter alia etiam ſucco ſabinæ, uti quæ vim ſuam in partu promovendo quotidiè ſalutariter prodit? Valeat igitur Phlebotomia, ſignis Phletoræ partum remorantis urgentibus, locumq; ſuum habeant fœtum excludentia partumque promoventia in aliis caſibus.

OBSERVATIO XCIV.
D. JOHANNIS de MURALTO.
Paralyſis à ſtanno.

ÆGrotus hic inclinabat ad Phthiſin, vino medicatô antiphthiſico fuit repurgatus, adhæc dolores in genibus & plantis pedum torquebant, demumque paralyſis ſuccrevit, ſudatorium ſiccum è racemis expreſſis ingredi juſſi, Oleo Limacum uſus eſt, emplaſtrumque ad paralyſin dorſo applicatum, celebrata venæſectione, Vinoq; medicato ſubſequente repurgatus eſt. ℞. Senn. ℨvj. Rhej. elect. ℨiij. Muſc. pulmon. ſaxatil. Veron. Agrim. Centaur. minor. Calaminth. Marrub. āā. M. j. Rad. Helen. ℥ß. Miſce & ex arte paretur Vinum medicatum. Demumque ad complementum ingreſſus balneum alteratum ex Primul. Veris Rad. Ireos, Heder. terreſt. Gnaphal. Roremar. Veronic. Salv. Centaur. minor. Abrotan. Artemiſ. āā. M. j. & perfectè reſtitutus eſt.

SCHOLIUM.

PAralyſis vel partes omnes, quæ ſub capite ſunt, reſolvit, aut alterum corporis latus, aut quædam membra particularia, motumque & ſenſum unà perimit, vel motum incolumi ſenſu, aut ſenſum incolumi motu. Vapor teter & malignus extùs ſuſceptus intùsve genitus, ſpiritus in fonte aggreſſus perimit & ipſos, percuſſionemque invehit, uti & effluxus ſpirituum è cerebro in meditullium in totum cohibitus, aut effluxus è meditullio in medullam oblongatam, cerebellum aliasque emanationum vias omnimodè ſuppreſſus; ex parte verò tantùm præpeditus effluxus paralyſin inducit; pituita, quæ obturatis meatibus funis medullaris obſidet initium, uti & aura peregrina, quæ ſpiritus è meditullio in caudicem medulla-

dullarem ſcaturientes profligat, paralyſin invehit univerſalem, hemiphlegiam verò, quæ alterâ duntaxat lateris parte inhæreſcit. Injectum cuipiam nervo vinculum ſiſtit ſpiritus partemque reſolvit; ſic & nervi callus, tuberculum, tumor omnis præter naturam nervum aut medullam conſtringens, contuſio ex caſu vel ictu, vertebrarum luxatio obturato ſpirituum tramite paralyſin inducunt; cujusvis demùm partis reſolutio ab obſtructione aut nervi vitio, à cujus ditione ſoboleſcit, exoritur.

OBSERVATIO XCV.
D. JOHANNIS de MURALTO,
Animi deliquium ab unguento ranunculari.

DIe 24. Februarii 1673. puella 12. annorum derepentè incidit in animi deliquium, & quaſi mortua jacuit; pruritum ingentem ſub capillis toto capite perſenſerat ab aliquot ſeptimanis, cùm mater inunxiſſet capillos cum unguento ex ranunculo facto, ut flavedinem contraherent. Affectus hic fuit animi deliquium; cauſa autem ranunculus vi ſuâ cauſticâ & deleteriâ cerebrum & nervoſum genus petens. Curatio talis inſtituta: Capillos & caput Oleo Violat. vel Roſat. pecti juſſi & pilos ad ſiccitatem complicari prohibui, internè propinavi aquas cordiales ex floribus Tiliæ & Lilior. Convall. die Martii 18. ſubinde quaſi oculos intorquebat, caputque per intervalla dolebat, unctionem iterùm præſcripſi uti antea, per intervalla exhibui aquam antepilepticam.

SCHOLIUM.

ROſarum fragrans odor non ſolùm quibusdam lipothymiam ſed & convulſiones proritat; qui ſub juglande dormiunt, dolorem capitis contrahunt; plantæ igitur vene-

natæ jure potiori nocumenta inducere valent, effluviis enim venenoſis ſpiritus adoriuntur & perimunt, uti ſunt Napellus, Aconitum; ſi prior inſidiatur, ad muſcas ei circumvolantes & floribus ejus ſe paſcentes, quibus concolores ſunt, confugitur, vel ad herbam, Anthoram dictam, præmiſſo tamen vomitu; Aconiti vis maligna, vomitu etiam præmiſſo, Rutâ, Origano, Marrubio, Abrotano, Centaurio minore oppugnatur. Si Cicuta periculum facit, ad vinum ſuperhauſtum liberaliter, non parvâ copiâ mixtum ſucco Cicutæ, citiore omnium vehiculo perimit. De ranunculo paluſtri dixit *Virgilius: Sardois amarior herbis*, deditque anſam proverbio: Riſus Sardonicus, quod qui ranunculum comederunt, motibus convulſivis in labiis riſum æmulantibus tenentur.

OBSERVATIO XCVI.
D. JOHANNIS de MURALTO.
Lochia nimia.

Die 23 Martii 1623, fœmina 42 annorum abortum paſſa eſt cum animi deliquio, lochia copioſè fluxerunt, erat impрægnata à duabus hebdomadis, ſubindè Cochlearia ex Aq. Plantag. Equiſet. cum Saccharo tabulato hauſit, Epithemata ex oxicrato lumbis impoſita, lapis hæmatites de collo fuit ſuſpenſus, quievit, vinumque rubellum bibit, diebus inſequentibus incidit in lipothymiam cum vertigine & ſurditate, ſanguis ex utero copioſè fluere cœpit cum dolore lumborum & torminibus ventris, fruſtula carnis inſimul excernebantur, ægraque admodum à fluxu debilitabatur, ut ferè mortuæ adinſtar jaceret, manus ligaturam præſcripſi & exhibui mixturam ſequentem: ℞. Aq. Equiſet. Plantag. ãã. ℥iv. Sacchar. Roſat. tabellat. ʒiv. miſce. Epithemata ex aceto roſato lumbis iterùm applicui, hisce optimè convaluit.

SCHO-

SCHOLIUM.

LOchia poſt partum abundè quidem fluere debent, ſed ſi parciùs aut copioſiùs fluxerint, affectus morboſi ſubindè oriuntur, ita quidem, ut ſtimulis quandoque fluxum proritare, quandoque & cum impetu profluentem moderari Medico incumbat. Sanguis naturæ lege non tantùm excernitur quantus ſed & qualis, itaque retentus æquâ ſanctione in ſeminium morbi accreſcit, uti & in molem pleonexiæ parentem. Ex hac progenie tot fruticantur incommoda toto geſtationis tempore, inter quæ ab aliquot diebus epilepſiam ex hoc fomite enatam videre licuit, in muliere juveni boni habitûs jàmq; olim puerperâ factâ, quæ per ultimam graviditatem verè epileptica evaſit.

OBSERVATIO XCVII.
D. JOHANNIS de MURALTO.
Symptomata ſpaſtica uterina.

DIe 10. April. fœmina à Burem 30. annorum ſeptem infantum mater, inde ab anno ultimum pepererat, paſſionibus hyſtericis in tantùm divexata fuit, ut Sacerdotes ejusdem cœnobii propter murmura & rugitus motusque ſpaſticos ingraveſcentes à malo ſpiritu obſeſſam exiſtimârint, eamque ſine omni auxilio deſperati, multa enim incaſsùm tentata, in Eremum Helvetiorum ad propitiatricem Beatam Virginem cum litteris commendatitiis miſerint, transeundo commendata erat Excellentiſſimo Domino Wepffero, qui fœminam ad me miſit, & ut mea medicamenta in hoc morbo probarem, rogavit; videns itaque urinam eſſe inſtar aquæ fontanæ claram, flatus ab utero copioſos per paroxyſmos ingraveſcentes, oppreſſiones circa cor pati, cæterùm extra paroxyſmum ægram, benè edere, bibere, & dormire, ſpem melio-

melioris ſucceſſus concepi, fœminamque ad aquilæ hoſpitium ablegavi, bonam diætam imperavi, Trageam meam Nephriticam & Spiritum Salis Armoniaci porrexi, venæſectionem inſtitui; ſanguis autem fuit craſſus & fœculentus, repurgata prius, balneum ex Meliſſ. Rad. Filic. Serpill. Menth. Matricar. Tanacet. Chamomill. ingreſſa eſt, & aquâ Tartar. Martial. uſa eſt, pro potu ordinario cum vino, hisce quindecim dierum ſpatio peractis, iterùm ſymptomatibus prædictis correpta eſt, ut exiſtimârit vivum animal, magno cum conatu velle ventrem perrumpere, iterùm juſſi remedia præſcripta adhibere balneum nempe, Aquam Martialem & Spiritum Salis Armoniaci; hisce tandem methodicè adminiſtratis, intra ſpatium duorum aut trium menſium perfectè reſtituta, ſymptomatibusque horrendis, quibus diſtorquebatur, libera evaſit.

SCHOLIUM.

Ὑστερικὸν πάθος à ſpirituum efferatione intra nervorum tubulos cujusdam materiæ peregrinæ orgaſmo percitorum, tot rationum momentis deduxerunt Neoterici, ut ſententia illorum facilè ab omnibus aſſenſum vindicet, materiæ autem morbificæ cauſæ frequentiores ſunt menſtruorum ſeminisque corruptela, ſi enim menſtrui προϋπάρχοντα non excludantur, ſed corrumpantur, penus exin materiæ in morbi fomitem congeſtus cerebrum impetit, ſpiritibusque accreſcens ἀταξίας concitat motusque ſæpius horrendos invehit, nec minùs frequenter ova in ovario corrupta viru contracto ſpiritus in motus pernices & irregulares adigere ſolent. Uti vino juvenes quaſi œſtro perciti furiunt, dormiunt ſenes, rident alii, plorantq; alii, ſic pro peculiari cujusq; indole humorumque craſi variorum ſymptomatum adfertur conſecutio ab eadem causâ, ut non mirum, ſi aliæ furiant, debacchentur aliæ, motibus ſpaſticis divellantur aliæ, aliæ rideant, plorentq; aliæ.

OBSER-

OBSERVATIO XCVIII.
D. JOHANNIS de MURALTO.
Febris lactea.

UXor fabri lignarii 16. Mart. 1681. ſex hebdomadas puerpera, in rigorem incidit, poſteaque febricitavit, lac defecit, eratque debilis. Propinavi mixturam ſequentem per Cochlearia, dediq; Trageam oculorum Cancr. ℞. Aq. Matricar. Veronic. c. Vino āā. ℥iſs. Cinnam. ʒj. Antim. Diaphor. ℈j. Sacchar. q. ſ. Miſc. hisce remediis continuatis intra paucos dies reſtituta eſt.

SCHOLIUM.

TEndunt, dixit Hippocrates, & in mammas & in uteros venulæ album humorem vehentes, cumque pervenerit in uteros aut mammas, lactis formam habent; quæ igitur vaſa per ingravidationem humorem ipſum lacteum enutriendo fœtui deducebant, excluſo fœtu idem humor refluus per vaſa ad mammas deducitur, puſioni nutrimentum ſuppeditaturus; uti decubitus materiæ è vaſis exſilientis in partem aliquam, vaſis compreſſis, & præpedito ſanguinis motu febrem inducit, ſic & mammarum turgeſcentiâ coarctato ſanguinis fluxu efferveſcentia excitatur.

OBSERVATIO XCIX.
D. JOHANNIS de MURALTO.
Guttæ ſerenæ initium.

FRater Ferdinandus 18. annorum 16. Maji 1683. à variolis viſûs debilitatem nactus eſt, quæ etiamnum incrementa ſumpſit, ut ferè cæcus evaſerit, & cum difficultate legerit, nihil obverſabatur oculis, aliàs ſanus,

uſus eſt Salibus Volatilibus & Trageâ Ophthalmicâ cum ſucceſſu.

SCHOLIUM.

HAncce viſus debilitatem ab humorum craſſitie ortum cenſendum; Variolis ſiquidem commoti humores, ſurſumque flati, cerebri arcem impetentes tenebris obſcurarunt, unde fracta oculorum acies contractaque viſus hebetudo; Diaphoreticis verò repurgati humores quaſi diſcuſſis nubibus ſerenum obtinuerunt, priusque oculorum acumen reſtitutum.

OBSERVATIO C.

D. JOHANNIS de MURALTO.

Phantaſia corrupta poſt febrem Hungaricam.

DIe 7. Martii A 1678. Juvenis 24. annorum cephalææ laboraverat cum febre, & per remedia figentia & incraſſantia ſiniſtrè à quibusdam medicaſtris morbi curâ ſuſceptâ, putabat ſe non ampliùs habere caput, credid itque ſe ſpuere ſtramen & chartam, hominesque credidit non eſſe homines, eos omnes metuens, ad ignem appropinquare non audebat, credidit enim, ſi appropinquaret, citiſſimè ſe conflagraturum; ante omnia Doſin Tartari Emetici ſolub. ſumpſit, ab aſſumpto Emetico ter dejecit, dedique Pilulas Aloëticas, urinæ craſſum ſedimentum ſuppeditabant, ultimò vinum noſtrum medicatum aperitivum, ſanguinem depurans, bis in die ſumpſit, imaginatioq; diſturbata & aberrans ſenſim rectificata eſt.

SCHOLIUM.

MAteria morbifica, febre extinctâ, cerebri poris abundè ſuffuſa ſpirituum emanationes, itus reditusque à ſolita via

via deflectebat; itaque ceu umbellulis interſperſis acies ſpirituum perfracta, operationes inſigniter perturbatæ, errorque in mente fuit concitatus; libera ſpirituum ſyſtaſis & ad invicem conſenſus & unio cum ordinata & facili ab intus ad extus tranſitu, notiones etiam ordinatas rectasque pariunt, ſin minus & materia extranea poros offerciat, tracti in devia ſpiritus hallucinantur; & uti oculi per medium obſcurum diverſicolor aut aliàs incongruum perperam vident, fallique conſueverunt, ſic materiæ peregrinæ infarctu, ceu rei noxiæ præſentiâ offenduntur & ſpiritus, timent, & in varia abiguntur pathemata; difficulter autem curantur ejusmodi in mente errores, quòd materia morbifica altiùs impacta & in ſecretioribus locis latitans vim remediorum eludat; adhæc ſpiritus à ſolitis viis præpediti, novos ſibi cudunt tramites, quos dein aliquandiu trajecti, per conſuetudinem ſuos errores repetunt, in iisq; obfirmari ſolent.

OBSERVATIO CI.
D. JOHANNIS de MURALTO.
Surditas & Tinnitus aurium.

DIe 6. April. A. 1678. Juvenis 21. annorum conquerebatur de tinnitu & aliquali aurium ſurditate, multùm ſternutabat, alvusque libera erat, ſitis urgebat; celebratâ ante omnia venæſectione, vino cephalico medicante uſus eſt, foris autem cæpâ ſub cineribus coctâ cum butyro contusâ & applicatâ, atque prædicta ſymptomata evanuerunt.

SCHOLIUM.

VErum auditus organum eſt nervi acuſtici proceſſus mollior in duos ramos bifidus, qui cochleæ implantati loca, in quibus deſinunt ſuâ expanſione quaſi membranulâ obvelant.

lant. Ut illic vera ſedes ſenſationis auditus, ſic iſtarum partium defectus auditum minuit aut deſtruit, ſic obſtructio integra aut reſolutio ſurditatem inducunt, bipartita gravem auditum: ſæpius quoque à tympano, membranulâ nempe à perioſtio orta, circulo oſſeo adaptatâ, ſordido, excrementisque exteriùs aut interiùs ſcatente gravis exoritur auditus; ſi craſſior quoque fuerit hæc membranula à natura, ſurditatem incurabilem inducit; ſi intus tenuis affluat humor, aurium tinnitus & murmura progignuntur.

OBSERVATIO CII.
D. JOHANNIS de MURALTO.
Deglutitus nummus.

INfans biennalis 20. Julii 1678. pecuniam deglutivit, appetitusque exinde proſtratus fuit, membraque debilitata, macies oborta, vomituriebat, diarrhœamque patiebatur, ſitiebat. Embrocatio facta in ventre & dorſo Oleo roſato, internè ſumpſit Butyri recent. cochlearia aliquot jejuno ſtomacho; hisce alvo ſecreta pecunia.

SCHOLIUM.

MIrum, corpora cuſpide acuminata, uti atteſtantur hiſtoriæ med. aliquando impunè & absque nece deglutita fuiſſe; mucus, quo ductus interni oblinuntur, obtundit vim & acumen, ſagaxque natura illa ſitu commodo deducit, devolutaq; rejicit per excrementa; hoc autem magis mirandum, etiam per vulnera & aperturas ſenſim factas, è ſtomacho aliisq; partibus corpora ex improviſo deglutita detruſa fuiſſe, vulneraq; exin optimè conſolidata.

OBSER-

OBSERVATIO CIII.
D. JOHANNIS de MURALTO.
Melancholia uterina.

VIrgo è pago Sunsbas cogitationibus diabolicis vexata, annos 19. agens, menſtruum fluxum nullum adhuc paſſa, prædictis cogitationibus graviter angebatur; de capite vertiginoſo, pulſu celeri & fortiori, laſſitudine membrorum, appetitu proſtrato conqueſta, intumuerat non diu abhinc vultus puſtulis, nunc tantum rubicundis in angulo oculi ſiniſtri naſum verſus reſiduis. Uſa eſt pro potu ordinario lactis caprilli ſero, fonticulus in brachio excitatus, præſcriptum Elixir propriet. Paracelſ. demumque pilulæ purgantes emmenagogæ, quibus levamen ſenſit, tandemque curata.

SCHOLIUM.

TAm ſtupenda eſt generis nervoſi tragœdia, ſpirituumq́ue malè affectorum dyscraſia, ut non mirum, ſi vulgus eam quandoque Diaboli præſtigiis peractam habeat perſuaſum; & quidem probabile eſt, quoties Diabolo miſeros homines vexare permittitur, non poſſe ex alia pharetra pejores ſagittas depromere, nec aliâ ratione ſæviùs furere, quam ſi ipſos affectibus generis nervoſi, ſpirituumq́ue pathematis inordinatis corripiat; Ita quidem, ut quidam etiam Theologi crediderint, Dæmoniacos in Evangelio recenſitos non niſi fuiſſe epilepticos, cujus ideò affectus curatio à Chriſto Salvatore Spiritus mali ejectio ſeu exorciſmus vocatus ſit: Ad horum affectuum itaq; cauſas diſcriminandas ſedulò attendendum. Malefici Spiritus afflatum arguunt, quæ vires naturæ ſuperant, ut ſi motus contingant, qui muſculorum ſtructuræ, moli, uſui, & motibus omninò adverſantur, ut ſi caput in poſteriora invertatur, adhæc ſi patiens antea ignarus varia linguarum idio-

mata loquatur, ſcientias nôrit, diſcurſus ſuper gravia doctè proferat.

OBSERVATIO CIV.

D. JOHANNIS de MURALTO.

Cura ſterilitatis in fœmina Bernenſi.

DIe 4. Januar. 1683. ſterilis per aliquot annos in matrimonio vivens fœmina, inordinatèque menſtruata, à Sale Volatili oleoſo & Tragéa Martiali meliùs habuit, ſecreta eſt per urinas copioſa viſciditas menſesque ordinatiores extiterunt; ſtatim atque uſu deſiit, in ſtatum quoque pejorem lapſa eſt, alvus fuit adſtrictior, flatus oborti multi, lancinationes in ventre, uterique diſtentiones paſſa eſt: doluerunt mammæ, craſſeſcebat collum, aderatque quædam reſpirandi difficultas, ideò Electuarium ad ſtrumas præſcripſi; & poſtquam per aliquot menſes epiceraſticè repurgata remediis aperitivis perrexiſſet, gravida facta eſt, & ſucceſſivè plurium infantum mater extitit.

SCHOLIUM.

INter ſterilitatis cauſas ſunt, quæ patent ſenſibus, ſunt & abſconditæ, ſi ſymphiſis naturalis aut adventitia φιμώσεως Parens ἀτρήτυς, velatas aut capiſtratas facit, ſi pinguedine obeſus genialis thorus, ſi ad coxam allapſus, ſi membrana quaſi peſſulus obſtet, ſi nequeat niſi menſibus irrigata pertundi, ſi os pubis valdè depreſſum, ſi uterus prolapſus virginitatem æmuletur, hæc inter cauſas ſterilitatis ſenſibus obvias recenſere fas ſit, tuncque virum inſontem, ſontem fœminam, nec libellum repudii viro, ſed uxori mittendum eſſe, cenſendum. Si tamen accedat juvenis ἔνσαρκος penſilibus benè peculiatus, virgineasque ſponſæ trituret expandatque criſtas, amicèque amplexus & amplexans nullâ ſuperatus remorâ pertuſo pudendorum

BRITISH MUSEUM NATURAL HISTORY



ad Append: Fig. 7. pag. 167.

Annus VII.

dorum clauſtro arvum genitale mentula ſemen prolificum ſtillante liberaliter & per aliquod tempus aut annos in caſſum irrigaverit, jure merito ſuſpiciendum aliquod impedimentum internum, uti præcluſio tubarum, denegatâ enim viâ ſpiritibus prolificis, conſequenter & denegatur ſperatâ proles, operisque fruſtratio conſequitur, omentum præ ſaginâ gravidum uterum ſuo pondere comprimit, ovulumque ad matricem prolectum opprimit motuique interdicit, quidnî & ſaginâ expansâ & protuberante & ipſum tubarum ornamentum foliaceum ſuâ mole atterit, & quo minus erigatur ovarioque ſe applicat, præpedit, adhæc magis ovum virili ſemine fœcundatum retinaculis ex ovario in uterum amicè proliciatur, ſi ſiccior fuerit uterus, uti ſemen in arvum & terram aridam projectum, germinatio non ſuccedet, nec prolificare potis erit. Succo vero perfuſus uterus amicum hoſpitem excipiat foveatque, ſi ſiccior parciorque ſanguis puſillo fœtui non eroget ſtipendia, alimoniæ defectu pariter & corruet parvula ipſius moles, ſed & quod dolendum, ſi quæ deficiunt cauſæ, ipſa nimia felicitas ſibi adinvenit, liberaliori quippe irrigamento obrutus cadit & ipſe; ſed quod magis ſtupendum ex conſenſu animorum libidinis mutuique amoris œſtro perciti, captique vir & mulier in mutuos ruant amplexus, geſtiantque pariter voluptatis illecebris inhiantes prolem ſibi comparare, optatus inter ipſos deficiet ſucceſſus, quem uterque novis conjugiis initiatus pari eventu obtinebit. Hîc rationibus convenientiæ & disconvenientiæ attendendum, nihil enim niſi in ſimile agit, ovum non fœcundatur niſi perfuſione ipſius ſpiritus ſeminalis, ad intima debet penetrare, ut ipſum inſpiret & vivificet; ſi oſtiola ſint clauſa neque pateſcat aditus, irrita ſunt omnia, gummi aquea & mercurialia, quæ aquis pervia ſunt, oleis non diſſolvuntur, contra quæ oleoſa aquis impervia oleis reſerata in ſolutum faceſſunt, quæ partim aquoſa, partim ſulphurea, non in aquâ aut oleo, ſed in aceto, quod ſpiritum partim etiam ſulphureum, partim mercurialem in ſe

con-


contineat; Spiritus volatilis Salis marini ritè paratus, ſapore acidulus, nullatenus acris diſſolvit aurum, quod non poteſt aqua fortis: ille placidè & pacatè & poros ſubintrat, integris viribus per minima ſubit, abſorbet vincula atque disjungit, hæc ad primos fervoris impetus in congreſſu frangitur, fitque cæteris partibus adeundis & diſſolvendis viribus impar. Eadem aqua ſolvit metalla & lapides duriſſimos, non ceram, ſulphur & pinguia.

OBSERVATIO CV.
D. JOHANNIS de MURALTO.
Hectica cum hemicraniâ curata.

FEmina quædam 30. annorum ante 5. annos abortivit, ut per 14. dies domi hærere coacta ſit, tertiâ hebdomade falsâ pleuritide correpta, brevi convaluit, à juventute hemicraniæ obnoxia degerat, quæque indies incrementa ſumebat: à ſesquianno iterùm abortivit tres menſes gravida inde cordis tremorem, & pulſationem paſſa per vices, carne viribusque deficiebat, ut vix obambulare poſſet, tuſſis ſiccior adaugebatur per ſex menſes; Catamenia fuerunt copioſa, fœtentia cum capitis dolore & cordis tremore fluere incipientia & deſinentia, parùm comedebat, modicè bibebat, dormiebat cum inſomniis, facilè iraſcebatur, venæſectione pluries uſa fuerat, per nares extillabat mucus turpis: hemicrania oriebatur cum horrore & animi deliquio, debilem habuit ſtomachum, urina ſedimentum copioſum inſtar farinæ tegularum deponebat, in auribus tinnitum & in utero flatus perſentiit. Ad curam verò alvum eccoproticis ſubduxi, & per vices, Confectionem paravi ex Diaphoret. Mart. ℈ij. Cinnabar. Antim. gr. xx. Oculor. 69. ℈j. Conſerv. Roſar. rubrar. & Cynorrhod. āā. ℥ß. de qua morſulum alternis diebus manè jejuno ventriculo devorabat, bibit decoctum paſſulatum cum pauco

vini

VII.


A
Pars Costis adnata
dextri Lateris.
Fig. 33.
B
Pars Costis ſpuriis ſiniſtri
Lateris adnata.
ad pag. 108.
Fig. 31.
Fig. 22.

BRITISH MUSEUM NATURAL HISTORY

vini pro potu ordinario; in primo Cochleari juſculorum bis in die ſumpſit Spiritum Sal. Armoniac. cum Oleo Succini ad gutt. v. poſt paſtum morſellum Conſerv. antiphthiſic. & roborantis Bauhinian. devoravit, ſpina, tempora, pectusque in cubitum itura cum balſamo antiphthiſico inuncta ſunt; his per aliquot menſes uſa, macies ablata & ægra reſtituta eſt.

SCHOLIUM.

MAcies, tuſſis ſiccior, cordis tremor & pulſatio, catamenia copioſè manantia, aurium tinnitus flatusque in utero cum ſedimento in urinis copioſo, hæc omnia ſymptomata ſalium fœturæ, quâ pollebat ſanguis, adſcribenda; videtur enim, quòd hujusmodi affectio immediatè oriebatur à malâ ſanguinis diatheſi, quâ in temperiem nimis ſalſam & acrem vergebat, ideoque nutritioni & æquali circulationi minùs aptus reddebatur, ſanguis enim non ſecùs ac oleum in lampade, ſi particulis ſalinis nimiùm redundet, non placidè & æquabiliter, ſed cum crepitu & magnâ partium evaporatione accenditur; quò quidem citiùs diſpenditur, & flammam non niſi languidam exhibet.

OBSERVATIO CVI.

D. JOHANNIS de MURALTO.

Acicula à puella deglutita.

PUella Lithopolitana 16. annorum, 20. Febr. An. 1683. deglutivit aciculam albam, longam, exinde ardebat & pungebatur valdoperè circa cor, inprimis cum edebat aut movebatur, alvus fuit aſtricta, parum dormivit, ſumſit butyrum cum melle, juſſu alicujus Chirurgi, alvus ſemper fuit aſtricta, ita quidem ut ſæpiùs enematibus aut ſuppoſitoriis proritanda fuerit, à paſtu pejus habebat, dolores enim circa præcordia patiebatur & ardores, urina vix cedebat, ali-

quando vomituriebat, demùm repurgata Trochiſcis Alhand: ſenſim convaluit, illâ ſiquidem purgatione in matulâ unâ cum excrementis alvi aciculam rejecit.

SCHOLIUM.

SAtius eſt in iſtis accidentia, maximè dolorem lenientibus & oleaginoſis demulcere, quàm inſtituto perperàm vomitu rejectionem rei noxiæ proritare, metus eſt enim ne in criſibus & violentis ſtomachi concuſſionibus acicula aut aliquid aliud incongruum incautè illapſum impingat in fibras doloreque excitato convulſiones aut alia gravia ſymptomata incurrat patiens, tunica ſiquidem nervea tum œſophagi, tum & ſtomachi interiora obducit, nerviq́ue paris vagi ad ventriculi orificium ſuperius plexus inſignes, imò & quoddam quaſi reticulum, quo totus ejus ambitus inveſtitur, conſtituunt, hinc ut os ventriculi maximè ſenſile cum aliis partibus nobilibus mirè communicet, neque proinde de nihilo eſt, quod *Helmontius* hîc animæ ſedem collocaverit.

OBSERVATIO CVII.
D. JOHANNIS de MURALTO.
Regurgitatio fluoris albi.

FEmina Paſtoris 54. annorum per triennium ægrotabat, datis tamen induciis, magnus capitis dolor aderat verſus cervicem, retrò aures & carotides, malum hoc primitùs auditum ei abſtulit, viſumq́ue debilitavit, ſalſus & acris humor linguam petebat, maximè cùm ſe inclinaret, comedebat, dormiebat, paroxyſmus per 3. & 4. hebdomadas durabat, fluore albo laborabat, quæ materia ad caput debile & nervos regurgitabat, vulva ardebat, multos habuit ructus, à duodecim annis defecerunt menſtrua. Factâ totius proviſione, præſcripſi Diaphoret. Mart. cum Cremor. Tartar. &

Sacchar.

Sacchar. item Spirit. Sal. Armoniac. cum Tincturâ Croci meliusque habuit.

SCHOLIUM.

A Menſtruorum ſuppreſſione gravia ſymptomata emergunt, ſed & ipſis deficientibus graves itidem affectus incurrunt mulieres, non enim ſolùm ſtatis periodis fluxu menſtruali copia ſanguinis educitur; ſed & ſi quid peccans aut heterogeneum humoribus immixtum fuerit, unà ſecernitur, cùm autem exhauſto menſtrualis fluxus fermento, non ampliùs in efferveſcentias periodicas concitetur humorum moles, ſed ſubſideat, facilè & ut plurimùm pravorum ſuccorum fit congeries, qui niſi arte ſubducantur, varios affectus producere nôrunt; Conſulunt itaque Practici, ut purgationes epicraſticæ inſtituantur, vel cauterium cruri inuratur, quò ſenſim recrementa elutriantur, pleniorque pravorum ſuccorum congeries præcaveatur.

OBSERVATIO CVIII.

D. JOHANNIS de MURALTO.

Præcautio abortus.

COnjugem Domini Æblini Præfecti Werdenbergenſis, 36. annorum die 4. Maji 1683. initio imprægnationis urgebat vomitus, & hinc meliùs habebat, verùm circa ſeptimum graviditatis menſem, rigor, capitis dolor, & vomitus urgebant, adeò ut abortûs periculum adeſſet, quippe ante biennium iisdem ſymptomatibus tentata abortierat, obſtetrix ipſi epithema calidum impoſuit ſine ſucceſſu. Dominus Wildius exhibuit Balſamum Embryonum & Trageam uterinam, verùm ſubinde ſymptomata redibant, venæſectio à menſe fuerat celebrata, adhæc motus ſpaſtici prædictis ſymptomatibus aſſociati ſunt, ſitis aderat, præſcripſi

 Emul-

Emulſionem Amygdalarum, Hordeacea, Pomacea, Paſſulata, Carnium elixa, Emplaſtrum de Placentis Aromaticis ſupra ſtomachum, Suppoſitoria & Clyſterem, dedi Spiritum Sal. Armoniac. & Pulverem ſtomachicum poſt paſtum, Pulver. contra motus convulſivos & Syrupum Cydonior. quibus reſtituta ad tempus geſtavit fœtum.

SCHOLIUM.

PLenior ſucci nutritii copia fœtum ipſum obruit, uti & penuria perimit, ambo pari jure ſed diſpari causâ abortum pariunt, quæ præter rationem tenues ſunt, abortiunt, donec habitiores evaſerint, quod juvenculis & gracilioribus contingere ſolet; Evacuatio, quæ fœtui alimoniam ſubtrahit, abortum portendit; Ideò dixit *Hippocrates*: Mulieri uterum gerenti ſi alvus multùm fluat, periculum eſt ne abortiat; nec ſolùm ab internis periculum imminet, ſed etiam ab externis commotus uterus ſarcinam ſæpiùs deponit; & quod mirum, fumo extinctæ lampadis fœtus vinculis ſolutus feretro pignoratur, mortique traditur.

OBSERVATIO CIX.

D. JOHANNIS de MURALTO.

Paralyſis cum macie & doloribus.

M*Arcus Chenebier* Gallus ex Occitaniâ oriundus, temperamenti ſanguinei bilioſi 30. annorum à 12. circiter annis doloribus obortis in brachio dextro emaciationem contraxit à ſcapula ad cubitum cum quadam debilitate, ità tamen ut agriculturæ, quam exercebat, ſufficere potuerit; verùm à duobus annis cùm perſecutione Religionis causâ obortâ è Galliâ in noſtram regionem transmigraſſet, balnea Badenſia adiit brachii ſanan
di gratiâ; verùm non ſolùm fruſtranea fuit balneatio pro brachio, ſed quod magis

magis emaciationem in femore alterius lateris cum dolore accivit; ipſe autem infauſti eventus cauſam in negligentiam præcautionumque defectum rejiciens; ſanitatis recuperandæ avidus cujusdamque Medici conſilio adjutus, iterum & eadem balnea anno 1680. adivit; ſed nec, adhibitis omnibus præcautionibus, felicior primâ vice reverſus eſt, etenim in brachio dolores adaucti, maciesque cum debilitate, ita quidem, ut artem ſartoriam quam factitabat, exercere inhabilis factus fuerit. Notandum, à balneis corpus univerſum ſed maximè brachium ſudoribus perfundi, caloresque in manu ejusdem lateris cum ſudoribus certis horis 18. die recurrentibus contingere.

SCHOLIUM.

QUandoque contingit cauſas ex adverſo oppoſitas eosdem effectus producere; ignis & aqua pari effectu gummata, reſinas, ceram, ſulphur ſolvunt funduntque, frigus & calor utut diſpari ratione, pari tamen eventu cauſas, phlogoſes, pleuritides, peripneumonias pariunt; Conferti nervi humore calido frigidove, tenui vel craſſo, non admittant animalem ſpiritum, quo uno vigent: Præcalidus humor ſalium fœturâ aculeatus in nervos cum impetu iteratisque vicibus irruens tonum frangit, unde languent illi; quin & torpent eædem partes, ſi craſſus humor obſtructionem pariat, ut nec movere nec moveri queant, quandoque etiam ſentire non poſſint. Omnes nervorum affectus convulſionis & paralyſis ambitu continentur: illâ contenduntur nervi ſummo cum doloris cruciatu, hâc relaxantur nullo doloris ſenſu: adverſi omninò hi duo affectus cohærent quandoque, unâque exiſtunt, ſæpèque uti dolor & motus ſpaſticus ad paralyſin alludunt, ita & ipſam inducere valent. Cerebrum tenuioris & ſeroſi humoris fons eſt uberrimus, is excurrens per varias corporis partes innumeros morbos eosque graves procreat, convulſionem, paralyſin, aſthma, febrem, lienteriam, arthritidem:

non leviores profert in ventriculis cerebri conſiſtens, hos enim ſi intercludat, oboriuntur epilepſia & apoplexia, quæ ventriculorum congeſtio hosce tamen affectus magis indicat quàm cauſatur. Meſenterium viſcerum quaſi ſentina eſt, grave illud excrementis deponit quandoque onus in lumborum nervos, ex quibus producitur, unde incidit paralyſis, quam ferè antecedunt diri ventris cruciatus, colici doloris æmuli; ut & hi viciſſim paralyſin conſequuntur, ſeri morbifici æſtu reciproco: inter genus nervoſum & ſanguinem intimum adeſt commercium, ita ut hìc nauſeabundus in illud quandoque ſordes transferat evomatque recrementa, ſua quoque illud impertit venis vitia, ut alter alteri invicem malas merces mittat reſumatque dyſcratos ſanguis, ſalibusque enormibus turgens ſerum morbificum in caput rejiciens huic diro affectui tum primùm occaſionem præbuit; ideoque ſpiritus animalis ſero acriori pleniùs elutriatus, ab influxu ex parte cohibitus in minutas exploſiones urgebatur, ex quo fracto partium tono de robore remittebant nervi, excruciabanturq; à malignitate ſeri irradiationeque ſpirituum ex parte præpeditâ macies inducta, verùm cùm nervorum in brachio affectorum in ſuâ compage non integra contigiſſet reſolutio, ſpirituumque affluxus ad partem ex parte tantùm cohiberetur, ideò & adhuc ſatis valuit brachium, ut cum aliis membris ad opus agricolæ perficiendum ſe accingeret, diuque in illo ſtatu remanſit, quod ars quam profiteretur, robur partibus nervoſis conciliet, & diapnôe quam promovet, ſero extraneo & morbido genus nervoſum liberaretur; verùm transmigratio in regionem frigidiorem diapnôe imminutâ in morbi cauſam novum penum cumulavit; non mirum itaque, ſi in partibus cauſariis & in corpore ſuccis fervidis ſcatente balnea calida & ſulphurea exagitato morbi fomite quaſi excentrati humores plurimùm exaltati ſint & citò ad ἀκρότητας perducti, unde è primis viis in ſanguinem & exinde in cerebrum & nervoſum genus propulſi, non ſolùm prior affectus intenſior factus eſt, ſed & pro

novo

novo materiæ morbificæ penu ipſiusque rejectione in propagines nervoſas femori inſertas, novus progenitus, femorisque macies & debilitas conſecutæ ſunt. Iisdem cauſis perſeverantibus eâdemque patientis diatheſi, ſecundum tentamen priori non fuit felicius. Si quis itaque fauſtis auſpiciis cujusvis affectus medelam ſuſcipere velit, cauſas morbi dirimat priùs neceſſe eſt. Ubi phlegma craſſaque pituita paralyſeos eſt parens, tunc thermæ conducunt, adſit tamen modus, præcedat catharſis humori peccanti analoga & epiceraſticè facta. At in balneis non eſt ſudor temerè ciendus, diutiori morâ exolvit, ille exhaurit corpora, nec enim erumpit modò ſerum ſuperfluum, ſed prodit unà ſuccus alimentarius: Languida nimio ſudore natura morbi curationem ſuſcipere aut ſuſceptam abſolvere nequit, ut longo tempore morbus moretur, vel brevi ſit rediturus: ſæpiùs noxii humoris nihil exprimitur, accenduntur duntaxat ſpiritus, conflammantur humores, concitantur inde febres; novique Catarrhi moventur. Εὐρέον igitur ante omnia ſit corpus, ſi quod incendium internum compeſcatur talisque modus teneatur, ut ſine virium diſpendio & corporis perturbatione vel ſenſim exudet inutilis humor, vel ſine ſenſu expiret. Si acre ſerum fervidique humores cum motibus ſpaſticis paralyſin induxerint, parte recens reſolutâ, vix dum inſidente nervo, inſtitutâ victus ratione quæ contemperet, quàm primùm corpus exhauriendum eſt clyſtere frequenti, detractione ſanguinis intervallis repetitâ, purgatione crebrâ, ſed blandâ. Hâc arte æſtu humoris compoſito tempeſtivè obſtructio reſerabitur ecphracticis, eccatharticis, quibus qui nervum occupat humor in halitum ſolutus expirabit; ſed in uſum vocentur tum intus tum extus, quæ temperie non adeò calidâ prædita tenuiorem ſunt ſortita conſiſtentiam, hydrotica fortiora fuſioria & colliquantia hîc aliena ſunt, uti & thermæ, quæ ſanguinis dyscraſiam adaugent, motâque camarinâ ſi quod ſeminium calidum prius iners in ζύμωσιν conjectant: quare qui aut arthritidi, aut calculo hæredita-

ditario obnoxii paroxyſmos nondum perpeſſi ſunt, à thermarum uſu ſæpiſſimè alterutrius morbi fructus in ſe ſtatim maturari ſentiunt. In iſta autem paralyſeos ſpecie cauteria in vicinia partis affectæ excitata conſulerem, quod jugi humoris noxii extillatione non ſolùm parte oneris levaretur pars affecta, ſed quod ſenſim etiam materiæ impactæ tenuioris utpote conſiſtentiæ, quàm in alterâ paralyſi, difflatio ſecretioque expectanda foret. Salivatio è mercurio quod certiùs quàm quodvis aliud remedium nervorum ſordes eluat, hîc etiam incaſſum aliis tentatis ſuum locum habere poſſet, præmiſſo balneo.

OBSERVATIO CX.
D. JOHANNIS de MURALTO,
Convulſiones mirandæ.

Margarita Fronchet vidua 25. annorum, craſſa, & robuſta, temperamenti ſanguinei ſub initium veris anni 1684. febre intermittente correpta, poſt aliquot paroxyſmos inconvulſiones incidit, cujus paroxyſmi ſæpiùs redibant, ita quidem ut fermè quotidiè ejusmodi motibus ſpaſticis plecteretur, ſed cum tanta violentiâ, ut manus & pedes tantis contracturis ſtringerentur, ut murmur quoddam crepidationis ab adſtantibus diſtinctè perciperetur, & ex maxillaribus quidam à nimio ſtridore dentium confracti fuerint. Iſtius autem tragœdiæ ſpaſmodicæ initium dolor inſignis in latere dextro ceu præludium arguebat, adhæc hæmorrhagiâ etiam per vices recurrente magnam ſanguinis copiam profundebat, paroxyſmis ſpaſmodicis liberata de laſſitudine ceu de magno labore perpeſſo conquerebatur. Variis remediis incaſſum tentatis, morboque diris cruciatibus horrendisque convulſionibus obfirmato, locum in latere dolorificum inſtantisque convulſionis nuntium cauterio potentiali inter 3. & 4. coſtarum notharum inuri juſſi, ſcal-

pelloque

pelloque incidi, aliquandiu vulnus apertum detineri præſcripſi, unde tum primùm paroxyſmorum imminutio demùmque oſſatio ſubſecuta eſt, ſed poſt aliquot tempus, occluſum, ſymptomata recruduerunt, usque dum tandem gravida facta, & puerpera ab illo gravi affectu immunitatem aſſecuta fuerit.

SCHOLIUM.

TAm diri affectus duas cauſas ſuſpicari licet, prima quidem catameniorum ſuppreſſio, febrisque tunc temporis graſſantis typus particularis, cujusque ſævities nervoſo generi inprimis bellum indicebat, ita quidem ut ſine magna ſanguinis efferveſcentiâ pulſuque à naturali fermè non immutato varia nervoſi generis pathemata tum ſpaſtica tum ſoporoſa ægros torquerent; unde & hunc affectum luem neurodem potiùs quàm febrem indigitaſſes: Ex quo non abſonum videatur, multas impuritates ex menſtruorum ſuppreſſione in morbi mineram congeſtas, vi & energiâ tempeſtatis peculiarem indolem contraxiſſe, quâ in ſeminium ſpaſmodicum aſſurgentes, ſubinde in pathemata convulſiva maturatas videre licuerit. Quæ ſanguini efferveſcentia eſt ſolennis machina, ut extranea & non ritè miſcibilia abigat, talis & nervis aut ſpiritibus orgaſmus ſeu exploſio, & pari ratione, quâ, ebullitione depurationem intendit illa, & hi commoti, œſtroque perciti ceu perflatis ventis luciditatem adipiſcuntur, diſcuſſisque nubibus ſerenum obtinent. Penus morbificus è ſanguine in nervos ubertim dimiſſus gravia & frequentia inducebat ſymptomata ſpiritusque copulâ heterogeneâ abundè fœti fartique in motus graves ſæpiusque recurrentes adigebantur, unde & dentes confracti, crepitumque edebant manuum pedumque contorti tendines. Hæmorrhagiam frequentem ſanguinis acredini vaſorum oſcula recludenti accenſere obvium eſt, ſed & quidnî ſuſpicari fas ſit, cùm iſta lues ſpiritus potiſſimùm afficeret, illis, qui in tunicæ muſcularis arteriæ ad naſum per-

tingentis reſides in ſanguine circumpellendo, perpetuas ſyſtolῶν & diaſtolῶν vices obeunt, cujusdam portionis materiæ morbificæ afflatu in motus exploſivos adactis & ponè ſanguinis rivum in motus pernices concitatis, vaſorum ora neceſſariò patefacta ſanguinem profudiſſe. Dolor in latere paroxyſmi præcurſor, convulſionumque remiſſio ab inuſto cauterio & vulnere excavato, demùmque ceſſatio à fluente è plagâ pure, morbi fomitem illuc per nervos intercoſtales delegatum, illincque emiſſario facto exhauſtum arguebant; quod & ab occluſo vulnere ſubinde recurſus, affectus morboſi materiam illic nidum congeſſiſſe certiùs indicabat, ab ingravidatione novâ ſucci nutritii in fœtus alimoniam derivatione detumuit humorum moles, nec amplius in exploſiones parati ſunt; & à puerperio ſubſequente ſi quæ miaſmata reſtitabant unà cum lochiis excreta ſunt, ut tandem diri illius affectus integra ſolutio ſubſequuta ſit.

OBSERVATIO CXI.

D. JOHANNIS de MURALTO.

Dyſenteria Epidemica.

CIrca finem Julii anno 1680. æſtate fervidâ, dyſenteria paſſim multos corripuit, ſed in dies incrementa ſumens, latiùsque vires explicans per menſem Auguſtum & Septembrem planè epidemica evaſit, ut tunc temporis multos ab eo affectu decumbentes tum ruri tum in urbe videre licuerit, ita etiam ut qui circa ægros diverſarentur, ab eâ tuti non forent, unde & in eâdem familiâ ab uno in alterum morbo progrediente plures in eâdem domo, & quandoque integra familia dyſenteriâ affecta fuerit, ſymptomata fuerunt dolores quandoque atroces, mox infra aut ſupra umbilicum vigentes, dejectiones quandoque ſanguinolentæ, quandoque & carnium loturæ haud abſimiles, acres &

puru-

purulentæ, ut per tranſennam podicem dolore excruciarent, quandoque ramenta inteſtinorum ſecum deducentes, frequenti irritatione frequentes deſidendi cupiditates inducebant, quamvis autem dolore ſæviret contagioque ſerpente multi adorirentur, tamen non fuit affectus adeò exitialis, quinimò niſi infantes debiliores aut cacochymi, aut qui remedia renuebant, omnes alii tempeſtivè rectâque medendi methodo tractati ad ſanitatem perducebantur, ſed qui remediis ſusque deque habitis medicinam contempſerunt, utut fontes & benè habitos tam certò trucidabat dirus affectus, ac aliis benè curatis extra periculi aleam deductis fauſtus ſucceſſus contigit; qui enim neglectis remediis genio indulgebant, iis citô ad ἀκμὴν deveniens affectus fatum accerſebat; quod luculenter in duobus ruſticis fratribus inter alios mihi compertum, ad quos vocatus, cum remediis unâ vice præſcriptis renuerint alia experiri; ambo utut fortiſſimi intra octo aut decem dies dejectionibus frequentibus acerboque dolore attriti è vitâ migrarunt, eodem verò tempore ſub curâ noſtra nobilis quædam matrona utut cachectica & gravida quamvis abortiverit, remediis obtemperans tandem evaſit, quod & in aliis etiam pueris, & quibusdam ſenibus eodem tempore remediis ritè adminiſtratis pari ſucceſſu expertus ſum.

Remedia fuerunt phlebotomia in pluribus celebrata, purgatio fermè in omnibus ſub initium morbi ex infuſ. Rhei, Myrobalanorum cum Sal. Abſinth. & Cinnam. in Aqua Plantag. addebam in diſſolutione Syrup. Roſar. ſolut. aut de Cichorio compoſit. cum Rheo, quandoque & cum cacophragiæ ſuſpicio induceretur, addidi & ſerum & cathol. pro ore, ante & poſt purgationem enemata erant in crebro uſu ex Hord. integr. p. I. Semin. Lin. & Fœnugræc. conquaſſator. ãã. ℥j. Flor. Chamæmel. Melilot. ãã. p. I. Furfur. macr. p. ij. fiat omnium decoct. ad lib. I. addendo Vitell. ovor. ij. Mell. roſat. ℥iij. Sacchar. rubr. ℥ij. quandoque autem ad ſedanda inteſtinorum tormina, & eroſiones ſanandas enemata præſcri-

 be-

bebam ex Decocto Summitat. Hyper. cum capite aut pedibus Vervecinis cum Theriac. ℨij. Olei Hyperic. ℥iß.

Dum autem ulcus à ſordibus & putrilagine, quâ ſcatebat, abſtergere incumbebam partim ſubditis Clyſteribus, partim ebibitis aliis remediis, dein frequenti dejectioni ſiſtentibus, ulcusque agglutinantibus medebar, torminibus & acribus doloribus, partim diſcutientibus, partim anodynis reſiſtebam, ſoporiferis etiam datis ad dolorum allevationem & ſomni conciliationem. Itaque fermè quotidiè horâ ſomni Doſin Laudani Opiat. devorandam oggerebam, & poſſum aſſeverare, nullam exin noxam contigiſſe, ſecùs obrepens ſomnus ægros reficiebat, doloribusque interdicebat: Confectionem parabam ex Conſerv. Roſar. rubr. ℥ij. Theriac. ℥ß. Pulver. Rad. Torment. contrajerv. Margar. Corall. præparat. āā. ℨß. cum ſ. q. Syr. Papaver. Rhœad. de qua morſellum unum aut alterum in die devorabat, quibus Confectio minùs commoda aut ingrata fuit, Pulverem in eundem ſcopum præſcribebam: aliquando & Lac cum Saccharo Roſat. & Ovi Vitello comedendum imperabam. His aliisque adminiſtrationum modis pro re natâ præſcriptis, permultos ad ſanitatem perducebam.

SCHOLIUM.

Qualiscunque ſit fluxus, tribus generibus comprehenditur. Si nihil ab alvo mutatus cibus dejiciatur, λιεντερία eſt, communis ventriculo cum inteſtinis: quæ ſi morbum longum frigidiorum humorum alumnum ſequatur, ſpem ſalutis adimit. Si ſanguis, multiplicem parit dyſenteriam, nimirùm αἱματηρὰν, mutilis familiarem: melancholicam ſplenicis ſalutarem: hepaticam prorſus lethalem: & inteſtinalem cuivis ætati, ſed maximè puerili & ſenili calamitoſam: quod ſi frequens adſit, & liquida cæterorum humorum dejectio, diarrhœa eſt, quæ vel defectu ἀναδόσεως, vel confluxu materiæ, copiâ aut qualitate peccantis excitatur.

Dyſen-

Dyſenteria, quæ ab affectâ ſede nomen habet, omnium moleſtiſſima eſt, ut quæ cæteras vincat acerbitate, nec ullis cedit periculi magnitudine. Nihil enim aliud eſt quàm ἕκλωσις inteſtinorum nunquam expers doloris, & quæ non rarò inflammationem, ſæpiſſimè febrem inducit. Hæc autem nonnunquam ab externis cauſis, ut pravis alimentis & acribus Pharmacis, ſæpiùs ab internis, ab utrâque bile, aut ſalsâ pituitâ ducit originem. Conjugationis particeps eſt affectus ſæpiùsque copularis: maximè verò per æſtatem, ſi aquiloniam hyemem ver auſtrale conſequatur. Epidemicè graſſata certis temporibus multò calamitoſior magnâque ægrorum ſtrage ſæviùs quàm aliis furit & debacchatur.

Ulceris magnitudo, pars affecta, humoris ſpecies excreta demùm & ſymptomata concomitantia uti affectûs naturam ſic & eventum portendunt. Ulcus ſi gracile aliquod inteſtinum occupet, præſertim jejunum, vix coaleſcit: idem ſi craſſum penitiùs depaſcatur, ita ut ἐφελκίδες abjiciat lethale: ab atra bile itidem ſi ortum ducat, non minùs quàm occultus cancer, ſecundùm *Hippocratem*, exitioſum, ex eadem cibi faſtidium malum, uti & quæ cum febre invadit & perſeverat, præcordiorumque inflammationem comitem habet, quæ demùm ſequitur meſenterii abſceſſum, variaque promit proditque excrementa; Uti æſtas beneficio caloris fructibus maturitatem impertit, ſic & ſuccos extraneos morbidosque in corpore ad exaltationis fermentationisque ἀκμὴν promovet, quandoque & non aliâ forſan ratione quàm nimio aut intempeſtivo calore immutatâ craſi pervertuntur humores aliàs laudabiles, non ſecùs ac vina tonitru aut nimio calore vappeſcunt, aut in acetum mutantur, aliove ritu labefiunt, ſicque degeneres facti, morbis exin fruticandis penum uberem ſuppeditant, ut fermè quotannis autumnum non minùs morbis quàm fructibus feracem videre contingat. Ex hoc apparatu morboſo ſi miaſmata νοσερὰ penitiùs humoribus incocta craſſiorisque conſiſtentiæ per diaphoreſin non eliminentur, neque in

 effer-

effervescentias febriles intermittentium parentes prorumpant, pro genio humoris, vique & energiâ tempeſtatis ad id faciente verſus inteſtina diriguntur, ſuâque qua valent acredine ulcuſcula excitant, reſeratisque vaſorum orificiis ſanguis profunditur, unde & intelligas progigni ſymptomata hujus affectus pathognomonica, frequens nempe, pauca, dolorifica, & ſanguinolenta dejectio propter diatheſin prædictam ſæpiùs viget & graſſatur, hic affectus per autumnum, qui licet præ ſedibus cruentis acerbisque doloribus ſtatim horrendus videatur, pleroſque corripiat, contagioque ſæviat, haud tamen ſæpiùs lethalis contingit, quòd evenit in caſu, de quo agitur. Verùm inſuper hic morbus interdum virulentus & quaſi peſtilentialis plures interficit, & miaſma ſuum per contagium latè explicat. In tali caſu ſanguinis portiones malignitate quadam tactæ, velut in peſte corrumpuntur, & ſtatim à reliquâ maſsâ, ne tota ſubinde labefiat, ſecernuntur, membranisque inteſtinorum infixæ non ſolùm ulceroſam, ſed & phlegmonœiden diatheſin, ſæpiùsque item ſphaceloſam & citò exitialem pariunt.

Si quis autem affectus, hic inter alios uti medicinæ operam expoſtulat, ſic & inprimis ipſius vires promit proditque, quod caſus præſens ex fauſto eventu illorum, qui medicinæ operâ uſi ſunt, & ex adverſo ſiniſtro infauſtoque illorum omnium, qui remedia neglexerunt, luculenter probat & evincit.

Quæcunque ſanabilis eſt dyſenteria, ſi intempeſtivè ſupprimatur, abſceſſum facit. Indicationibus curativis non ſingulatim & ſucceſſivè, uti ſæpiùs aſſolet in aliis, inſiſtendum erit, verùm omnes eas ſimul complicare & eodem tempore proſequi incumbit. Ejus curandæ initium ſumi debet ab humoris peccantis vacuatione; Cui ſcopo nullum quidem Rheo præſtantius remedium; Cui tamen Senna interdum turgente ſcilicet humorum ſaburrâ, Caſſia aut Catholicum utilius præferetur. Quòd ſi febris adſit, vel inflammatio, dolorque ingens,

ingens, & corpus plethoricum, phlebotomia longè tutiùs præmittetur, ut quæ non ſolùm minuat plenitudinem, ſed etiam febrem & inflammationem extinguat, dolorem mitiget, bilis impetum reprimat, fluxum denique cohibeat: eaque quandoque cum ſucceſſu etiam repetenda: quâ præmiſsâ locus commodior erit purgantibus medicamentis & adſtringentibus, enematibus, epiceraſticis, hypnoticis, narcoticis, dolorem ſedantibus, diureticis, derivantibus, cæteriſque tum medicamentis intemperiem corrigentibus, tum crebris alimentis quæ vires inſtaurando, morbo ſimul adverſentur. Hîc autem ut non prætercam remedium à quibusdam mulierculis tunc temporis ex meâ notitiâ etiam cum ſucceſſu factitatum, malum cotoneum excavabant, cerâque vel albâ vel citrinâ cavitatem inditô operculô adimplebant, pruniſque admovebant, donec omninò liqueſceret cera, pomique ſubſtantiam ſubiret; tumque cydonium ſic paratum ægris comedendum exhibebant, unde & dolores demulcebantur, fluxuſque intermittebat. Quâ ratione virtute emplaſticâ externis ulceribus medetur, eâdem & ulcera interna agglutinare & pinguedine ſuâ lenire valet. Quod jam pridem à *Dioſcoride* annotatum, cùm alicubi dicat, ceram dari in ſorbitione dyſentericis, ipſiſq; opitulari.

OBSERVATIO CXII.
D. JOHANNIS de MURALTO,
De
Hypercatharſi à Reſina Jalappæ excitata.

FRanciſcus Pilot, profugus, ſub initium veris hujus anni 1688. de quadam inflatione circa præcordia, humorumque pleonexiâ apud quendam Chirurgum conqueſtus, hic ipſi bolum ex gran. xv. Reſin. Jalap. cum Conſerv.

ſerv. Cynorrh. devorandum præbuit, quô ſuperpurgatus defectiones animi patiebatur, jactationes cum maximâ inquietudine, doloresque atroces & fixos in imo ventre; febricula accenſa eſt, fuit faſtidioſus, debilis, de dolore capitis conquerebatur cum aurium tinnitu, tandem quiete, bonâ diætâ dolorem ſedantibus, aliisque præſidiis reſtauratus eſt. Idem fuit experientiâ comprobatum, non diu abhinc in filia forti 25. circiter annorum cùm repurgari neceſſum haberet, ipſi etiam & ingeſtus bolus ex Reſin. Jalap. gran. xiv. Cremor. Tartar. ℈ß. cum ſ. q. Conſerv. Cynorrh. hæc plusquam viginti quinque vicibus dejecit, animi quoque defectiones paſſa, debilis facta de torminibus ventris conqueſta eſt, ita ac ſi in partes abdomen ſcinderetur, & quaſi de palo infixo ſenſum dolorificum perſentiret, vigiliæ infeſtarunt, inquietudo maxima, cum doloribus crurum femorumque, ut ſolatii gratiâ ipſa ſeſe motitare neceſſum habuerit, fuit etiam faſtidioſa, dolor capitis aderat, cum aurium tinnitu per quinque aut ſex dies de tali ſymptomatum apparatu conqueſta, bonâ diætâ, quiete, Cardiacis, Hypnoticis reſtaurata eſt. Eodem fermè ipſo tempore aut ſaltem paucis diebus ante ultimum bolum huicce filiæ oggeſtum, eadem doſis ejuſdem Reſin. Galapp. ſub eadem formâ cuidam ruſtico Pedemontano exhibita, nihilùm omninò repurgavit, ſed & ne quidem ipſum commovit, pari & eventu & incaſſum alia purgantia fortiora ſuſtinuit, quæ remedia ejuſdem formæ & compoſitionis cuidam ruſticæ 45. circiter annorum multum profuêre.

SCHOLIUM.

Mira eſt vis ingenita à principiis, quorum non tàm certa unio, quàm unum ſuperbiat elementum, hinc robur, debilitas, feritas, manſuetudo, quæ peculiaris cujusque natura à Veteribus agnita, ab ipſis ἰδιοσυγκρασία vocitata fuit, quam perſcrutari ac ad amuſſim rimari ſupra hominem eſt; Naturæ enim rerum parentis vis & majeſtas in opere vix creduntur, quorum

quorum non tam quærenda ratio quàm vis latens & voluntas; maximè quia omnia ex contrariis architectatur, gignit, auget, medetur, hinc temperamentorum diſcrepantia remediiq́ue peculiaris cujusque naturæ congrui adinveniendi difficultas & incertitudo: quæ tamen Viro ſagaci, Medicoq́; prudenti ne quidem deſpondebunt animum, quin imò rei difficultate excitatus exactâ penſitatione inter morbum medicamentumq́; facta, ſolatii præſtandi fiduciam captabit.

Legitima gradûs limitatio, & doſis vera æſtimatio indicatur ab affectûs, qui contra naturam corpori inſidet, magnitudine, & affectûs cujusque naturâ: extremis morbis extrema exquiſitè remedia ſunt optima: ſed quibus ſimul, & ſemel, aut ſæpius, plura an pauciora particulatim adhibenda, vel exhibenda ſint, conſiderandum: condonandum etiam aliquid conſuetudini, quæ velut altera eſt natura, ita quidem ut certius majoriq́; fiduciâ notis aut aliàs tractatis medicinam faciet operamq́ue præſtabit Medicus, quàm ignotis. Ab ætate, tempore, & regione, pro metiendâ medicamentorum qualitate, tum & quantitate non contemnendas indicationes mutuabitur & Medicus.

Singularis natura corporum affectorum humano ingenio comprehendi nequit, nec circumſcribi poteſt accuratè morbi magnitudo, quæ nihil aliud eſt, quàm qui à peculiari cujusque naturâ fit receſſus. Hujus fideliſſimus & æquiſſimus æſtimator habebitur, qui conjector erit optimus ex internis, externisq́ue cauſis ac ſymptomatibus, quæ mox apparent aut ſuperveniunt, & cujusque laborantis conditione, adhæc qui veri Medici vices peragere voluerit, medicamenti naturam, præparationemq́ue, viresq́ue priùs noſcat, neceſſe eſt; ſed quia non certâ demonſtratione ſuffultus, verùm conjecturæ potiſſimùm innixus rem ſuam aſſequitur, ne quid periculosè agat in dubiis, rationis ductu à levioribus utilibusq́ue medicamentis ad vehementiora ſed innoxia progredietur, quæ morbum quidem expellant, ſed à quibus non labefa-

ctentur partes, humoresve corruptionem ſubeant. Unde lectiſſimorum medicamentorum præparatio neceſſaria, & compoſitio.

In præparatione Reſinæ Jalap. partes ſulphureæ in mixto priùs ſeparatæ ſimul colliguntur, unde in inteſtinis cùm nullius corporis intermedii interventu diſgregentur, facilè aduniuntur & coaleſcunt, & pro ſua viſcoſitate fibris inteſtinorum tenaciùs adhærentes, vaſorum ora tum continenter adeò proritant, ut cum dolore atroci nec facilè diſſipabili humores quandoque immaniùs profundantur; Itaque hujus Reſinæ viſcoſitas dolores cauſatur uti & ipſius ſulphur inflammabilitatem in humoribus inducit, quâ in liquamina faceſſunt, febricula accenditur, hypercatharſis ſubſequitur & dolor capitis; cardialgia ex morſu medicaminis orificium ventriculi vellicantis progignitur; quæ quidem ſymptomata tamen illis, qui fibras inteſtinorum teneras, ſensûsque magis exquiſiti, obtinent, contingunt, aut forſan quibus non cum ſatis debita cautela oggeritur; enimverò non ſolùm cum aliis Pulveribus, qui intermedii vicem ſuppleant, immiſceri debet, ne coaleſcat interius, verùm etiam cum amygdalis excorticatis priùs in mortario contundi debet, amygdalæ ſiquidem mulcimine, & oblinitione, quâ valent, tormina alioquin quandoque excitari ſolita præcavent, quod indicio eſt, oleum amygdalarum dulcium torminibus jam factis demulcendis opportunum præſidium fore, ſi tempeſtivè oggeratur, quam vim prodit in epotis deleteriis medicaminibus. Quos ne quidem commovit, fibras procul dubio habuerunt craſſioris conſiſtentiæ & robuſtiores, uti & humores ſpiſſiores minusque fluidos & inflammabiles. Si Pharmacopolæ præſcriptum ut potionibus admiſceat, ipſam priùs in mortario cum pauco vitelli ovi jungat, ſin minùs uti terebinthina humiditate aquosâ madefacta mortario adhærebit.

Quæ autem hujus remedii incertitudo, talis & in pluribus aliis maximè in vehementioribus plerumque contingit;

Unde

Unde non parùm ſolicitus eſſe debeat Medicus, in tam vario naturarum ægrorumque diſcrimine de remediis præſcribendis. Memor interim ante omnia ſit peccatum omiſſionis minus fore peccato commiſſionis, ſatiusque fore per epicraſin noxios humores elutriare, quàm univerſorum humorum demolitionem unâ vice experiri.

OBSERVATIO CXIII.

D. JOHANNIS de MURALTO.

Fluxus ab utero aquoſus cum quadam hydropis ſpecie.

MUlier 25. annorum à naturâ macilenta, cùm ſub finem menſis Februarii ann. 1687. trium menſium gravida, vi perſecutionis Gallicæ cogeretur patrios lares deſerere, pedibusque noctu altiſſimos montes peragrare, quò loca evangelica accederet, libertatemque conſcientiæ conſequeretur, contigit, ut, dum iter faceret cum marito & aliis, conductor præ noctis opacitate à via deflectens, ipſos ſenſim deduxerit ad montem, quem cùm conſcendiſſent, pluviâ ſtillante, tam lubrica facta eſt via, ut ne quidem fermè ultrà citràque pedem movere licuerit, ita ut nec ulteriùs proficiſci nec inferiùs retrocedere potuerint, coactique ibi pernoctare, ſummô frigore perculſi ſunt, ſed hæc & alter inter alios utpote forſan texturæ rarioris multò gravius flectebantur, ita ut niſi irradiante aurorâ opportunè è tenebrarum carceribus liberati novos rectosque tramites ingreſſi fuiſſent, vel tantiſper diutiori morâ ipſa & alter è cœtu, frigoris aſperitate perempti ſuccubuiſſent; reliquum itineris non ſine magno labore & nonniſi pernoctando & pedibus peregit. Genevam appulſa quievit quidem, phlebotomiaque celebrata eſt, ſed cùm ipſius maritus 15. circiter dies Lauſannam petiiſſet, ut res ſuas gereret artemque profiteretur, tum primùm

accedens pleuritide exquiſitâ correptus, neceſſe habuit & illa navi conſcensâ Lauſannam petere, ut ipſi inſerviret, ita quidem ut vix à priſtino labore inſtaurata, novum ſubinde perpeti non ſine moleſtiâ coacta fuerit. Poſt hæc omnia conqueri cœpit de calore interno præcordiorumque fervore, cum ſiti, ut multùm biberet, diarrhœâque laboravit, tumque minorativis repurgata eſt; de capitis etiam gravedine conquerebatur, ſicque quamvis non decumberet, dubiâ tamen ſanitate, infidoque ſtatu ad ultimum graviditatis menſem deducta eſt, 14. autem die ante partum doloribus correpta eſt, qui ad uterum pudendaque & lumbos pertingentes cum niſibus aquarumque fluxu prorumpente, adeò partûs dolores æmulabantur, ut etiam expertis imponerent, ita per 14. dies ſæpius obortis doloribus in die divexabatur, magnamque aquæ limpidæ & inodoræ per pudenda quantitatem profundebat, donec demùm die 16. Auguſti ſecundùm ſtylum novum filium peperit & quidem ſanum, à partu lochia moderatè fluxerunt, & optimè convaluit. Infantem allactavit, ſed poſt 5. circiter menſes à partu, febre & uti videtur epidemicâ tunc graſſante correpta eſt, multum frigoris in cubiculo absque hypocauſto perſenſit, tandem per illud tempus contraxit tumorem inter iſchion & uterum, durum & renitentem, ſitiebat, tumuit venter, tumuerunt & pedes cruraque, interim lac puſioni præbebat, ita quidem ut propter allactationem ut ſæpius per noctes expergefieri neceſſe habuerit; In hoc apparatu morboſo planèque hydropico, obortus eſt fluxus aquarum ex utero per ſex hebdomadas, & qui ſub finem fœtidus erat, ex quo detumuit venter & crura; bis autem ex illo tempore ejusmodi fluxum paſſa eſt, & quem pariter præceſſerunt ſitis, præcordiorum æſtus, faſtidium, dolor in regione tumoris, abdominis, crurum pedumque tumor, quemque pariter ſubſecuti ſunt appetitûs recurſus, abdominis crurumque detumeſcentia, aliorumque ſymptomatum evaneſcentia, unde & vegetius corpus expeditiorque animus evadit, uſque

dum

dum pro nova materiæ morbificæ congeſtione prædicta ſymptomata recurrebant.

SCHOLIUM.

A Nimio labore inter peregrinandum, ſummoque frigore perpeſſo, non mirum, ſi in muliere, quæ ex graviditate, uti aſſolet in prægnantibus, apparatum morboſum in ſe cumulârit, humores commoti dyſcraſiam nacti ſint, intemperiemque contraxerint, unde ſitis & præcordiorum fervor; ab iſtâ autem humorum ebullitione & efferveſcentiâ partes ſanguinis craſſiores à tenuioribus ſecedentes ab invicem diſſociatæ ſunt, factusque eſt humoris decubitus in tubam uteri & hydatides ſuccrevêre, quæ turgidæ & ingravidatione compreſſæ ichoris tum primùm ſecreti, partus futuri infauſti præcurſores. Partus negotio peracto, humoribusque lochiorum fluxu ſat repurgatis ſanitatem recuperavit; verùm vigiliis per allactationem, febre epidemicâ, quâ laboravit, frigore in cubiculo frigidiore, hisce omnibus tanquam cauſis evidentibus irritati ſunt crabrones, accenſa eſt febris priſtinusque fervor excitatus, unde & novus humorum procubitus, à cujus portione craſſiori ingeminatæ ſunt emphraxes, tumorque durus & renitens progenitus, hydatides denuò adimpletæ ſunt, pedes cruraque intumuerunt, corpusque ita vitioſis humoribus confertum. Vertigine caput afficiebatur, ſitis premebat, languore afficiebatur, donec per Rhexin extillatis humoribus noxiis denuò ſanitatem recuperaverit, iterumque novo materiæ morbificæ penu congeſto nova etiam ſymptomata recruduerint. Quæcunque igitur obſtructiones graves aut alia impedimenta, maximè circa viſcera imi ventris obortæ, ſanguinis circuitum remorantur, fluentemque coarctant, ad hydropem diſponunt. Itaque in hoc caſu, quæ ſanguinis partes fervore inducto à mixtionis jugo ſolutæ, divortium fecerunt, cujusdam acidi peregrini dominio ſubjugatæ, novam formam adeptæ novumque exaltationis fermentationisque

motum inducentes cyſtide adornatæ ſunt, in cujus cavo quod vi fermentationis in corpus durum viſcoſumque concrevit, ceu obex ſanguinis decurſui officiens ſerum in obvium folliculum proliciebat, & quo turgente extillabat humor. Cujus morbi ratio formalis ab experimento à Clariſs. *Louero* allato innoteſcit, quippe ſi in cane vivente vena cava ſupra diaphragma deligetur, ſubinde abdominis regio aquâ intumeſcet ac ſi hydropicus factus eſſet, & languore affectus non diu vivet. Cauſa iſtius affectus utpote fixa difficultatem curæ arguit, quæ vix eradicativa ſed tantùm palliativa ſperari poteſt; quæ ut fauſtè ſuſcipiatur, cauſæ antecedenti inprimis proſpiciendum, & quia partes à naturâ ſunt cauſariæ, humoresque à naturâ calidiores, & quæ præceſſerunt cauſæ extraneæ & evidentes hancce diatheſin obfirmantes in fructus morbidos fruticari effecerunt; Itaque attemperandi ſunt humores balneatione, purgationes epiceraſticè ſunt repetendæ, Tinctura Cichor. cum Tartaro Chalybeato, quotidiè manè propinanda, uti & Confectiones ex aperitivis & deobſtruentibus in uſum revocandæ, quas indicationes methodo ſequenti perficiendas præſcripſi.

℞. Mann. Calabrin. ℥j. Senn. mund. ʒij. Rhei elect. Sal. Prunel. ãã. ʒj. Sem. Aniſ. ʒß. Epithym. Cretenſ. ℈j. infund. per noctem in ſ. q. Aq. bullient. fiatque manè Colatura ad duos cyathos, addendo cuilibet Syrup. Roſar. ſolut. ℥j. Primus horâ ſextâ, juſculum octavâ, alter decima propinabitur duabus horis ante prandium.

Sed quia Potiones catharticas difficulter hauſerat, maſſam Pilularum ſeq. præſcripſi, quibus per vices & per morbi decurſum uteretur:

℞. Croc. Mart. aperient. ℥j. Aloës optim. Senn. mundat. Rhei elect. & Agar. recens trochiſcat. ãã. ʒij. Gumm. Ammoniac. in aceto ſolut. & traject. ʒiij. Fœcul. Bryon. & Pulver. Diarhod Abbatis ãã. ʒß. Croci ℈ß. cum Oxymel. fiat Maſſa Pilular. de qua capiat ʒj.

Repur-

Repurgatâ Camarinâ factâque totius proviſione, ingreſſa eſt balneum bis in die ſerò & manè.

Manè ſumpſit morſellum Opiatum ſeq. ſuperbibendo hauſtum Tinct. Cichor. infra ſcriptæ:

℞. Conſerv. Flor. Tamariſc. conditor. Enul. Campan. Malor. Aurantior. ãã. ℥j. Rhei pulveriſ. Trochiſcor. de Capparib ãã. ʒj. Tart. Vitriol. ℈j. Cum ſ. q. Syrup. de Pom. ſimpl. fiat Opiat.

℞. Rad. Cichor. ſylveſtr. mundat. minutimque inciſ. Manipul. 1. ſuperinfundatur decoctum bulliens capillor. omnium & injiciendo Limatur. Chalyb. ad rubedinem calcinat. Cochl. 1. fiatq; hauſtus cum Syrup. de Pom. ſimpl. ℥j.

Quamvis nondum remedia præſcripta peregerit, tamen quæ ſumpſit. proficua fuerunt.

OBSERVATIO CXIV.

D. JOHANNIS de MURALTO.

Mulier febre Epidemicâ laborans, à Pharmacopola malè tractata, in Phthiſin prolapſa.

A Duobus menſibus & dimidio decumbebat Gabrielle Andrette, profuga, cùm primùm accerſitus fui ad eam, erat ſeptem menſium gravida tenuiſque habitus, febre Epidemicâ per contagium à marito & ancillâ correpta; ſymptomata urgentiora fuerunt à morbi initio & per decurſum, tum magna virium proſtratio, faſtidium, febris etiam quandoque intenſa cum ſiti, linguæ dentiumque nigredine, fauciumque ardore & ſiccitate; inſomnia & delirium infeſtabant & alvi profluvium; exanthemata quoque ſparſim comparuerunt, per hæc morbi initia & ſtatum quinquies à Pharmacopolâ jubente, venæſectio inſtituta eſt, devoravit

ravit & pulverem è Chin-China poſt ſesquimenſem à morbi inſultu, oborto tumore ſub aure dextrâ juxta maxillam inferiorem, & in pus maturato Chirurgique operâ probè mundato, prædicta ſymptomata remittebant, niſi quòd macies & debilitas adaugerentur. Verùm uti aſſolet in malignis, tragœdiâ actuum diſcriminibus variegatâ, recurrente hoſte ſubdolo, nova ſubinde ſymptomata prioribus evanidis ſuccrevêre, dolor nempe muſculos pectorales ſiniſtro latere infeſtabat, ſed longè majores, muſculos tum humeri tum ſcapulæ ejusdem lateris ſpinamque dorſi dolores excruciabant, ita quidem ut noctes inſomnes cum maximâ inquietudine perageret, niſi Laudano devorato hoſtem compedibus ligaret, per 15. circiter dies hâc arte per noctes prædictus Pharmacopola naturæ inducias largiebatur, doloribusque interdicebat, qui tamen ceu nocte coacti de die atrociùs ſæviebant, adhæc tuſſis ſed fermè inanis divexabat, tantaque macies ut non priùs incendii maligni periculum prætergreſſa videretur, quàm intra tabis confinia ſiſteretur, doloribus iſtis placandis Phlebotomia pro ſextâ vice ab eodem inſtituta nihil profuerat, tum accerſitus ad ægram, marcidulam eandem adinveni, febriculâ laborantem, doloribus & inquietudine miſerè excruciatam, ventris duritie infeſtatam, ut jam per aliquot dies non dejiceret; tum temporis à morbi magnitudine, longitudine, curâque perperàm inſtitutâ nonniſi mali ominis eventum prædicebam, prognoſticoque contentus, ne infamarentur præſidia, à curâ temperabam, verùm ſollicitatus clyſmata, balneationem ſemel aut bis inſtitutam, emulſiones, Bechica & Oleum Amygdalar. dulc. conſulebam, iſtis emolliti humores magna ſputi craſſi & feculenti fœtidique expuitio ſubſecuta eſt, doloresque evanuerunt, verùm à præcedentibus infirmatis viribus tuſſique fermè continuò infeſtante abortivit absque dolore, ulloque gravi ſymptomatum apparatu, ſed indies emarceſcens ſputumq; purulentum copiosè

expue-

expuebat, usque dum tandem tabo pulmones marcidulos corrumpente ad ultimum Phthiſeos gradum deduceretur.

SCHOLIUM.

FEbris hæc Epidemica in multis exitialis fuit, & ex ſignis ſtipata quàm pro more deterioribus ad malignam jure meritò referri debuit, ſupraque ſynochos putridas ſingulari corruptione ſymptomatumque ſævitie emicabat, nec uti in putridis aſſolet, certo dierum ſpatio ſecretione noxii humoris criſin moliebatur natura, quin imò in quibusdam ab eâ nihil induciarum, fraudis verò plurimùm, in benè multis tamen ſi poſito furore ad ſalutem converteretur, nonniſi incerto proceſſu dubiaque viâ res ægri poſitæ videbantur, ita quidem ut niſi prudenti Medico, uti experte in barathris & circa ſcopulos naviganti nauclero, ſors ægri gubernaretur, infauſtum plerumque ſubſecutum ſit exitium.

Ad fœcundiſſimam illam morborum procreatricem aëris iniquioris putredinem excellentem atque eximiam ceu ad communem cauſam hancce febrim anomalam cuivis referre obvium eſt, is enim ſive ſit perversâ ſpirantium ventorum aurâ inquinatus, ſive diuturno hyemis tepore, vel acerbiori frigore infenſus evadat; ſive à ſentinis, cœnoſis ſpecubus, disjectisve paſſim cadaveribus labem acceperit, ſimul atque per conſpicuas, & quæ ſenſum fugiunt vias, infert ſe in viventium corpora, facilè quidquid contraxit, vitii comportat, quocunque penetrat; nec tamen omnes, quibus triſte virus afflat, febre mulctat acerbiſſimâ, aſt illos ſæpè qui peculiari ſpirituum humorumque diatheſi graſſanti contagio minus reſiſtentes, inficiuntur, ſed eos ſæpius qui jam aliquam ægrotandi cauſam in ſuo ſinu gerebant; ut nec ab his inquinentur, quicunque exhalatam per corporis ſpiramenta tetram mephitim contagione hauſerunt; perinde nimirum ut cujusmodi cujusvis corpus affectum, ita & à contagio contaminatum,

unde & ſymptomatum ſævities diverſa morbique tenor varius incertiq; eventus contingit.

In muliere utero gerente ex ſuppreſſis menſibus impuritas plurima, clàm cum ipſis viſceribus æſtuans pabulum auræ peregrinæ luculentum quo exarderet abundè ſuppeditavit, impuris itaque facibus correptum univerſum corpus æſtuabat plurimùm, ſpiritus incandeſcentes ictibus ſuis, qui vitæ gubernacula temperant, irrequietè vibratis in motum velociorem rapiebant humores, exorbitantes in cerebro mentis errorem & delirium acciebant. Uti ex accenſo uſtulatoque ligno caminus fuligine nigreſcit, ſic & à vaporibus aduſtis ſurſum raptis linguæ nigrities, fauciumque ardor oriebantur, ipſaque ſitis vellicatis linguæ fibrillis turgens humor & malignus, uti aſſolet in purgantibus deleteriis, inteſtina proritans fluxum concitavit; exanthemata uti ſingularem humorum fermentationem ſic & ſingularem ſanguinis corruptelam arguere ſolent, & ſicuti ex igne luculento particulæ quædam craſſiores, quæ in flammam non abeunt, in ſcintillas cum crepitu erumpunt, ſic & ab inſigni ſanguinis fervore craſſiores particulæ è mixtionis vinculo ſolutæ, quæ in auras & per poros exilire renuunt, in ſtigmata cute interpolatâ ſoboleſcunt. Subita virium proſtratio non ſolùm à motu humorum perverſo febrilique fervore oriebatur, ſed maximè à fermento maligno, quo profligarentur ſpiritus, viriumque tenor labaſceret.

Tota incolumitas pendet ab exilio auræ ſonticæ, ideò & venarum tabum, quo paſcitur maligna febris, foràs ſecernere, & etiam liberali manu profundere recto ratiocinationis ſtylo evincitur, reliquamque qua gaudet illuviem omni arte ſubducere, ſymptomatum interim ferociam humorumque fervorem cohibendo; ſed quis ſanâ mente ſanguinem exhauriet plusquàm ad eventilandum ſit neceſſe, nonnè enim unà cum penu morbifico exhauritur & ſuccus vitalis nutritius & laudabilis? nonnè ex quâ parte plus periculi & detrimenti acc-

cerſit

cerſit plus & præſidii magisque opitulandum? Vires inſigniter atteruntur, ſpiritusque profligantur, quidnî igitur, ubi humorum pleonexiæ convenienter ſatisfactum, citiùs de refocillandâ naturâ viribusque recreandis cogitandum quàm balſamus vitæque theſaurus cum impuritatibus liberaliùs profundendus? Adhæc ſtipendia ingravidationis tempore in fœtus alimoniam erogata, nonnè & parciùs ſanguinem mitti debere indicabant? fœtus enim in utero ceu caudici ligatur amico, cujus injurias deſponſavit, quatitur caudex, patitur ramus, ille penu vivifico deſtituitur, hic & genio ſuo defraudatur, ille manet, hic defloret, quid igitur in ipsâ febre hecticâ exhauriendus ſanguis vitæ theſaurus fons & origo? Et quis quæſo vinum tonitru agitatum, perculſum turbidumque factum, epiſtomio aperto liberaliùs profundet, depurationem adepturus; ſi efferveſcat nimiùm fervori compeſcendo, foramine pertuſo dolio, ſubindeque occluſo, vel tantillum extillatum ſufficiet?

Excretio ad cutim in malignis excrementi in ſanguine latitantis pravâque qualitate affecti non ſolùm materiæ heterogeneæ cumulum, ſanguinem in ebullitionem concitantis, theoreticè arguit, verùm & in praxi illius motus ad exteriora propenſionem promovendam indicat, quò tendit enim humor eò ducendus, eòque major ſucceſsûs ſpes affulget, quòd aura peregrina, quæ corpus ſubintrat, nonniſi ſub parvæ molis atomorumque tenuitate quaſi ſpiritus inſenſus humores percellat, in fermentationes adigat, quâ viâ igitur quibusque technis introceſſum molitur, eadem & ratione parique tentamine retroceſſus excretioque promovenda. In hocce igitur caſu cardiacorum omiſſione malignitas latiùs ſerpens vires ſuas ſæviùs inuſſit, ſuâque aſpergine ideò etiam crudeliùs infecit, quod frequentiori ſanguinis miſſione debilitata natura contra hoſtem inſurgere noxiique humoris ſecretionem moliri impar evaſerit.

Utut ſit, quamvis viâ in malignis inſolitâ inſtitiſſet, malaciam demùm adeptus, ſine morâ ſedimentum è prægreſsâ fermentatione reſiduum eccoproticis ſubducere ipſi incumbendum erat, vias reſerare debuiſſet, qui enim humores ex ſanguinis deflagratione reſides non ſecernuntur vel ex ipsâ morâ pejores facti, atque pravâ qualitate inquinati, ex foco ſuo jugiter pertranſeunti ſanguini auram malignam afflabunt, quæ enim, ex *Hippocrate*, relinquuntur in morbis, recidivas faciunt; ſeparatione itaque factâ, uti ex ſymptomatibus remittentibus conjicere licebat, excrementa ſtagnantia incaluerunt, ignisque ſopitus denuò accenſus eſt, humorisque peccantis facta eſt præcipitatio in muſculos thoracis tum & ſcapulæ, & inde dolores dirique cruciatus; In cujus novi morbi ex præcedaneo ſoboleſcentis progeniem, ſuam & operam conferebat uſus Opii intempeſtivus & diuturnior: ligatis enim ab ipſo ſpiritibus, à muniis ſuis avertebantur, excrementa moras nectebant, humoresque in ſanguine fermenteſcibiles coacti in muſculos pectorales parteſque pectori vicinas procubuerunt ſuâ acredine partes lancinantes, demùmq; humor ſtagnatione corruptus in maſſamq; refluus pulmones ſuo tabo infecit Phthiſisq; ſuccrevit.

Triſte quorundam experimentum, qui ab aſſumpto Opio perpetuum ſomnum obdormiverunt, prudentiori metum incuſſiſſet, ſi enim fumo extinctæ lampadis fœtus vinculis ſuis ſolutus feretro pignoratur, quid non metuendum erat à fœtore Sulphuris Narcotici, tuſſicula, quâ priùs laborabat, conatum naturæ ad expulſionem materiæ morbificæ arguebat? nonnè pondus amovendum angebat figebatque devoratum Opium? bellum enim indixit pectori, reſpirationem coarctat, partiumque, quæ ideò iſtud onus amoliri debuiſſent, peremptis ſpiritibus, vires deprimebat. Appetitus, à quo omnis nutritio vitæq; radix dependet, dejectionem inducebat, βραδυπεψίαν enim & alvi ſegnitiem communes medicinæ opiaticæ effectus eſſe notum, ſtomachi quoq; gravamen inducebat. Ex his obvium eſt conclu-

cludere, iſtos medicaſtros, verorumque Medicorum ſimias, malorum navium gubernatorum ſimillimos eſſe, qui ſi tranquillo mari navem regunt, nemo eos peccare deprehendat, quòd ſi eos vehemens ventus aut tempeſtas oppreſſerit, tunc omnibus manifeſtè conſtat, eorum imperitiâ & culpâ fuiſſe perditam. Ne tales igitur imperiti credulis fucum faciant, impunèq; ludant de corio humano, optimè Reipublicæ Medicæ conſultum videretur, ſi priùs ad examen revocarentur, antequam artis ſuæ tentamina experiri liceret.

OBSERVATIO CXV.

D. JOHANNIS de MURALTO.

Sutor à febre epidemicâ decumbens, ſparſis per corpus papulis ſectâ venâ meliùs habuit & convaluit, è contrà Sartor quidam hâc omiſsâ periit.

SUtor febre epidemicâ hocce anno ſub initium veris, triginta circiter annorum, temperamenti ſanguinolento-biliosi decumbens, jam diem ſextum à morbi inſultu, agebat, phlebotomia jam fuerat celebrata & quinto die morbi papulæ per totum corpus conſitiſſimè comparuerunt verùm ſine ullâ febris remiſſione, quin magis exaſperabatur febris, vigiliæ infeſtabant, ingens præcordiorum æſtus vigebat, ſitisque premebat, vocatus in conſilium cum Medico ordinario, phlebotomiam celebrandam præſcripſimus, præmiſſo clyſmate, mirum quàm efficaciter profuerit, ſymptomata remiſerunt, aliisque adminiſtrationum modis à Medico ordinario methodicè inſtitutis ad ſanitatem perductus eſt; Cùm è contra Sartor alter ex eodem affectu correptus, neglectâ plebotomiâ quinto, ſexto, ſeptimo die exaſperatis ſymptomatibus, papulisque efflorescentibus duodecimo morbi die obiit,

obiit, etiamſi ſub initium morbi jam fuiſſet celebrata venæſectio, catharſisque inſtituta, juventusque ac in priori adeſſet.

SCHOLIUM.

QUamvis ejusmodi ecthymatum & papularum per totum corpus ſparſarum eruptio vim propenſionemque naturæ ad exteriora materiam morbificam propellentis arguat, non tamen ideò ipſius liberatio integraque ſolutio declaratur, ſi igitur ab exanthematum efflorеſcentiâ non imminuantur ſymptomata, quin magis exaſperentur, periculumque immineat vel phrenitidis, peripnevmoniæ, aut pleuritidis, humorumque fervor humoris morbifici decubitum portendat, ſine morâ, experientiâ fiduciam augente, tutò ſecari debet vena. Præthereà ſanguine miſſo, natura, quæ molitur ejusmodi papularum excretionem levatâ ſarcinâ, pravorum humorum quâ premebatur, faciliùs quod reliquum erit, pravi & maligni in cutem propellet. Deinde nullum eſt remedium, quod celeriùs ſanguinis fervorem temperet, quàm venæſectio. Ne quis tamen exinde occaſionem arripiat nimiâ aut frequentiori venæſectione vires exhaurire, potior enim indicatio ſemper deſumenda à viribus, quarum conſervatio & tutela ideò majoris ſunt momenti in malignis, quòd inſidiosè aggrediantur, ſpiritibusque profligatis vires alterent. Prudentiâ autem dirigente, cujus uſus ſi in quibusvis aliis tum inprimis in medicina neceſſarius eſt, ratione putredinis, tum ut juvetur motus humoris papulas committentis ad partes externas, tum etiam ratione febrilis ardoris & incendii, tum quoq; ratione malignitatis humoris, quia unà cum ſanguine portio miaſmatis morbifici detrahitur, minimè dubitandum eſt, quin ſit in maligna febre ſparſis per corpus papulis ſecanda vena.

OBSER-

OBSERVATIO CXVI.
D. JOHANNIS de MURALTO.
Aſthma convulſivum.

Mulier grandis ſtaturæ, tenuis tamen habitus, ſaturato genarum rubore prædita, temperamentique ſanguinolento-bilioſi, ſub initium Auguſti Ann. 1688. medicatrices manus à nobis expetens, talem morbi hiſtoriam referebat: primò in ipsâ infantiâ tumores retrò aures glanduloſos habuit, ſed fonticellorum ope evanuerunt, per totam vitam frequentes hæmorrhagias paſſa eſt, per virginitatem ſtatis quidem periodis, ſed parvâ quantitate fluebant Catamenia, frequenter autem ſanguis è naribus profundebatur; à duodecim annis matrimonio viro juncta, puerperaque quandoque facta & alumna, non periodicè ſed incertis intervallis redibant, à tribus autem annis & dimidio, per tres aut quatuor menſes ſuppreſſa fuerunt, quo temporis intervallo frequenti vertigine tentata fuit, oppreſſæque vires languebant, demùmque febre intermittente laboravit, à qua venter aliquandiu tumidus evaſit: poſt ſex autem aut ſeptem menſes bis aut ter recurrentibus menſtruis demùm adhuc per quinque aut ſex menſes ſubſtiterunt, ex quo & iterùm fluxerunt aliquot vicibus, hæmorrhagiæque obortæ ſunt. Notatu dignum, ab imminuto rariorique Catameniorum fluxu, rariùs parciùsque tum & hæmorrhagias contigiſſe, ab iſto autem imminuto parciorique fluxu ad ſuppreſſionem tendente, inſignes calores per totum corpus tum temporis & fermè continuos patiebatur, à phlebotomiâ in pede celebratâ tantiſper remiſerunt, ſed poſteà revertentes ad hoc usque tempus continuaverunt; à 15. circiter menſibus tum primùm aurium tinnitus cum murmure obtigit, quo ipſi videbatur caput eſſe vento gravidum, quemque per decem aut duodecim dies perſentiebat, ex quo iſtis flatibus, uti loquebatur, in guttur prolapſis

lapſis reſpiratio intercipiebatur, ſed momento diſcuſſo flatu inſtaurata eſt etiam reſpiratio; poſt annum idem tinnitus auriumque murmur per idem intervallum revertebatur, à ſanguinis autem miſſione tum temporis remiſit, duobus autem aut tribus menſibus ab iſto ſymptomate in colloquio confabulans ſubindè raucedine cum tuſſi correpta, iteratis vicibus, quantum ovi teſta contineat, ſanguinem expectoravit, tumque pectus ita oppletum inflatumque perſentiebat, ac ſi à ſanguine turgidum habuiſſet, vixque exin ſpiritum ducere poterat, à ſanguinis miſſione ex pede ſubſtitit quidem ſanguis, plenitudinis gravaminisque ſenſu interim ad aliquod tempus perſeverante, poſt tredecim dies eodem ſymptomate ſub aurorâ correpta eſt, quodque octo vicibus eodem ipſo die reverſum eſt, palpitationem etiam cordis tum temporis patiebatur, poſt octo dies è ſomno expergefacta eâdem oppreſſione correpta, è lecto ſubindè iſtud onus fugatura exiliit, verùm adaugebatur, caputque & collum pectusque quaſi vento gravida obſtrepebant magis, tumque adeò plectebatur, ut ſpiratione quaſi intercisâ ad aliquod tempus conciderit, ingeniiq; robur quaſi vacillans aliquatenùs fractum ſit, ante autem ejusmodi paroxyſmum calorem inſignem in ſtomacho, quo totum corpus perfunderetur, ſentiebat, alterumque caloris ſenſum ab altero diſtinctum percipiebat, qui è ſuperioribus à latere ſiniſtro usque ad ultimum pedem perreptans ceu candelæ adurentis ſenſum impertiebat. Ex quo etiam ſub curâ noſtra fuit, eodem ſymptomatum apparatu corripiebatur, ut quandoque conquereretur de tali plenitudine inflationisque ſenſu tum in capite, collo & pectore, uti præfocationis ſenſus immineret, tantoque timore percellebatur, ut mortem adſtantem & præ foribus fortiter perſuaſum haberet, neque ab iſto mentis errore abduci patiebatur, quin difflato penu morbifico animi certitudo fiduciaque accerſeretur; aliquando de particulari quadam conſtrictione in regione cordis conquerentem vidi. Parùm emungebat, parùmque expuebat, niſi

fortè

forte pauxillum pituitæ ſalſæ, aut poſt ſymptomatis ceſſationem pauxillum ſalivæ tenuioris. Hoc autem notandum, quòd à menſium ſuppreſſione per aliquot tempus albo fluore correpta fuerit.

SCHOLIUM.

GLandulæ in infantibus uti molliores, ita & tument facilè, humoremque ſibi aſciſcunt, quo turgeant, & ſi ſerum ſecretum labe quâdam inquinatum ſit, graves quandoque affectus glandulis inurit; Cura, quæ contigit fonticellorum ope arguit, ſerum nihil maligni, quo glandularum craſin everteret, in ſe habuiſſe. Hæmorrhagiæ tum in infantiâ tum & in ætate juvenili & per totum fermè vitæ curriculum opulentum ſanguinis fermentum & quadam acredine dotatum, quo humor ſanguineus abundè ſcaturiens ſuâ acredine vaſorum ora recluderet, indicabant; Ex hac cauſa quædam frequentes phlebotomias innoxiè, imò cum levamine patiuntur, è contrà principiis fermenti ſanguinei à naturâ depreſſis; aliæ ab hæmorrhagiis aut frequentiori phlebotomiâ inſigniter læduntur, ſpoliato ſiquidem humore primogenio depauperatiſque ſpiritibus graves affectus maximèque hydropem incurrere ſolent. Mulieres ſupra viros fermento gaudent, quo turgentes humores in ſtatas evacuationes proritentur, quarum beneficio humores repurgantur, defæcatur ſanguis, totumque corpus ab excrementis depuratur, & quamdiu iſta purgamenta debitâ menſurâ & periodicè recurrunt, tamdiu & bonâ valetudine frui conſueverunt, ipſorum autem imminutionem aut ſuppreſſionem graviter ferre ſolent, non ſolùm etiam ſanguis quantus ſed & qualis expurgatur, ideò κάθαρσις κατ' ἐξοχὴν, dicta purgatio *Eraſiſtrato*, quæ quandiu naturæ legibus paret, ſecundùm *Hippocratem*, mulier podagrâ non laborat, à ſuppreſſione malorum ilias ſurgit, quæ *lib. 1. de morbis mulierum* ab ipſo *Hippocrate* prolixè recenſentur. Itaque tum primùm vertigine tentata fuit, vires languebant, febriſque diuturna

accenſa eſt, calore ſubindè recurrentes ipſam corripiebant, à parciori autem menſtruorum fluxu parcior & hæmorrhagia obtigit, fluxus ſiquidem uterque ab eadem causâ proritatus, ab eadem & uterque circumciſus, pleonexia & catullitio ipſum concitabant, imminuta quantitas motusque remiſſus remorabantur demùmque ſiſtebant, unde ſanguis vitioſus factus eſt humoresque inquinati ſunt, ex quo fluor albus aliquandiu profluxit, venter incenſus eſt totumque corpus à caloribus ſubindè recurrentibus incaluit, verùm non ſolùm intra fluenti ſanguinei cancellos tragœdia peracta eſt, ulterius enim progrediente penu morbifico caput affectum eſt, ipſumque quaſi vento gravidum perſentiebat, materiâ ſiquidem morbificâ rarefactâ & quaſi œſtro percitâ, elidebantur & ſpiritus, disgregatique ceu venti obſtrepentis ſenſum inducebant, prolabente autem eadem materiâ, coarctata fuit reſpiratio, intraque pectoris terminos quaſi nidum congerentem aſthma flatulentum certis intervallis recurrens, concitatum eſt.

Aſthma propriè dictum eſt reſpiratio difficilis, frequens, & velox, cum ſonitu, facta ob meatuum pulmonis interceptionem citra febrem. Eſtque de genere ſymptomatum actionis depravatæ, & ſequitur inſtrumentalem morbum in viâ. Hujus proxima cauſa eſt viarum ſpiritalium anguſtia, quæ maximè fit ob craſſorum lentorum, aut multorum humorum plenitudinem aut concretos ex gypſeâ pituitâ lapillos. Cujus ſigna pathognomonica ſunt, ſtertor inter ſpirandum eliſus, pectoris anguſtia & cujusdam quaſi gravaminis præpedientis & obſtruentis ſenſus.

Aſthmatis veri flatulenti ſymptomata ſunt inflatio, præfocationis metus, convulſiones quandoq; inducuntur.

Symptomatum differentia, cauſarum etiamnum diſcrimen arguit, utq; primi aſthmatis vulgariterq; ſic dicti cauſa in ductus pneumonicos refertur, ita & hujus in partes moventes referre obvium eſt. Itaq; ſi ex vitioſo ſanguine ceu impurâ ſcaturigine

gine latex ſpirituoſus extillaverit, eâdem labe inquinatus quidnì orgaſmus progignetur anomaliæque contingent! Et in quas propagines nerveas prolapſus fuerit humor noxius, partes, quibus appenſæ ſunt illius orgaſmi vi & impetu pœnas luent! Enimverò ductus pneumonicos non affici vel exinde conſtat, quòd parùm aut nihil expuant, nec ante nec poſt paroxyſmum, quòd nullum gravaminis nec plenitudinis ſenſum intus patiantur, quòd nullus adſit ſtertor nec ſibilus, quinimò ſedato paroxyſmo æquè liberè ſpirant, ut ſi nihil mali nec incommodi paſſi eſſent, reſtat igitur, ut cauſa interceptæ ſpirationis in ipſis partibus moventibus intercludatur. Nec enim in ipſo ſanguine reponenda, vel enim tale phœnomenon à ſubita ipſius condenſatione aut rarefactione contingeret; Non à ſubita condenſatione, quippe nec in pallidis virginum coloribus, nec aliis affectibus, quos ſanguinis craſſities aut feculentia inducit, tale quicquam obſervatur, ſpirandi quidem difficultas inducitur in Chloroſi in Leucophlegmatiâ, ſed alio modo contingit, nec enim tam ſubitò ingruit, nec tam fortiter intercipitur ſpiritus, nec tam citò remittit, nec inflatio percipitur. Nec ab ipsâ ſanguinis rarefactione hicce affectus ingraveſcit; enimverò ſi ab efferveſcentiâ ſanguinisque Phlogoſi tale ſymptoma induceretur, illud inprimis in peripnevmoniâ contingeret in cauſo, quod tamen non accidit, quamvis enim adſit quædam ſpirandi difficultas in iſtis, à vaſis ſanguine ebulliente diſtentis, nulla inflatio nec præfocationis ſenſus obſervatur, nec vice versâ in iſto ulla inflammationis tecmeria adſunt, reſtat itaque, ut hujusce ſymptomatis cauſa referatur vel in ipſos nervos pnevmonicos, muſculos pectoris, fibrasque muſculares, quæ veſiculas pulmonares circumcingunt, aut in ipſa vaſa lymphatica, aut glandulas pulmonum ſubſtantiam intertexentes; Glandulæ hocce ſymptoma accerſere niſi ſecundariô non poſſunt, in quantum obturatæ lympham nec à ſanguine nec à nervis reſiduam non ſecernunt; Unde accreſcat penus morbificus huncce affe-

ctum accerſiturus, aliàs induratæ aut tumore accreſcentes aſthma commune inducunt, nec in ipſos ductus lymphaticos cauſa morbi nî fortè etiam ſecundariò rejicienda, quippe lymphæductus quamvis numeroſâ prole in pulmonibus ſoboleſcant, nil niſi aquam exportant, liquoremque quaſi effœtum evehunt, proindeque effervescentiis concipiendis minus idoneum. Ipſi autem nervi humore æthereo & ſpiritibus ἐνορμόνθοις ſaturati plerumque in motibus ſuis pervertuntur, ſuos quippe motus paſſim corripiunt vel ab ipſis deſiſtunt, utique aër ventis perflatus piſtrini motus eventilatione accelerat, vel iisdem ſedatis ſiſtitur, ſic pari ratione quandoque ſpiritus œſtro quodam perciti motus ſuos reduplicant quandoque & remittunt; In hanc rationem veniat obſtructio vaſorum lymphaticorum, ſi enim glandulæ non ſecernant ſerum à nervis, ut evehatur per vaſa lymphatica, à lymphâ remeante & intra nervorum canaliculos ſtagnante ſpiritus deligati & quaſi incarcerati vires ſuas exerunt, ceſſationis integræ periculo intenditur motus animalis, naturaque ſpirituum curſum corripit, donec fracto obice, prior & naturalis ſpirituum motus redintegretur pari fermè ratione, ſi vitioſi ſucci & catullientes confertim irruant, nervos pnevmonicos quaſi obruti ſpiritus eliduntur, pro viribus contendunt ſecretionemque moliuntur, interim per illos conatus naturæque niſus reſpiratio interturbatur, motusque pnevmonicus intercipitur, diſtentique, uti in tetano nervi quaſi rigidi perſtant & convelluntur, ſanguisque ideò quaſi ſiſtitur, inflatio percipitur ab orgaſmo ſpirituum, ipſorum ab invicem ſeceſſu & disgregatione, tandemque peragitur tragœdia, donec ſubactâ materiâ vel aliò diductâ aut reſorptâ calcatam viam reſumunt. Ex his itaque obvium eſt concipere à ſuppreſſione menſium ſanguinis maſſam materiâ extraneâ & incongruâ abundè ſaturatam, varia hæc ſymptomata progenuiſſe, deſcenſus humoris flatulenti, quem percipiebat, nullâ aliâ viâ commodiori quàm per nervos inſtitui poſſe videtur, hoc arguit, quod paſſim obſer-

obſervetur à prolapſu cujusdam humoris carnium ſubſultus ſubſequi & auræ cujusdam aſcenſu ac deſcenſu varios motus ſpaſmodicos excitari, uti & quandoque ipſa epilepſia tali præludio inchoata potenter ſævitiæ vires exerit. Itaque qui ab oſtiis glandularum patentibus & recluſis catarrhorum fontes dixerit, ſymptomata explicabit facilè, cùm caput glandulis undique obſitum, & vice versâ qui ab iisdem occluſis & conniventibus ſeri refluxu in nervos penum morbificum ſæpiusque ſpaſmodicum congeri aſſeverârit, non à veroſimili abludet, glandulæ enim nihil aliud ſunt quàm cribra, per quæ latex deducendis ſpiritibus inſerviens, & ab officio immunis & quaſi effœtus ab extremis & capillaribus vaſibus deciduus per poros ſibi convenientes inſtillatur in vaſa lymphatica, uti & per quæ dum ex arteriis in venas per capillaria tranſit ſanguis, liberatæ à ſanguinearum amplexibus ſeroſæ partes caloris vi per convenientes ſibi poros expellantur in capillaria lymphaticorum. Interim ut aſthma propriè ſic dictum ad phthiſin aut hydropem diſponit, ſic & hoc ad convulſiones & ipſam epilepſiam plerumque alludit. Huc referatur mens Celeberrimi Wepferi de Orthopnœa Domini N. N. in Obſervatione ſeq. num. CXXI.

OBSERVATIO CXVII.

D. JOHANNIS de MURALTO.

De

Vomitu.

QUidam Pharmacopola ætatis 43. annorum, temperamenti bilioſi, vino meraciori indulgens, diarrhœæ certis intervallis recurrenti obnoxius, flatus, cohibito illo fluxu eructabat per noctem, neglecto per aliquot tempus hoc ſymptomate, demùm vomitu correptus fuit, purgatio inſtituta eſt ad motum humorum ad inferiora

revocandum, ſed cùm nihil prodeſſet, vomitus etiam proritatus eſt, bolo devorato ex Croc. Metall. gran. v. cum ſ. q. Conſerv. Cynorh. benè repurgatus eſt tum per ſuperiora tum per inferiora, evacuatioque facta cum bona ægri tolerantia, & etiam cum aliquo levamine ita, ut etiam per aliquot dies rariùs vomitus accitus fuerit, verùm non in totum cohibitus ſenſim adauctus eſt, ita quidem ut aliquandiu à cibo, quem cum appetitu capiebat, vomitu corriperetur, vomitûs præludia erant præcordiorum inflationes, quibus attollerentur ſenſibiliterque intumeſcerent, interim dejiciebat, & quidem materiam laudabilem & cum moderamine, notatu dignum, quòd materia vomitus, quæ nihil aliud erat, quàm ſerum & forſan ſub finem humorum colliquamentum, eſſet inſigni acore dotata, uti patiens conquerebatur, quamque ſatis copiosè rejiciebat, omnibus tandem auxiliis incaſſum tentatis, tum per adſtringentia tum per revellentia, attritis viribus concidit, ita quidem, ut ab initio morbi ad finem, ſex hebdomadarum curriculo tragœdia peracta ſit.

SCHOLIUM.

NIſi quotidiana ſubſtantiæ jactura quotidiano pabulo reſarciretur, brevi univerſa corrueret moles, ac vita eriperetur, in eam rem natura nobis inſevit cibi potusque deſiderium, cibo ſarcimus quidquid ſolidioris ſubſtantiæ excidit, potu quidquid humidioris; ſed ut eſculentorum ita & potulentorum vis eſt, quam nulla res æquet, ac in amborum uſu variè ſæpiùsque delinquitur; Itaque cùm multa quæ ad rationem victus pertinent, tenenda: tum maximè quæ cujusq; cibi potusq; ſint vires atq; diſcrimina, quis habendus utriusq; modus, quæ adhibenda copia.

Vino, quòd à S. Scriptura encomium mutuatur, ſuas laudes detrahere nec rationi conſonum minusque & veritati conforme videretur, qui igitur à victu in totum ablegant, illud, non niſi ſub cujusdam mali, quod prævident, prætextu, per-

peragere cenſendi ſunt; jure enim & in eorum, quæ nutriunt numerum adſcribi poteſt, quantòque faciliùs potu quàm cibo refici datur; tantò & celeriùs infuſum corpori vires ſuas effundit, triſtitiam enim fugat, vires proſtratas erigit, conſopitas exſuſcitat, coctiones promovet, vecordibus & puſillanimis animum addit, uno verbo, nullum præſtantius cardiacum, quo ſyncope animiqúe defectui citiùs certiùsque medeamur, quàm ipſo vino, nullumque excellentius à DEO donum excogitari poteſt, ſi intra legitimi uſus ſobrietatisqúe terminos ipſo utamur; ſed meliora abuſu pejora evadunt; Hujus liquoris, velut numiſmatis inverſi, ſi φάσις altera inſpiciatur, planè nocua apparebit; in qua non minùs damni, ac maleficii, quàm in priori iſta emolumenti vidimus, detegere licebit; adeò muneri huic à Diis conceſſo plurimùm toxici adjungitur, ut de ejus crebro, nimiumqúe frequenti uſu minimè liceat nos ſecuros eſſe: argumento ſunt halitus, ructusque fœtidi, ſitis, inquies nocturna, furiales ſomni, tremulæ manus, & quæ hoc fonte derivata morborum ilias hominem graviùs ſolet affligere; tardum ſcilicet dictu plura homini creet bona an mala? eſt quidem hoc ornatum privilegio, ut ſpirituoſâ quâ pollet ſubſtantiâ jacentes diſſipatasque vires ſuſcitet colligatque promptiſſimè: at non tanti eſt illud, ut cætera quibus corpus animumqúe malè mulctat incommoda, hoc, quod etiam ad nos aliunde venit, beneficio redimantur; nempe inani acceptum ventriculo magno ejus damno ac tormento fervet, æſtuat, immaniusque debacchatur, quidnî & Circeus Liquor, quòd largiusculè hauſtum, vel *Socratem* momento queat in Oreſtem vertere, quod viſcera ipſa diſtendit, calefacit, ſiccat, urit, inflammat; ſanguinem, corpus, mentemqúe furiat, docet libidinem, quid quòd vini aviditatem auget ipſa bibendi conſuetudo; meliorique extinctâ temperie, haud ſecùs ac terra ſemper madida ſpinas, lolium ranasqúe educat. Non minoris itaque intereſt, quanto, quàm quo quisque paſcatur alimento. Illius in utramque partem magna omninò

vis.

vis. Nam è ſatietate nimiâ, corpus cruditate, quæ morborum omnium mater eſt, diſſilit. Hinc non ſufficit guloſis nec ebrioſis vim & temperiem à nativitatis primordiis accepiſſe, cùm ſibi parent domeſtica jurgia connutriantque omne veneni genus Ebrioſi: Opium quidem & Narcotica, in vapore nocentis ſulphuris, è putri viniq́ue particulis nimiùm ſaturato ſanguine auram narcoticam auriganꝺis, ſpiritusq́ue animales ligantis, hinc ſomnolenti fiunt, ſocordes, ſtulti, oſcitantes, oblivioſi, nulliusq́ue frugis homines; ſublimatum in bile æruginosâ, frequentiori quippe largioriq́ue vini potu, ſulphur nativum diſſolvitur, calorq́ue primigenius obtunditur, unde acores aliæq́ue dyſcraſiæ non facilè curabiles contingunt. Talem morboſum apparatum vini potus indulgentiâ diu ſibi connutriens ſicq; æger demùm in grave hoc ſymptoma incidit, humoresq́ue miſcellæ extraneæ conſortio diu prægnantes tandem dirum hunc affectum progenuerunt, intumſecente itaque circa præcordia bile æruginosâ, vaſorum ora undique recluſa patefactaque ſunt, tumque adeò continenter proritata, ut unà cum ſuccis morbidis & vitioſis tum & laudabiles fuerint eliciti, usque dum tanto tamque diro humorum orgaſmo coërcendo viribus impar natura ſuccubuerit.

A ſuppreſſione conſuetæ evacuationis penum morbificum intra viſcera congeſſit, unde omnium borborygmi flatuumq́ue eructationes, rugitus, & vomitus demũm ſubſequuti ſunt. Acor inducebatur non ſolùm à fervore præternaturali, à vini meracioris uſu frequentiori in humoribus excitato, quo ſcilicet ſpiritu exhalato acidum prævaleret; ſed & ipſum vinum, quod multum acidi in ſe continet naturam vitriolicam impertiebat, inde natas crediderim tot ſpirituum anomalias temulentis familiares, quibus paſſim corripiuntur, humore ſiquidem vitriolico pleniùs elutriato ſanguine, ſurgit narcotici aliquid, quo hebeſcant ſpiritus, unde memoriæ deperditio, paraplegiæ & alia contingunt; non omnes quidem ex æquo plectuntur, ſed pro ratione varia, temperiei varias

rias quoque luunt pœnas, bilioſi ſiquidem quique ſpiritus à naturâ erectos obtinent, animæque corporeæ ſyſtaſin firmiorem nacti ſunt, non tam citò de vigore remittunt, neque tam facilè intoxicantis liquoris laqueis irretiuntur ac imbecilliores, debilique nervorum tono præditi; verùm exin non ideò feliciores ſæpiùs videre licet, quippe qui corporis pathemata devitant, graviori noxâ, mentis plerumque morbos contrahunt, hinc ubi œſtro quodam perciti in motus perniciosos ac irrequietos adiguntur, & quaſi à malè morato ſpiritu agerentur, furioſi evadunt adq; maniam non parùm alludunt.

Parcè igitur æquo jure vinum bibant omnes, parciùs tamen bilioſi, & qui cœlo calidiori gaudent, & quibus à naturâ genus nervoſum eſt debile, hosce enim offendit, illos malignè nutrit, & vitalia jam præcalida incendit, placido aquæ humore meliùs proluenda. Certè quod acris, alieni, aut turbidi quidpiam in ſe cohibet, quantumlibet feliciter decoqui videatur, quas attinget partes, ſuâ iſtâ imbuet, quam mordicùs retinet pravitate; ferè ceu canis rabidi virus, tandem in grande aliquod malum erupturâ. Ebrioſi potus quidem vini dulcedine capti, ceu neſcientes in ipſius partes rapiuntur, familiariùsq; cum eo uti amant, ſed quos ſibi conciliat atque demeretur hoſpites ceu hoſtis infeſtiſſimus, ſi quando vim manifeſtam non afferat clàm certè ipſorum exitium intendit, vitæq; principia depopulatur.

OBSERVATIO CXVIII.
D. JOHANNIS de MURALTO.
De
Rabie.

PRopè Pontisvellam apud Sebuſianos lupa rabida è nemoribus duabus circiter horis ab urbe diſſitis proſiliens, in quos incidebat adoriens rictu diducto momordit, ita

ut quinque perſonæ ab ea demorſæ fuerint, usque dum ultimò infante ab ea demorſo, horæ quadrante ab urbe, ab ipſius parente ſcipione mucrone ferreo inſtructo interfecta fuerit. Quatuor priùs demorſi ante quadraginta dierum lapſum rabioſi facti obierunt, ultimò demorſus infans evaſit. Ex quatuor priùs demorſis adoleſcentem quindecim circiter annorum curæ noſtræ ſubjectum vidimus, qui variis dentis rabioſi morſibus manum dilaceratam habebat, manus ſubindè fuit ſcarificata, & aliquandiu vulnera aperta detinebantur, verùm cùm nullius prorſus mali augurium minaretur, nec parentes ideò curam longius protrahi permitterent, poſt viginti circiter dies à morſu occluſa ſunt, neglectis interim remediis internis, trigeſimo autem octavo à morſu ſub veſperam inquietudine affici cœpit, animi corporisque jactationes patiebatur, noctem inſomnem transegit, poſtridie exaſperatis ſymptomatibus excandeſcebant oculi cum aſpectu lurido & torvis oculis, os diſtortis motibus circumagebatur, jactationes inchoatæ adaugebantur, faſtidibat, corpus calore immodico perfundebatur, vomitus infeſtabat, ſpumam circa os ejiciebat, incendium internum patiebatur, lingua exareſcebat, hisce ſymptomatibus divexatus, tandem circa mediam noctem è ſuo cubili in terram ſe projecit, pedibusque in altum circa dolium erectis, capite in terram proſtrato terram commordens animam efflavit. Intereà tum temporis expoſtulato pro infante, de quo ſupra, conſilio, cùm fortè, propter mollitiem humorisque decubitum nativum in genas, quæ fuerant demorſæ, vulnus à morſu nondum occluſum eſſet, juſſi, ut perdiu maneret apertum, purgantibus intereà convenientibus per epicraſin repurgato corpore, hisce auxiliis maximè vulneris diu manantis apertura incolumis evaſit, & etiamnum poſt quinque circiter annos à morſu ſartus tectusque vivit. Notandum, quòd, quamvis hydrophobia pro pathognomonico ſigno rabiei habeatur, ipſe tamen adoleſcens, de quo ſupra, in ipſo ſymptomatum lethalium vigore hauſerit quosdam Julepos

lepos, ſed tamen etiam quod non minus notatu dignum, ipſe patiens, à morſu, quamvis æſtas vigeret, fuiſſetque ſolitus anteà, uti alii ejusdem ætatis, ſæpiùs etiam in die lavare corpus, nullatenus tamen balneum ingreſſus fuerit.

SCHOLIUM.

EX ſymptomatibus huncce affectum concomitantibus inter generis nervoſi ſpirituumq́ue animalium pathemata recenſere rationi conſonum videtur, enim verò motus convulſivi, imaginationisq́ue depravatæ phantaſmata huncce affectum ſignis pathognomonicis deſignantia illud arguunt. Itaque ad alteram melancholiæ ſpeciem, maniam nempe ceu ad genus commodè referri poteſt.

Duplex eſt enim melancholia, altera ſic propriè dicta, quæ eſt delirium ſine febre cum metu & mœſtitiâ ſine cauſâ manifeſta ab humore acerbo potenter dominante, qui tetrâ & nigricante anathymiaſi cerebrum perfundit, ſpirituumq́ue in eo ſubſtantiam permutat, atrisq́ue tenebris luciditatem conſpurcat: altera eſt mania, quæ eſt functio depravata principum cerebri facultatum, mentis præſertim cum excandeſcentiâ ſine febre, ab incendiariâ cerebri dyſcraſiâ, ad hanc ultimam ceu ad genus ſpecies aliæ referuntur, ut ſunt Lycanthropia, Cynanthropia, & Hydrophobia ſeu rabies.

Deſcribi poteſt ſpirituum fervor & excandeſcentia cerebrique intemperies exuſta & contagioſa, à veneno ſuſcepto, ſuccosq́ue atrabilarios ad ἀκρότητας evehente inducta, omnium principum facultatum maximèque phantaſiæ functionem depravans, aquæ & liquidorum omnium horrorem accerſens ab animalis rabidi morſu ſanguinem inficiente. Licet hic affectus à melancholiæ & maniæ naturâ plurimum mutuetur, magis tamen maniæ naturam redolet. Non ſolùm canis rabidi morſu, aut aſpersâ ſalivâ, ſed etiam inquinato halitu, vel prælibato ab ægris poculo, præmorſove cibo contrahitur, ſeque

ſenſim per arteriolas aut per nervorum canaliculos in totum corpus diffundit.

Rabioſum virus ſive morſu, ſive ſolo contactu in corpus humanum irrepat, ſi negligatur aut ei maturè non proſpiciatur, hoc habet peculiare, ut pro corporis inquinati, & humorum diſpoſitione, celeriùs aut tardiùs vires ſuas exerat, & malignitatis ſuæ effectum prodat, quamvis itaque quadrageſimus dies attendi ſoleat ceu terminus, antequam efferetur virus, quod contigit in illis quatuor, de quibus hiſtoria hîc profertur, illud tamen non eſt perpetuum; in hoc itaque affectu ut & in aliis, agentis ad patiens varia aptitudo, vis & energia varios itidem effectus producere nôrunt. Ita ut aliquando, ſi partium interiorum adſit robur, quod validè huic reſiſtat, nec humores in vitio ſint, per ſex menſes, imò per annum integrum intùs latitet: veruntamen ſenſim ſemper, & quaſi clanculum ſeſe inſinuans, cum totius ſubſtantiæ diſſidio, occultâque pernicie & malignitate, tum manifeſtis qualitatibus ſiccitate putâ & caliditate in corpus agit, humores corrumpendo, ſpiritus inficiendo, temperiemque partium nativam evertendo & immutando: donec principum partium temperamentum, dehinc reliquarum penitùs immutârit, & in propriam naturam converterit: atque tum temporis venenum iſtud perniciei ſuæ & κακοηθείας profert indicia, quæ præſertim in principum facultatum læſione apparent. Nam dum iſta labes radices altiores egit; hac quidem correpti evadunt iracundi, nec ſtare, nec quieſcere ullo modo poſſunt: quin potiùs huc & illuc effrænatè aguntur, manibus ora dilacerant, nonnullos quandoque petunt, & cùm ad hunc furoris gradum pervenerunt, in notos atque ignotos juxta feruntur ac debacchantur, oculos habent torvos & perquàm horribiles: & ut inquit *Galenus lib. de theriacâ ad Piſon.* inareſcit eorum corpus, interdumque convellitur, febrique acri intùs exæſtuat: imò illi, animo etiam delirante ſymptomata graviſſima patiuntur, quippe aquam timent, ac propter multam ſiccitatem

calo-

caloremque adurentem, quamvis humidi refrigeriique teneantur deſiderio, à potu tamen abſtinent, quia mente alienati id quod poſſet auxiliari, non conſiderant, & ſic fugientes aquam, ob eamque paventes miſerrimo mortis genere interire coguntur. Nam enim cauſa, quæ iſtum affectum fovet, ſit calida & ſicca intemperies, cumque hoc morbo detenti aridi ſint, febrique & ſiti perpetuâ diſcrucientur, balneum & ὑδροποσία nonniſi prodeſſe poſſunt. Exuſtæ itaque intemperiei refrigerantia, humori atrabilario vacuantia, veneficæ qualitati alexiteria, firmando cerebri tono roborantia decernenda; ſed juverit inprimis inuſtum læſæ parti virus μελαγχολικοῖς & ἐπισπαστικοῖς candenti præſertim ferro foràs evocaſſe, diffuſo in corpus veneno catharſis & venæſectio, nec non diuretica & hydrotica imperanda.

Pro Alexiterio inſigni habetur ſequens Pulvis à *Palmario* deſcriptus:

℞. Folior. Rutæ, Verbenæ, Salviæ minoris, Plantaginis, Polypodii, Abſinthii vulgaris, Menthæ, Arthemiſiæ, Meliſſophylli, Betonicæ, Hyperici, Centaurii minoris āā. partes æquales.

Omnia circa Junii plenilunium cœlo ſereno colligantur, papyro involuta ſiccentur, & in ſubtilem Pulverem redigantur.

Doſis eſt ʒß. cum æquali pondere Pulver. Viper. per decem aut quindecim dies continuos in Vin. alb. ℥iij. manè jejuno ventriculo; Quidam ſupra morſum Petroſelinum contuſum applicant, quod non eſt rejiciendum, ſed inprimis ſecundùm experientiam hîc prolatam perdiu apertum manabit vulnus, ut emiſſario continuò diffluente, virus tandem emungatur, humores malignitatis contagio redimantur, incolumesque perſtent. Ubi quis itaque fuerit demorſus, tum primùm pars affecta ſcarificabitur per aliquot dies, fortes fient ligaturæ inter cor & partem affectam, cucurbitulæ applicabuntur; ſin minus permiſerit pars affecta, panis calidè è furno

exemptus perque medium ſectus in vino albo aut ſpiritu vini madefactus applicabitur, decoctum aut aqua Scorzoneræ proderit, ſi patiens per aliquot dies Cyathum hauriat, ſupra vulnus Theriaca, Allium, vel Baſilicon applicabitur. Interim ex Obſervatione notatu dignum ſymptomata rabies nonniſi circa 40. aut paulò poſt apparere, ideò & ad usque illud tempus non intermittenda ſunt remedia, devorabit itaque patiens quotidiè per illud tempus manè doſin Pulveris ſupra ſcripti vel morſellum Opiatæ ſequentis, ſuperhauſto Aquæ Scorzoner. Cyatho. ℞. Oculor. Cancr. Rad. Ariſtol. long. & rotund. Gentian. Baccar. Laur. Juniper. ad partes æquales cum ſ. q. mellis deſpumati fiat ex arte Opiat.

Quòd autem ore hiante obverſantes ſibique propinquos non impetierint, nec in ſymptomatum lethalium ſævitie alter illorum omnimodè à liquore abhorruerit, illud variis veneni gradibus imputandum, quibus immanius in certis mitiusq; in aliis rem ſuam peragit non parùm ad id concurrente peculiari cujusq; Diatheſi.

OBSERVATIO CXIX.

D. JOHANNIS de MURALTO.

Ileos curatus.

QUidam Ruſticus neglectâ conſtipatione per aliquot dies ventris torminibus doloribusque colicis divexatus, vomitu fuit correptus, ut quæque aſſumpta per vomitum rejiceret, varia tentata ſunt remedia, ſed ſine ſucceſſu, enemata nihil profuerant, propinatæ purgationes rejectæ fuerunt, & jam tertium agebat diem à vomitu doloribus colicis ſuperinducto, Medicus accerſitus audacter magnam quantitatem Hydrargiri hauriendam exhibuit, ex quo tandem multa dura excrementa per alvum deturbata ſunt, re-

liquum-

liquumque demùm curæ auxiliis idoneis adeptus eſt patiens, ſanitatique reſtitutus.

SCHOLIUM.

QUæ Latinis Volvulus, Celſo Chordios, nec non ob eam, quam laborantes intuentibus movent commiſerationem, miſerere mei vulgò nuncupatur, gravis meherclè & portentoſa periculique pleniſſima, inteſtinorum, ilei præcipuè affectio eſt, in qua tum primùm non niſi eructationes & crepitus fiunt & emittuntur, ingraveſcente malo humores, bilis & pituita per os excernuntur, extremè increſcente & invaleſcente ſymptomate, ſtercora etiam per os rejiciuntur, quod equidem abundè teſtatur inteſtinorum affectum eſſe, quo ob intercluſam inferiorem viam, excrementa nulla per inferiora deturbantur, verùm ad ſuperiora impetuosè regurgitant. Huic malo plerumque originem præbet inflammatio, tumor in ſubſtantiâ partis genitus, ſæpiùs obſtructio à reſiccatis excrementis humidis, craſſis & viſcidis in partes congeſtis, nonnunquam etiam fit à compreſſione, denique ab omnibus iis, quibus inteſtinorum via occludi poteſt, inde namque reſiduis excrementis exitus cùm denegetur, hæc humoris copiâ aut qualitate irritatis ſpiritibus per ſuperiora rejiciuntur, nec ulla portio per inferiora deturbatur, quod inſeparabile & pathognomonicum ibi ſignum eſt, adſunt ventris tormina & cardiogmos, quibus ſi vomitus frequentia, vehemens diſtorſio, ſingultus, deſipientia, & convulſio conjungantur, lethale eſſe, docet *Hippocrates*. Curatu quoque facilior is pueris, funeſta in ſenibus affectio eſt. Monſtroſo igitur & peracuto morbo auxiliatrices Deorum manus admovendæ, & pro cauſarum diverſitate varia decernenda præſidia; Ergò ſi per obſtructionem præcipuè ad tantam inſolentiam pervenerit, ut ægros peſſimè fatiget, in tam præcipiti periculo, clyſteribus, glandibus, fotu, balneo & ſimilibus, irrito vanoque ſucceſſu uſurpatis, ad ea confugiendum eſt, quæ ſuo pondere, inſignique gra-

gravitate inteſtinorum cavitates ab infarctu liberent, & expediant, viqúe ſuâ naturam ad excernendum per inferiora ſtimulent, quæ cùm hydrargirus præſtare poſſit, ubi ratio ſuadet, & experientia (alterum judicandarum rerum certum criterium) comprobavit, nullatenus dubitandum, illud remedium experiri in ſimplici ſcilicet obſtructione, nedum habeat tumorem comitem, nec inflammatio, aut aliud mali moris ſymptoma adſit.

OBSERVATIO CXX.
D. JOHANNIS de MURALTO.
Hectices ſpecies.

JUvenis viginti tres annos natus temperamenti melancholici à parentibus valetudinariis exortus, variis animi pathematis ſine causâ afficiebatur, mœrores ſine ratione patiebatur, calores inſignes ſentiebat in regione lumborum, palpitationes in regione cordis, arteriarumqúe motus in variis locis, quandoque univerſum corpus calore extraneo perfundebatur, vertigo ſæpiùs infeſtabat, multùm comedebat, parùm dejiciebat, ita ut aliquando per plures dies excrementa non excernerentur, interim mente valebat uti & corporis robore, remediis infra ſcriptis meliùs habuit.

SCHOLIUM.

VItium gentilitium è ſeminibus parentum contractum ſucceſſu temporis affectu morboſo ſeſe prodidit, partes itaque à naturâ cauſariæ, dyſcratusqúe ſanguis non niſi acres ſpiritus cerebro dimittebant, unde malè moratis ſuccis perfuſum mentis domicilium anima concidebat, mœrore convellebatur, vertigoqúe malè afficiebat, palpitatio à ſucco crudiore, portiunculisqúe quibusdam craſſioribus, quibus ſanguis ceu particulis incongruis ſaturabatur, ortum ducebat,

per

per ventriculos enim cordis pertranſeuntes præ craſſitie minus rarefiebant, machinaque ideò cordis motus ſuos accelerabat, donec iteratis vicibus, quaſi ictibus ſæpiùs repetitis omnis craſſities omniſque durities infringeretur, & ad totius miſcelam, ſi quid priùs incongruum reduceretur, unde hæc materia extranea hoc opere eventilata inſigniter intra vaſa rarefiebat, exploſiones patrabat, unde & caloris ſenſus ingruebant arteriarumque motus conſequebatur, cordis niſus humoris incongrui renitentia colluctationem inducebant palpitationis parentem. Melancholici ſunt voraces præ dominio acidi, uti & inſignes ſputatores, ventris duritie tenentur non ſolùm à calore, qui abſumit humiditates, quibus inteſtina illinita excrementa faciliori negotio foràs deducunt, verùm & acceptam referunt motus periſtaltici ſegnitiei, nec quidem functiones tam expeditè obeunt ac bilioſi, unde & meticuloſi & incerti in operibus evadunt, quaſi decem animi in uno unà certarent, & ſicuti radiorum Solis jubar nubium mole infringitur, ſic & ipſorum mens anathymiaſum fœturâ, quâ pollent, obtunditur, alvinæ regionis pigrities ſaburram congerit, quâ ſursùm lati vapores, mens obſcuratur & à vero ſæpiùs abludit.

Sequens autem medendi cura inſtituta fuit, primò quidem injecto clyſmate ſanguinis miſſio inſtituta è brachio ad ℥viij. dieq; interpoſito ter alternis diebus ſequenti apozemate repurgatus eſt.

℞. Rad. Apii, Fœnicul. Petroſel. ãã. ℥j. Rad. Enul. Campan. Median. Fraxin. ãã. ℥ß. Folior. Cichor. Fumar. Ceterach. Meliſſ. Agrim. ãã. M. j. Summit. Aſparag. Lupul. ãã. Mß. Polyp. Quercin. contuſ. & Senn. mundat. ãã. ℥j. Rad. Hellebor. nigr. præparat. ℥ß. Agaric. recens trochiſcat. & Rad. Mechoac. ãã. ℨiij. Tartar. Vitriol. ℨij. Sem. Fœnicul. Petroſel. ãã. ℨj. Epithym. Flor. Calendul. & Violar. ãã. p. j. fiat decoct. pro 3. doſibus, addendo cuique Syrup. de Pomis Reg. Sabor. ℥j. miſc. fiat ex arte Apozema.

Poſteà ebibit duos Cyathos in die manè & ſerò per tres ſeptimanas infuſionis ſequentis:

℞. Chin. Chin. ſubtilit. pulverat. ℥ß. Sal. Armoniac. ʒj. Flor. Roſar. rubrar. p. ij. Granor. Juniper. conquaſſat. ʒiß. infund. per duos dies ſupra cineres calentes in duobus capitalibus Vin. rubell. & uno Aquæ fontanæ. Colatura ſervetur in Phialis benè obturatis capiatque Cyathum horâ ſeptimâ matutinâ, juſculum nonâ, & alterum Cyathum decimâ ante cubitum.

Sumpſitque immediatè poſt prandium craterem Caffè, paratum ex ſemicochleari Pulveris Caffè debitè toſti, injecti in aquæ bullientis in cucumâ aut ollâ ſtanno obducta ℥ix. aut x. ſubinde autem effervefacta ſupra carbones ne effundatur, ab igne amovenda & itendidem admovenda, illudque bis aut ter, dum leniter & per inclinationem infundatur in craterem, in quo injectum ſit priùs Sacchari paululùm, rejecto interim Pulvere in fundo ſuperſtite, nec continuâ ſerie ebibat, ſed ſorbillando & quantum poterat, calidè.

Intereà moderatum exercitium præſcriptum, uti & animi recreatio.

Potus ordinarius fuit decoctum Agrimoniæ cum modulo limaturæ chalybis incocto.

OBSERVATIO CXXI.

D. JOHANNIS de MURALTO.

Orthopnœa.

APud Nobiliſſimum Dominum N.N. Stuttgardiæ æſtate 1687. obſervavi, Orthopnœam tantam fuiſſe, ut non ſolùm in lecto erectus ſedere, ſed etiam ex lecto ſe proripere, atque totâ nocte in ſella erecto corpore permanere cogeretur. Illa tam diriter affligente, coſtas ad cla-

claviculas & ſcapulas cervicem verſus altè attollebat & pectus valdè dilatabat & brevibus intervallis magno labore vix tantum aëris intra pulmones admiſiſſe videbatur, quantum ad vitam ſeu tolerandam, ſeu conſervandam neceſſarium eſſet: tantum corpus non ſudore frigido diffluxit; extrema frigebant; facies livuit; cor valdè palpitavit, pulſus debilis & inæqualis evaſit: tuſſiit frequenter, plerumque ſine ſputi rejectione, & *quod excrevit ſpumeum & aqueum*, fuit & paucum reſpectu tuſſis vehementiæ. Plerumque veſperi ipſum invaſit: quando totâ nocte ipſum excruciavit, manè rurſus in lecto & quidem ſatis humili ſitu in alterutrum latus decumbere valuit, quamvis nec multum, nec coctum ſputum excreverit. Interdiu obambulare valuit & aliquando hortum Sereniſſimorum Ducum adiit; inter obambulandum observavi reſpirationem & imprimis in acclivium aſcenſu anheloſiorem debito. Quamvis interdiu reſpiratio liberior aliquoties eſſet, nihilominus noctu rediit. Quamprimùm *ſputum* craſſum, ſubflavum, aut virideſcens evaſit, promptiùs *illud ejecit*, & brevi Orthopnœa ceſſavit, ut rurſus itineri ſe *credere* auſus fuerit. Inter hanc ſputi ejectionem & vehementiam Orthopnœæ nulla proportio erat & longè minus ſputi rejecit, quàm in broncho ſolo quotidiè obſervatur, quem tamen nec Aſthma nec Orthopnœa, aut non niſi rariſſimè comitatur.

Ex his phænomenis hujus Orthopnœæ cauſas aliquot colligo eſſe: *quæ plenum aditum aëris ad veſiculas pulmonicas impediunt:*

I. eſt Effuſio ſeri copioſior intra bronchia pulmonum, nam vehementer tuſſit, diu fruſtrà: & tandem ſuccedit ſputum aqueum ſpumoſum, crudum; quando verò ſputum craſſius fit, ſeu ut volunt, coctum, promptius ejicitur & brevi Orthopnœa ceſſat, quod indicio eſt, nullum novum ſerum accedere & in bronchia effuſum à calore pulmonum inſpiſſatum fuiſſe: ſerum hoc in bronchia pulmonum effunditur non

 per

per glottidem, nam talis irruptio ſuffocationem intentaret, ut taceam influxum talem ab epiglottide, magno naturæ beneficio, impediri, ſed partim è glandulis bronchiorum irruit, partim per capillamenta arteriarum pulmonicarum infunditur: Per utramque harum partium ſerum in bronchia ſtillare, partim oculari demonſtratione, partim rationibus probare poſſem. Aër exſpiratus in vas vitreum capax brevi in aquam denſatur ex Obſ. Fabr. Barthcletti in Method. in dyſpn. & aſpera arteria preſſa foris, intus aqua tranſudat. Hæc effuſio ſeri fit, quando illud derepentè à maſſa ſanguinea ſeparatur, quam ſeparationem Carol. Piſo de Colluv. ſeroſ. deſpumationem vocat. Fit illa ob varias cauſas, quas hîc recenſere nolo, nec ſatis commodè poſſum, quia non certò mihi conſtant hujus ſymptomatis prodromi & προφάσεις; ad quas in poſterum præſens Dominus Medicus attendere, aut in illas inquirere poterit. Unicum hoc addo, manifeſtò apparere Nob. Dominum ſero abundare, nam habitus eſt obeſulus, color citrinus, corpus non valdè & quantum victus plenior requirit, ſatis exercet: unde ob levem occaſionem facilè ſecretio contingere poteſt: plura ejus rei exempla apud Piſon. occurrent l. c. quæ meritò expendenda ſunt.

II. Cauſa eſt convulſio bronchiorum, irritatis plexibus nerveis pectoralibus, unde ſe contrahunt fibrillæ nerveæ bronchiorum illaque anguſtiora fiunt nec aërem plenè intra veſiculas admittunt, nam Orthopnœa vehementior multò eſt quàm ſolet in broncho ſeu in vulgata defluxione ad pectus eſſe, in qua multò plus ſputi rejicitur, quàm in hac Orthopnœa, quamvis in broncho ſolo nunquam talis difficultas ſpiritûs animadvertatur: Id confirmant palpitatio cordis, pulſus inæqualis, extremorum frigus, faciei livor & ceſſatio nondum pleno ſputo rejecto, adeò ut rurſus humili ſitu in alterutrum latus decumbere & manè obambulare poſſit. *Malo autem convulſionem fibrillarum nervearum ſtatuere, quàm obſtructionem nervorum,* quum illa potiùs ſtuporem pulmonibus & bronchiis

chiis induceret ac propterea nec tuſſis tam moleſta eſſet: Certè rarò ſatis Orthopnœa in paralyſi, hemiplegia, imò nec in principio apoplexiæ obſervatur.

III. Cauſa videtur prævia diſpoſitio in pulmonibus; nam etiam extra paroxyſmum reſpiratio anheloſior obſervatur: qualis illa ſit, præſens Dominus Medicus cum otio inquirere poterit, attendendo ad principium, incrementum & declinationem paroxyſmi atque ad alia, quæ paroxyſmum præcedunt.

Ex his patet aliud agendum in paroxyſmo, aliud extra illum. In paroxyſmo tenſa laxanda, ſanguinis coagulatio præcavenda, aut maturè coagulatum diſſolvendum, ſputum craſſum ad expectorationem promovendum.

Prodeſſent ergò primùm Mixturæ ex Ol. Amygd. d. Sperm. Cet. Sacch. Cand.

2. Aq. Pector. quibus aliquid add. poſſet Gumm. Ammon. & ſi livor faciei & frigus extremorum diu perduraret Sp. Ammon. Aniſ. Sp. C. C. Auri horizont.

3. Antiepileptica cum Diaphoretico mixta manè & veſperi.

4. Si ſputum viſcidum, lentum, craſſum ægrè ſuccedat, lambere ſubindè poſſet de Oxym. Hellebor. Geſn. Syr. de Eryſim. Lob.

5. Noctu darem Theriac. Cœl. gr. iij. vel iiij. nec cum Lotichio abhorrerem ab Opiatis cautè datis.

Extra paroxyſmum ſerum ſubindè imminuendum, abſorbendum, diſpoſitio morboſa intra pectus emendanda quantum poſſibile: quod præſtant:

1. Decoct. Pector. Laxantia, add. Agar. & Manna: at nollem frequenter purgare, imprimis Aloëticis, Magiſt. Scammon. Gialapp. &c.

2. Venæſect. ſi ei aſſueverit, aliquid de ſero ſubtrahit: plus tamen tribuerem duobus fonticulis ſcilicet in utroque brachiorum.

3. Parari poſſent Pil. Diaphoreticæ ex Pulv. Diaphoret. Antiepil. Auri horizontal. quod apud nos in promptu habetur: Extract. pectoralibus.

4. Thermarum potus, tum multum ſeri ſubtraherent, tum obſtructa, legitimam ſeri excretionem impedientia, reſerarent feliciùs quàm acidulæ: quæ actuali frigore magis nocent quàm aciditate, ut ad fontes non ſemel obſervavi, ut illas calidè propinare aliquando cogeret.

Imprimis in & extra paroxyſmum accurata diæta commendanda.

SCHOLIUM.

HIc caſus, qui conſultandi cum D. D. Wepfero locum dedit, itidem & occaſionem, quâ in varias abiremus ſententias præbuit, quanquam non ſim, qui cujusvis placita convellere ſatagam, penèque mihi religio à tanto viro diſſentire, quia tamen quædam ſunt in ipſius opinione, quæ minùs noſtrum aſſenſum vindicabant, liceat hîc utramque ſententiam velut in bilance poſitam exactiùs trutinare.

Ipſe hujus phænomeni cauſam referebat in effuſionem ſeri copioſiorem intra bronchia pulmonum, quo conferti canales pulmonales aëris introitum ſibi præcludunt, & ex cujus inſpiſſati coctique rejectione Orthopnœa ceſſaret, illud autem ex præcipitatione in ſanguine factâ, quâ à glandulis & capillaribus vaſis arteriarum in bronchia ſtillaret, deducebat, ſed quia minor ſputi rejectio contingeret, quàm in Orthopnœa vulgari ex humorum defluxu productâ, majorque è contra difficultas ſpirandi in hac oriretur, quàm in vulgari aſſolet, in cauſa rationem motus contractionis in plexibus nerveis tum & ipſis fibris bronchiorum nerveis initos, quibus aëris introitus præpediretur, acciebat.

Quamvis autem hæc explicatio nobis ingenioſa videatur, & affabrè excogitata, quædam tamen quominùs per omnia conſentiam planè evincunt; 1. copioſiùs ſerum intra

bron-

bronchia deciduum, quod in rationem cauſæ materialis primùm adduxit, materiam ſpuitionis plusquam ſufficientem nixibus contractivis fibrarum nervearum ſuppeditaſſet, tamen ex relatione nulla erat proportio inter ſputi rejectionem & vehementiam Orthopnœæ, & longè minus ſputi rejiciebat, quàm in broncho ſolo quotidiè obſervatur. 2. Poſito ſeri depluvio confertim in bronchos irruente, ſufficiens aëri introitui impedimentum aderat, quo minùs niſus fibrarumq́ue contractiones in Orthopnœæ rationem accerſere neceſſum foret. 3. Quam invehit Orthopnœam ſeroſæ colluviei præcipitatio nec tam citò remittit, ut æger per noctem cruciatus, manè ab infarctu expeditus obambulet, liberumq́ue reciprocandi ſpiritus ſpatium conſequatur. 4. In Orthopnœâ, quæ à ſeri defluvio producitur ſanguinis miſſio inſigniter prodeſt, ſæpiùsque vel ſaltem repetita à paroxyſmo liberat, vix ſine febre ingruit, quorum neutrum in hac Orthopnœæ ſpecie, de qua agitur, contingit. 5. Uno verbo niſus & contractiones ſeri intra bronchos copiam elutriare foràsque propellere debebant, ſin minùs unum aut alterum duo vel tria ſputa rejecta fuerint, quod quotidiè aſſolet, ſuppoſititium ſeri depluvium gratisq́ue aſſertum videbitur; quòd ſi iſtud neceſſariò admittendum cenſuerit dimiſſis niſibus & contractionibus uti extra rem allegatis, totius phænomeni dilucidatio ex ſeri intra bronchos luxurie elicienda.

Cùm itaque hisce rationibus minùs inter ſe convenientibus non certa ſubſequatur ætiologia neque numeris omnibus abſoluta, clarioris explicationis affectuumq́ue diſcriminis gratiâ, hanc Orthopnœam ſeu aſthma convulſivum appellabimus ortum ex anomaliis ſpirituum, tum intra plexus nerveos pectori inſertos concitatis, tum & quandoque intra muſculos pectoris utriusque ordinis, uti & intra fibras nerveas, muſculares veſiculas pulmonares circumcingentes, extremorum frigus, pectoris dilatatio, faciei livor, cordis palpitatio, pulſus debilis & inæqualis, tuſſis frequens ſed inanis inordinatio-

nationes ſimulque & contentiones ſpirituum arguebant, fibrarum unius ordinis contractio alterius relaxationem inducit, dummodò æquilibrium parque robur adſit, quæ autem Antagoniſtarum vim ſuperant ipſisque enixè contranituntur, itidem & paſſus ſiſtunt ipſisque motui interdicunt, ita quæ obnixè contrahunt in pulmone diaſtolen impediunt, & vice versâ ſontes ſæpiùs crediderim in aſthmate convulſivo muſculos pectus expandentes, patientes interim præcordia quaſi ventis turgida percipiunt, ad dilatationis terminos aſſurgit pectus, tuſſiendi niſus auſpicantur ſed inanes, materiæ ſpaſmodicæ luxuries in pluribus hunc materiæ penum in has partes dimittit, qui ſubindè tragœdias excitet viresque promat prodatque, quamvis dilatatio & contractio pulmonum φύσει apprimè exprimant, non adeò tamen putandum, hosce motus utut contrarios ſibique oppoſitos aliâ ratione fieri, omnis ſiquidem motus per contractionem fibrarum carnearum inducitur, quod *Fallopius* inſigniſſimus Anatomicus clarè aſſeruit, obſervans enim in quovis muſculo partes geminas, alteram quidem, quæ muſculi corpus carnoſum continens, fibris carneis; & alteram, quæ fibris nerveis conſtat: atque ex his duabus corpus tantùm muſculi ſe ipſum movere & contrahere, chordam verò tantùm trahi, neque ſe ipſam movere, & contrahere; tandem concludit, nullam particulam in animali ſe ipſam movere, niſi fibroſa ſit ac carnem veram habeat, itaque pro variis partibus, quibus appenduntur muſculorum tendines, modò has aut illas corripiunt, per fibrarum carnearum intumeſcentiam muſculique abbreviationem, exteriores intercoſtales, qui fines ſuos imo cujusvis coſtæ radicatos habent dilatationis opus peragunt, cui pro re natâ perficiendæ & adaugendæ muſculi tres ſcapulares, & unus lumbaris ſuam & operam conferunt, uti & diaphragma, quod reciprocationis vices obiens fundum pectoris quavis diaſtole deprimens longiorem capacitatem efformat, quibus ſuccenturiati muſculi coſtarum interni, uti & ſacrolumbus & triangularis

gularis ac muſculi quidam abdominis reciprocationis munus obeunt, cui etiam operi ſua penſa conferunt fibræ carneæ muſculares veſiculas pulmonares ubique circumcingentes, plures autem partes ad expectorationem quàm ad inſpirationem accinguntur, eò quòd ſæpiùs noxia ut phlegma viſcidum, ſerum & alia incongrua altiùs impacta nonniſi magno niſu & labore foràs propelli queant, ita quidem ut quandoque nimis violentâ irritatione fibræ incitatæ ſpaſmos contrahant, actus ſuos pervertant aut ſuſpendant, quod contingit in tuſſi puerorum convulſivâ, in qua fluor catharralis in pectus ſenſibiliter decurrit, cùm autem in aſthmate, quo de nunc agitur, nihil huic ſimile contingat, nempe frequens adſit tum extra paroxyſmum ac in paroxyſmo tuſſis, quæ infantes corripiat, adſint & indubitata ſeroſæ pleonexiæ tecmeria, quæ non reperiuntur in iſto affectu, meritò ſuſpicamur convulſivos ſeu contractivos motus in ipſis muſculis diaſtolen perficientibus contigiſſe, eò quòd ſuos motus obnixè peragerent, nec ab Antagoniſtis ſe vinci paterentur.

OBSERVATIO CXXII.

D. JOH. CHRISTIANI MACKII.

Subitanea Tibiæ & totius Νέκρωσις.

SExagenarius quidam, Vir antiquâ virtute & fide, Dn. I. C. F. conſtitutionis ſanguineæ, εὔσαρκος καὶ γυμναστικός, laborioſus & durus, cui labores antelucani hauſtum vini aduſti primùm ſuaſerant, indies magis magiſque, imò totus tandem, in hujus amorem ruebat, ut exhauriret ſingulô manè vitrum poſt vitrum planèque adſueſceret bibere ſimul & ſcribere, potare & laborare, quod multos annos felix, vegetus & ſanus præſtiterat; ante obitum anno ſecundò incipit ſentire gravitatem corporis, appetitûs proſtrationem, dyſpnœam cum levi pedum tumore, quem ipſum à motu & labo-

laboribus, quos nocte dieque, & in nive & in unda, ocreatus ſufferret, credebat & inde deducebat vibices quaſi & ſugillationem, quam per ultimum annum circa umbilicum obſervârat. Cùm verò ipſe Medicus nonniſi propter Conjuges morbidas (quarum tertiam reliquit viduam) æſtimaret omniaque Medicamenta averſaretur, quippe qui per totam vitam nè unicum guſtaverat, ab uxore multis lachrymis & precibus vix movebatur, ut mihi, quæ pateretur, aperiret, ad quæ, quod olim prædixeram, regerebam, tertium nempe illud vini, præprimis aduſti, Bibonum flagellum, Hydropem, jamjam imminere, à quo meo prognoſtico, mitiorem ſperans ſententiam, ſecundum, tertium, quartum, imò alios plures Medicos appellat, qui omnes meam confirmârunt ſententiam; præter quod hic, vel ille certam facilemque curam juraret, licet mihi, qui ex ante malè-actis, nil niſi mala colligere poteram, erat manebatque ἀνέλπιστον. Poſtquam autem illius medicamentis fruſtrà eſſet uſus, illudque Plutarchi ingeminâſſet, τὸ φάρμακον σου τὴν νόσον μείζω ποιεῖ, ad me redit, eò magis dubium & juxta ultimum §§. Hippocratis planè de auxilio deſperantem. Tot enim Purgantia, tot Sudorifera, tot Elixiria nullaſque non Tincturas abſorbſerat, ut vel nomen Medicamenti ipſum exanimaret; interim pedes cum abdomine intumuerant, ſitis aderat ſatis oneroſa, reſpiratio difficilis, ut ſedens in lectò dormiret, & ex Vini ſpiritus amiciſſimo, factus hoſtis infenſiſſimus. Tandem ipſius curam ſuſcepi & illud Horſtianum Hydropicis poſt Purgationes recommendatum Medicamentum dedi, nempe Mag. Tart. Vitriol. ʒiß. Fecul. Bryon. ʒj. Sal. Card. ben. Geniſt. āā. ʒß. Magiſt. Corall. r. ℈ij. m. pro doſi ℈iß. Liquorem Potui ordinario infundendum ex Eſs. Lignor. ℥ij. Tinct. Fl. Papav. Rh. Extr. Abſ. āā. ʒvj. Sp. Tartar. Antiſc. n. ℈iiij. aperit. P. ℈ij. cum Electuario ex Conſ. r. Cichor. ℥ij. Fumar. Roſ. Vitriol. Borrag. āā. ℥j. condit. r. Cichor. Scorz. Citr. Cort. Carn. āā. ʒiij. Spec. Diatr. Sant. Diarhod. āā. ℈ij. Sp. Tart. Vitriolat. ℈j. m. c. Syr. Gran. quibus per ali-

quot

quot dies uſus, Equos mittit, ut citiſſimè advenirem. Sed, quod valdè mirabar, me venientem ipſe excipit in limine, ut quid ſibi velit peremptoria hæcce citatio, præprimis ubi de pedibus horumque ad motum ineptitudine querelarum faceret initium, hariolari non poteram, utque dum digitô mihi monſtraret in Suræ ſiniſtræ parte interna puſtulam nigram, magnitudine lentis, ſcintillæ inſtar vel guttulæ Sulphuris liquefacti (ita deſcribebat Patiens) urentem, cui proximè præteritâ nocte exurgenti Empl. de Sperm. Ran. impoſuerat; ad quæ omnia obſtupeſcebam & vox faucibus hærebat, mens enim mea, ſemper præſaga mali, jam τὸ σημεῖον φλαῦρον καὶ θανατῶδες videbat. Hæc enim erat ſcintilla deſuper vel de umbilico cadens & flammæ ἀθρόως erupturæ nuncia certiſſima, quicquid ipſe narrâſſet de umbilico, quod nempe Equo inſidens horam non unam multô eôque variô cibô potuque turgens dormiverit pronus & cum abdomine ephippii capitello incumbens. Imò

— — — — — — *propiusq́; periclo*
it timor & major damni jam apparet imago,

quam Conjugi exponebam, Chirurgum ut accerſerent, rogans, mandans: avolabat equo injectus ſervus inſtante tertiâ p.m. & intra horulam ad majoris fabæ magnitudinem lenticula illa nigra excreverat, quæ momento in momentum cum dolore augebatur & gangræna tibiam obruebat ita, ut circa octavam cum medicamentis accurrens Chirurgus, ipſam totam & ad manus latitudinem ſupra genu adinveniret ſphaceloſam. Per horas haſce quinque vel ſex, qui nondum unicam decubuerat, lectulo impoſitus Patiens intonabat ὀδυνῶμαι, ardeo exclamans, comburorque vivus! Per epithemata balſamica calida & interna bezoardica delinire ac demulcere dolorem vix, mortem verò retardare non poteramus: Sideratum enim hocce membrum deſidebat, diffluebat & ichorem cruentum, fœtidum longè latèque profundebat, quod ipſe videns & ſentiens, circa XII. noct. (hìc corporis mentiſque

robur miremur) ſellæ inſidebat, ad Sereniſſimum Saxoniæ Electorem conceptas duas ſupplices poſtulabat, propriâ ſubſcribebat, obſignabat & uxori gemebundæ, quam ſimul viduam declarabat, tradebat dicens; Sic eris dilectiſſima mea poſt mortem meam de Curatore certa & ipſe ego non dicar ingratus; in lectulum iterum delatus dextro lateri incumbens placidiſſimè dormire videbatur adſtantibus: Cum diluculo adveniens Confeſſionarius Animæ Curam devotus ſuſcipit, in qua & ipſe moribundus & adſtantes ſuum faciebant officium, preces lachrymis & lachrymas precibus miſcentes, inter quas circa X. ante m. animam efflabat ſuam meumque deſiderium interiora rimandi, nimium quantum inſufflans, quod tamen impetrare non potui.

[*Miſſa Vratislaviam ad D. D. Burgium Schneebergâ ult. Octobr. 1688.*]

OBSERVATIO CXXIII.
D. MICHAELIS FRIEDERICI LOCHNERI,
De
Mamma mentulata.

MEntulâ ex capite locupletavit Ephemerides Nat. Cur. Excell. Garmannus Ann. 3. Ephem. Dec. I. Obſ. 42. p. m. 71. aſt Mentula illa non ex Matris Imaginatione Fœtui alligata. Siſtimus verò ſubſequentibus lineolis mentulam quam Embryonis mammæ agglutinarunt matris venereæ cogitationes & imaginationes. Sed ad rem ipſam deſcendimus.

Rus profectus Vir Illuſtris (compedes hîc calamo injeci ne liberiori ſcriptitatione in Locum, Perſonas & Familiam obſervationis impingam, quæ omnia ignorantiæ & ſilentii peplô æternùm involuta cupio,) Conjugem gravidam reliquerat

rat Penelopen, non inter procos ut illa olim, ſed inter ſuſpiria abſentem Ulyſſem expectantem; quippe ſervati ſemper pudoris fuerat fœmina, fido fidiſſima.

Cùm ultra conſuetum tempus moram traheret, nec promiſſa reditus ut Ithacus quoque Princeps exſolveret, Veneremque caſtiſſimæ Coſtæ ſic longiusculè non recoleret, fame percita tandem expetit maritum. Cogitationibus ſic maritalibus immerſa, ut penè naufragium immineret, in lectulum pulvillis ventosè tumentibus plumâ delicatâ repletis ſeſe proſternit, certò aſſerens amare amari ſolas opes eſſe mortalibus.

Exoptat millies abſentem, moram increpat, amorem ejus in dubium vocat, mitia baſia columbatim expetit, portiunculam mariti, quâ maritus erat anxiè deſiderans, & cum illa apud Poëtam ingeminans;

— —Tu ſola meo
Frigus in æſtu, frigore flamma
Miſces gemino munere vitam.

Sic velle dederat Cupido, derelictæ noſtræ miſeræ, poſſe abnegaverat, ut non ſemper in veritatis trivió collocata ſit ſententia:

Quos Venus amavit fecit amoris compotes.

Sed irrita vota, fervida licet, cùm maritus nihilominus abeſſet. Impatiens tandem facta tangit gemipomas & fraterculantes vel ſororiantes (ut Plautinum jocum miſceam) mammas, carpit papillarum nitidas gemmulas geminas, tandem ſomni conjux facta, lumina claudit. Expergiſcitur & conſuetis muniis fungitur, venereô deſideriô cum ſomno evaneſcente.

Redux factus tandem, quem tot noctes cum viduâ turture compellaſſet, in gratiam redit, & partûs tempore inſtante, eam puella beat:

— — bella puella, candida
Quæ benè ſuperans lac & lilium
Albam ſimul roſam rubidam
Aut expolitum Ebur Indicum;

Venere, gratiisque omnibus obſtetricantibus prognata, ipſiſſima nempe formoſitatis Idea. Pectori ſolummodò circa mammarum quandam deformitas adnata erat mentula, ſi deforme corpus mentula nominanda, creſcentibus annis quoque cæteris cum partibus augmentum capiens, ſub veſtimentis tamen latitans, ideoque nullum pulchritudini hujus Veneris pariens incommodum, quippe quæ annis matura & viribus, maritales tandem cupedias, faceſque hymenæas experta eſt.

OBSERVATIO CXXIV.

D. MICHAELIS FRIEDERICI LOCHNERI,

De

Puero caudato.

PUer annorum octo (nomini & loco ob certas rationes parco) nec pinguiarius nec carnarius, ſed gracilis admodum, facieique Hippocraticæ, parentibus concomitantibus opem meam obnixè implorat. Sciſcitor morbum, heu! altum ſilentium! & pater & mater & gnatus mutus Hipparchion; quisq; eorum

Erubuit, ſtupuitque, omnes verecundia motus
Abſtulit.

Inſto interrogando, tandemque has ſilentii ſcaturigines pudorem intempeſtivum agnoſcere è parentibus comperio. Cum denique removiſſem hoc inutile obſtaculum, inſpectione opus eſſe aſſerunt. Subiit animum Tit. JCtorum de ventre inſpiciendo, aſt illam inſpectionem non efflagitabant quippe puerulus erat, ſed alium locum, cujus in titulo illo nulla men-

la mentio, evolvunt, remque altioris indaginis, infimi tamen ſubſellii eſſe referunt; remotis nempe Caligis peccantis pueritiæ bifolium Calendarium (ſic Barlæus ſtylo Grüteriano, ſalsè nimis nates pueri denominat) oſtentant. Viſui tunc propè Hedram ſe offert, excreſcentia oblonga, cylindrica rigiduscula, deorſum tamen intra clunes inflectenda, paululùm mobilis, doloris expers, longitudine digiti medii, craſſitie pollicis, ejusdem cum cute coloris, conſiſtentiæ introrſum verſus oſſeæ. Amputationem anxiè deſiderant, cum eam crumenimulga Lotio-Phyſica & faſtuoſa medicaſtra, (quarum in Noride noſtra tot reperibiles

— — *grues quot Stryonis unda*
Excipit - vel Phrygius Mæander olores)

ſuaſerit. Me renuente amputationemque iſtam diſſuadente cùm nihil exinde calamitatis, excepto incommodo ſeſſitationis, ſenſerit, læti parentes, ſtipulata priùs alti ſilentii fide cum Aſcaniolo caudato recedunt.

SCHOLIUM.

DE hominibus caudatis raræ ſic ſatis in Europâ noſtrâ obſervationes. Ingenioſiſſimo Harvæô de Generat. Animal. Exercit. V. p. 13. Chirurgus quidam, vir probus, illique familiaris ex Indiâ Orientali redux, bonâ fide narravit, in Inſulâ Borneo locis à mari remotioribus & montoſis naſci hodiè genus quoddam hominum caudatum (uti olim alibi accidiſſe, apud Pauſaniam legimus) è quibus ægrè captam virginem (ſunt enim Sylvicolæ) ipſe vidit, cum cauda carnoſa, craſsâ, ſpithamæ longitudine intra clunes reflexa, quâ anum & pudenda operiebat. His Borneenſibus aſſociandi Montani quoque Provinciæ Kelang aut Qvelang in Inſula Formoſa deformes incolæ, quorum caudæ calvæ aſſimilantur porcinis; quorum meminit Nob. Helbigius Ann. IX. & X. Dec. I. Obſ. 193. §. 10.

In noſtra Obſervatione (nil enim nunc nobis cum Satyris iſtis Fauniſq; Indicis) excreſcentia orta, ab oſſe coccygis extrorſum vergente cartilagineq; prolongata & adaucta. Simile huic Obſervationi exemplum contigit in filiolo D. D. P. Baſil. ceu hoc Amicus Hymettæo rore dulcior David *Z*ollicoferus M. D. & Sangallenſis Phyſicus bonâ fide quondam retulit; & in Belgio ſimile quid accidiſſe Teſtis Nob. Blancardus Collect. Med. Phyſ. oft Hollands Jaar Regiſter der Genees-en Natuurkundige Aanmerkingen van gantsch Europa. Part. II. Centur. VI. Obſerv. 62.

[Exhibitæ A. 1688. d. 10. Novembr.]

OBSERVATIO CXXV.
D. EBERHARDI GOCKELII.
Empyema, ex intermiſſa Paracenteſi, lethale.

ANno 1688. ſecunda feria Paſchatis, Murarius quidam triginta circiter annorum, in diverſorio quodam vino indulgebat, per oſtentationem vitra dentibus maſticans & comminuens, interque potandum cum aliis verba odioſa faciens, rixasque movens, tandem eò deventum eſt, ut pugnis acerrimè dimicarent, dictusque Murarius grandioribus verberibus exciperetur, pedibusque calcaretur, hinc non ſolùm aſthmate cum dolore lateris punctorio correptus eſt, ſed etiam ſanguinem per os & alvum copioſè egeſſit. Ego, poſt aliquot dies vocatus, venam medianam aperire curavi, ac ſequentia remedia ordinavi. ℞. Sperm. Ceti, Ocul. Cancr. præp. ãã. ʒß. Dent. Apr. præp. Mandibul. Luc. præp. ãã. ℈ß. Syr. d. Hyſſop. ℥ß. Aq. Card. Mar. Chærefol. ãã. ℥j. Miſc. f. potio unâ vice ſumenda: Præter hanc potiunculam, aliquoties etiam Pulveris ad Caſum Aug. ʒj. in brodio carnis deglu-

deglutivit. Poſteà, unâ alterave vice ſeq. Potionem laxativam bibit. ℞. Elect. lenitiv. Florenz. Diacathol. ãã. ʒiij. Cremor. Tart. Ocul. Cancr. præp. ãã. ℈j. Diagryd. corr. gran. v. Aq. Hyſſop. Scabioſ. ãã. ℥j Miſc. f. potio unâ vice haurienda. Pro potu ordinario tali Decocto uſus eſt. ℞. C. C. uſt. ʒvj. Hord. integr. ℥jß. Flor. Papav. err. Mß. Herb. Hyſſop. Agrimon. Capill. Ven. ãã. Pj. Spec. pro Decoct. pectoral. Flor. & Fr. ãã. ℥j. Sem. Aniſ. Fœnic. ãã. ʒß. Miſc. & conciſ. coq. in menſur. 2. Aq. font. ad tertias. Nec minus, ad materiam purulentam expectorandam, de ſeq. Aqua ſæpiùs unum alterumve cochleare aſſumſit. ℞. Aq. Hyſſop. Fl. Acac. Loch. San. Veronic. ãã. ℥j. Aſthmat. Rob. Antiphthiſ. Mynſ. ãã. ℥ß. Confort. Offic. perlat. ʒvj. Ocul. Cancr. præp. ℈j. Syr. de Hyſſop. ℥ß. Sacch. Cand. alb. ʒij. Miſc. Externè, Ung. pectorale & Dialth. cum Ol. Amygd. dulc. calidè fuit illitum, ac fomenta ex emollientibus & diſcutientibus applicata: His remediis dicto modo applicatis, præfatus Patiens aliqualiter melius habuit, ac rurſus in publico ambulavit, ſed paucis præterlapſis diebus ob maximum recurrens aſthma, viriumque imbecillitatem ſe rurſus in lectum recipere coactus fuit, cui requiſitus dixi, quod materia copioſiſſima extravaſata purulenta in cavitate pectoris contenta ſit, quæ (quia exſcreando rejici non poſſit) niſi per Paracenteſin via intercluſa aperiatur, funeſtus exitus expectandus videatur; quo audito, à dicta operatione valdè abhorruit, ſimulque hujus operationis permiſſionem recuſavit: hinc factum eſt, ut 22. die Maji, nocturno tempore vitam cum morte commutaret.

Sequenti die, ex juſſu ampliſſimi Magiſtratus, cadaver cultro anatomico apertum, & in cauſam mortis proximam fuit inquiſitum, quam ſectionem ego, & Chirurgus Reipubl. noſtræ Ord. Joh. Bartholomæus Heckingius ſequenti modo inſtituimus. Ante omnia abdomen fuit apertum, ubi ſingulari ſtudio ventriculum, inteſtina, hepar, lienem, renes, meſenterium, omentum, veſicam, &c. perluſtravimus, nec

ullam eorum læſionem, multò minus veſtigia in ventriculo ac inteſtinis vitri alicujus devorati (cujus rei ab adverſariis ſuis inculparetur) deprehendimus: Poſteà verò venter medius, cavitasque pectoris fuit aperta, quam, præſertim verſus dextram partem, copioſiſſima materia acri ac purulenta, usque ad diaphragma tendente, repletum invenimus, illamque ſpongiis ac vaſculis exhauſimus. Hoc facto, non ſolùm pleuram, ſed etiam totum pericardium circumcirca corroſum, lobumque pulmonum dextrum (cujus ſubſtantia ſecundùm diligentiſſimam Neotericorum Anatomicorum perſcrutationem ac inveſtigationem, ex innumeris veſiculis, ſpiritu vivifico vitalique turgidis, inflatis, ac repletis, inſtar retis, mirificè & artificioſiſſimè contexti ac connexi, compoſita eſt) ita flaccidum, tabidum, atque collapſum vidimus, ut nil niſi exigua reſidua ſubſtantia membranacea, cum aliquot vaſis adhuc reſtare, reliquam verò ſubſtantiæ partem corroſam ac conſumptam eſſe, videbatur. Ex quibus recenſitis liquet, dictum Patientem non ſolùm ob copioſam materiam purulentam, in cavitate pectoris contentam, ſed & ob rejectionis impoſſibilitatem, & Paracenteſis intermiſſionem nullum exitum habentem, & hinc inſecutam corroſionem & corruptionem dictarum partium, ſed præcipuè etiam propter dictarum veſicularum, pulmonis ſubſtantiam conſtituentium ſubſidentiam & flacciditatem, ac conſequenter inſpirationis ac exſpirationis defectum, liberæque reſpirationis impedimentum, atque fruſtrationem, mortis aleam ſubiiſſe, mundoq; huic valedixiſſe.

OBSER-

OBSERVATIO CXXVI.
D. EBERHARDI GOCKELII.
Cephalalgia bimeſtris, accedente auris dextræ intolerabili dolore, poſt ruptum abſceſſum evaneſcens.

ANno 1688. menſe Septembri, Matrona quædam antiqua generis nobilitate illuſtris, annorum 25. ſtaturæ mediæ, habitus corporis mediocris, temperamenti ſanguinei, adhuc gravida, circa medium geſtationis tempus febre intermittente laborans, ſed legitimis remediorum præſidiis reſtituta, poſt enixum optimo ſucceſſu fœtum maſculini generis jucundiſſimum, ſpem poſteritatis dulciſſimam, vaporibus uterinis, cor atque caput petentibus, infeſtata fuit, quos diverſis rebus fœtidis anxiæ ſollicitæque conſanguineæ, nec non clinicæ mulierculæ diſcutere tentârunt, â quorum ſuſcepto fœtore & repletione cerebri dicta Patiens gravitatem capitis cum ſubſequentibus maximis doloribus ſenſit, ita, ut Medici conſilium & auxilium expoſcere non dubitârit. Ego vocatus, primis à puerperio diebus, urgens ante omnia ſymptoma, acutiſſimum videlicet capitis dolorem per convenientia remedia, ſi non ſtatim radicitùs tollere, eundem tamen ad minimum oblenire, attentavi, quapropter emulſionem ex quatuor Seminib. frigid. Sem. Papav. alb. Amygdal. dulcib. excorticatis, cum Aq. Lactucæ & Nympheæ, intermixtis Pulveribus Corallor. & Smaragd. præparatam; quin etiam Ol. Papav. alb. vertici capitis ac temporibus illinendum, præſcripſi, quibus parùm proficientibus, ſequentia remedia ordinavi. ℞. Aq. confort. Offic. perlat. ℥ij. Meliſs. ſimpl. Ceraſ. nigr. Epilept. Lang. ãã. ℥ß. Margarit. præpar. Corall. rubr. præp. ãã. gr. xv. Lap. Bezor. gr. v. Laudan. Op. ſimpl. gran. iij. Man. Chr. perlat. ʒij. M. de qua ſæpiùs

 unum

unum cochleare aſſumat. Et, ℞. Theriac. Cœl. gr. iij. Extr. Laudan. Op. inc. gr. j. Miſc. f. cum Aq. Ceraſ. nigr. Pillul. obauratæ num. 4. ſub horam decubitus unâ vice deglutiendæ. Externè, fronti ac temporibus Emplaſtr. hypnoticum Mynſ. fuit applicatum. A quorum remediorum uſu melius habuit, ſimul ac intenſus capitis dolor remiſit. Cum autem abſoluto puerperii tempore præfatus capitis dolor recrudeſceret, ad eundem compeſcendum atque radicitùs tollendum potio laxativa de Extr. Rhabarb. Crem. Tart. & paucis Diagryd. granis cum Aq. appropriata & deinceps Pillulæ Cephalicæ de Extr. Panchym. Croll. Extr. Pill. aur. & cochi. paratæ, nec non Pileolus ex Florib. Roſar. Nymph. Herb. Beton. Succino, Sem. Papav. alb. Sem. Cannab. &c. compoſitus, ac Electuarium Cephalicum de Conſerv. Roſ. rub. Confect. Alk. inc. Corall. rubr. Diacod. & Syrup. Papav. &c. ſæpiùs Avellanæ quantitate ſumendum, cum prædicto Emplaſtro hypnot. Mynſ. & ſacculo Baccis Juniperi repleto, verticique capitis ſuperpoſito, aliaque hujus generis remedia applicata fuerunt, à quorum uſu & applicatione dolor quidem remiſit, ſed non totaliter evanuit, accedente ad ſomnum propenſione palpebrarum depreſſione, & quaſi unius alteriusve oculi per vices luſcioſitate. Tandem poſt duos menſes dolor auris dextræ punctorius, acutisſimus, ac fermè intolerabilis acceſſit, ad quem tollendum, mixtura ſeq. cavitati auris dolenti cum goſſypio calidè fuit adhibita, ℞. Pulv. Opii gr. iij. Caſtor. Croc. āā. gr. jß. Ol. Amygd. dulc. ℥ij. M. Quocirca etiam auris quadruplicatis linteolis calidis, ſpleniorum inſtar, munita, ac Pillular. Theriacal. cœleſt. gr. iij. cum gran. j. Laudan. Op. fuit repetitus, his autem non ſufficientibus, ac tumore auris vicinarumque partium prodeunte, Cataplaſma ex herbis & radicibus emollientibus, nec non Seminibus Lini & Fœnugr. cum lacte & cochleari uno vel altero Ol. Roſar. coctum, ſæpiùsque illa ipſa die auri dolenti fuit applicatum, quo facto, hora quarta veſpertina, abſceſſu in cavitate capitis rupto, & materia purulenta

per

per dictam aurem copiosè effuſa, dolor omnis ceſſavit, atque Patiens per DEI gratiam priſtinæ ſanitati reſtituta fuit.

OBSERVATIO CXXVII.

D. EBERHARDI GOCKELII.

Fœtus monſtroſus cum ſuperiori maxilla & labio in utroque latere fiſſo.

PRæteritâ æſtate hujus anni 1688. menſe Junio, militis cujusdam conjux fœtum fœminini ſexûs in lucem edidit, cujus labium ſuperius cum maxilla in utròque latere, & quidam in illo loco, ubi aliàs canini dentes erumpere ſolent, fiſſum leporinumque cernebatur. Ego, cum Chirurgo Reip. Ord. Joh. Barth. Heckingio rogatus, dictam infantem inſpexi, ac non ſolùm labium ſuperius in utroque latere, ſed etiam ſimul maxillam ipſam cum labio fiſſam, ac in anteriori & media inter ambas fiſſuras parte, proceſſum ſuperioris maxillæ cum labio firmiter coalito deprehendi, ac inſuper in palati anteriori parte duo foraminula juxta ſe poſita, ſurſumque tendentia, & in cavitatem narium penetrantia, ſtyloque exploratorio pervia, obſervavi; per quæ foramina pulmentum, præſertim verò potulenta, niſi ori altius ingerebantur, ad nares aſcenderunt, & per illas effluxerunt, ac procul dubio, ſi hæc foramina in penitiori palati loco infixa fuiſſent, dicta fœmella omnia per nares rejeciſſet, & ſic fame periiſſet. Impoſſibile etiam fuiſſet, ob dicti anterioris proceſſus maxillæ cum labio firmiſſimam coaleſcentiam, atq; oſſis maxillæ ſuperioris, labiiq; in utroq; latere fiſſuram, manu Chirurgicâ, inciſione videlicet ac ſuturâ, os maxillæ ac labium disjunctum unire, ſicque malum vel corrigere vel penitùs tollere. Quæ monſtroſa labii ac maxillæ conſtitutio dictam prolem turpiter ac miſerrimè deformavit. Bimeſtris autem fa-

ĉta, commiſerante DEO, ex ſuperveniente morbo, vitam cum morte mutavit.

OBSERVATIO CXXVIII. D. EBERHARDI GOCKELII.

Aſthma periodicum, ſuffocationem minitans, optimo ſucceſſu curatum.

ANno 1687. menſe Julio, Presbyter quidam ex ſuperiori Ordine Imperialis cujusdam Monaſterii, adhucdum juvenis, temperamenti melancholici, ſtaturæ mediæ, habitus corporis tenuis, de magno aſthmate periodico, nocturno præſertim tempore accedente & ingraveſcente, conqueſtus eſt, cujus acceſſiones ante annum multò graviores fuiſſe aſſerebat, dum ſæpenumero veniente paroxyſmo, concomitantibus ſiniſtri lateris dolore intenſiſſimo, etiam tactui obvio, eumque non admittente, nec non capitis dolore peracuto, pulſu debili, cordisque palpitatione, non aliter putârit, ac ſi cor forcipe comprimeretur; Ad hæc, tumultuantes flatuum borborygmi, ſæpiùs per dimidiam horam non ſolùm cavitatem ventris, ſed etiam totum corpus cum murmure ac ſonitu permearunt, & usque ad ſcapulam ſiniſtram cum dolore punctorio, ac ſi cultri cuſpis infigeretur, penetrârunt. Jam verò mitioribus factis iſtiusmodi incommoditatibus, quoties dictum aſthma nocturno tempore cubantem in lecto, & quidem cum membrorum laſſitudine, maximâ anxietate & triſtitiâ, quin etiam capitis dolore & ſudore, afficit ac infeſtat, Dominus Patiens confeſtim è lecto ſurgere, ac apertâ feneſtrâ per aſſlantem aërem externum ambientem liberam reſpirationem procurare cogitur, ut ſic ſuffocationis periculum effugiat. Ad hunc igitur affectum à malo hypochondriaco & flatibus provenientem, curandum, vocatus ac rogatus, ſequentia remedia præſcripſi. ℞. Herb. Abſinth.

ſinth. Pont. Card. bened. Hyſſop. Veron. Capill. Ven. Scolopend. Meliſſ. ãã. Pj. Rad. Helen. Scill. præp. Calam. Arom. Caryophyllat. ãã. ʒij. Pimpinell. Ireos Florent. ãã. ʒj. Rhab. ver. ʒiij. Fol. Senn. el. ſ. ſt. ʒvj. Agar. Troch. Turpeth. el. Jalapp. Polypod. qu. ãã. ʒij. Cinnam. opt. ʒj. Macis ℈j. Crem. Tart. ʒij. Aniſ. Fœnic. ãã. ʒß. Miſc. & conciſ. f. cum Syndon. nodulus, cum Vin. alb. ℔v. infundendus, de quo ſingulis diebus manè jejuno ſtomacho ℥v. vel vj. bibat. Hoc Vino abſoluto, per tres ſeptimanas ſero lactis caprini uſus eſt. Hinc, ℞. Sal. Tart. volat. ℈ß. Ocul. Cancr. præp. gr. v. Miſc. & d. hoc modo doſ. 4. ad vitra, de quibus ſingulis diebus, duabus vel tribus horis ante prandium, unâ in brodio carnis aſſumatur. Et ℞. Spir. Armoniac. Chalybeat. ʒjß. Eſſent. Ambr. ʒß. Tinct. Arant. ℈j. M. de qua mixtura M. & V. gutt. xij. vel xv. in aqua ſeq. pectorali aſſumat. ℞. Aq. Ceraſ. nigr. Hyſſop. Veron. Fl. Acac. Aſthmat. D. R. ãã. ℥j. Eſſent. Sacch. ſimpl. Spir. Aniſ. ãã. ʒij. Sacch. Cand. alb. ℥ß. M. Externè, ſiniſtrum hypochondrium, & regionem lienis tali Oleo calidè inunxit. ℞. Ol. Chamomill. d. Capparib. ãã. ʒvj. M. d. ad fictile.

Quibus ita uſurpatis aſſumptisque remediis, obſervatâque bonâ Diætâ, commemoratus Dn. Patiens, aſſiſtente Divino Numine, & cooperante benignâ matre naturâ, à dicto affectu liberatus fuit.

OBSERVATIO CXXIX.

D. EBERHARDI GOCKELII,

Dolor hypochondrii ſiniſtri periodicus, feliciter curatus.

ANno 1687. Prænobiliſſima quædam Virgo, annorum circiter octodecim, appropinquantibus præſertim menſibus, iisdemque parcè fluentibus, in ſiniſtro hypochon-

pochondrio, ſub coſtis ſpuriis, circa regionem lienis, dubio procul ob vaſorum atq; venarum obſtructionem, ac proinde circulationis ſanguinis aliquale impedimentum, maximos dolores periodicos perpeſſa eſt, ita, ut ſæpiùs ex improviſo inter prandendum & cœnandum, atque inter alia negotia domeſtica correpta, ſtatim ſe in lectum recipere ibidemque affixa dolorum ferocientium impetum patienti animo ferre, coacta fuerit. Cui, ad hoc malum tollendum, ſequentia remedia præſcripſi. ℞. Herb. Agrimon. Scolopendr. Capill. Vener. Abſinth. Card. ben. Cent. min. Veron. Meliſſ. āā. P. j. Rad. V. Aper. maj. āā. ʒj. Helen. Caryophyllat. āā. ʒij. Rhab. el. ʒiij. Fol. Senn. el. ſ. ſt. ℥vj. Agar. Troch. Jalapp. Polypod. qu. āā, ʒij. Cinnam. ʒj. Macis ℈j. Crem. Tart. ℥ß. Sem. Aniſ. Fœnic. āā. ʒß. M. f. cum Synd. nodulus in Vini albi ℔iij. macerandus, de quo ſingulo manè jejuno ſtomacho ℥v. vel vj. calidè bibantur. Hoc jam abſoluto. ℞. Sal. Tartari volat. Sal. C. C. volatil. āā. gr. iij. Ocul. Cancr. præp. gr. iiij. M. d. ad vitr. benè clauſum, & hoc modo tres doſes, quarum una duabus horis ante cibum in brodio carnis ſumatur. Et, ℞. Elix. Propr. Paracelſ. Spir. Armoniac. Chalybeat. āā. ℈ij. M. d. ad vitr. de qua mixtura M. & V. guttæ xij. vel xv. in brodio carnis, vel Aqua Meliſſæ, aſſumantur. A quorum uſu dicti dolores evanuerunt, ita, ut præfata Patiens in hanc usque diem ab iis libera ſit, atq; Divina favente gratiâ priſtinam ſuam bonam valetudinem recuperârit.

[*Miſſa d. 28. Nov. 1688. Ulmâ Norib. ad Hermet. II.*]

OBSER-

OBSERVATIO CXXX.
D. JOHANNIS DOLÆI.
Puerulus quatuor annorum calculo afflictus.

JOhannes N. Mercator Monſpelienſis, filiolum quatuor annos natum Iſchuriâ laborantem habens, Medicos advocavit, qui cauſam morbi in veſicâ recumbere augurati ſunt ex eo, quòd puerulus nullum in lumborum regione dolorem perſentiſceret, perpetuum adeſſet urinam excernendi deſiderium, tumorque circa veſicam appareret. Sed quùm neuter ex pueruli parentibus, nullusque ex ipſius avis calculo unquam afflictatus fuiſſet; dubitatum eſt, utrum urethra à calculo occluderetur, an à materiâ craſsâ & viſcidâ: quare omnes in eâ fuerunt ſententiâ, catheterem in veſicam eſſe immittendum, ut certò pateret cauſa urinæ ductûs obſtructionem inducens; & ad craſtinum diem dilata fuit operatio. Sed per illud temporis ſpatium cauſa ſe ipſam manifeſtavit, calculusque ad mediam usque urethram protruſus fuit. Rurſus ergò accerſiti Medici occupatam à lapillo videntes urethram, nec eam ullo pacto ipſo liberari poſſe, ſive lapillum per balanum educendo, ſive eum in veſicam repellendo; quum neutrum penes ipſos eſſet, nec ſine ægri periculo tentari valeret; urinæ ductum aperiri juſſerunt ſub calculo; quod feliciſſimè ceſſit, eductusque fuit lapillus nuclei pinei craſſitie; vulnusque deinceps curatum, & perfectè conſolidatum fuit.

OBSERVATIO CXXXI.
D. JOHANNIS DOLÆI.
Abſorbentia alvum quandoque laxant.

ABſorbentia purgantium vim quandoque induunt, quod quinquies in ægrotis noſtris per præſentis hyemis decurſum videre contigit. Ægri enim, quibus diaphoreticas & abſorbentes mixturas propinabam, craſtinâ ab uſurpato medicamento die apud me conquerebantur præterlapsâ nocte ſe quater quinquiesve ſolutos fuiſſe; cujus phænomeni cauſam ſtatim non perpendens, unde orta fuerit talis diarrhœa mirabar, quæ eâdem nocte ortum & finem nacta fuerit, præſertim cum certò ſcirem ægrotos nullis uti alimentis, quæ illam excitare potuiſſent. Sed re attentiori animo penſitatâ, mirari deſii; poſtquam conſideraveram in febribus acida dominari. Tunc ſiquidem ſucci omnes à ſanguine ſeparati acidis abundant, Alkaliaque in iis ſunt depreſſa; Sulphura in iis ſuccis contenta ab acidis coagulantur, anguſtioresque tubulos obſtruunt. Bilis itaque, ſuccus pancreaticus, & ſuccus glanduloſus, in inteſtina excerni ſolita, in ductibus ſuis moram faciunt, parciusque emittuntur; unde rarò in febribus laxatur alvus. Sed ſi propinentur abſorbentia, quæ acida Sulphura coagulantia & Alkalica impr ægnantia poris ſuis excipiant; Sulphura ab Alkalicis ſui juris factis diſſolvuntur, priſtinoque motu cum aliis ſuccorum elementis remiſcentur; iisque à tubulorum parietibus, quibus anteà adhæreſcebant, ſeparatis, liber patet per ductum exitus ſucco remoranti & congeſto, cujus fluxus eousq; durat, donec is univerſus, qui ſtagnabat, evacuatus fuerit.

[*Caſſellis 1. Decembr. 1688. Norib. miſſæ.*]

OBSERVATIO CXXXII.
D. JOH. CONRADI BRUNNERI,
De
Experimentis circa Pancreas novis confirmatis.

ETſi experimentis luculentis negotium jam olim confeciſſe, & ingenioſam quorundam de *Uſu Pancreatis* ſententiam ſatis ſuperque refutâſſe, probabilemque aliam, eamque experientiæ & veritati magis conſentaneam inde elicuiſſe videri poteram; dantur tamen & qui de experimentorum meorum certitudine dubitant, & qui decantatam *bilis cum ſucco pancreatico efferveſcentiam* ſubinde in ſuis ſcriptis crepant, & à carie revocant. Multa laudabiliter inventa tempore interciderunt iterum, ſeu minùs culta à poſteris, ſeu ſtudio & operâ aliorum ſepulta & oblivioni tradita, quæ tamen nôſſe magni referret. Ne eadem fata experirentur, quæ olim magno ſtudio exantlavi circa pancreas experimenta, néve veritas, quam eniti conabar, in ipſo ortu iterum occideret, laboranti manûs porrigere & dicta experimenta novis ſuffulcire mearum partium eſſe exiſtimavi, ne penderent animis diutius alii, aut ego verba dediſſe & publico impoſuiſſe viderer; eòque magis, quòd neminem novi, qui eadem & cum ſucceſſu imitando me à falſitatis (quam impingere mihi conati fuerunt nonnulli) ſuſpicione vindicârit, & rem extra omnem dubitationis aleam, etiam apud alios collocârit, quod tamen ſequens experimentum haut obſcurè præſtiturum confido:

Die VI. Octobr. cIↃ IↃc LXXXV. moloſſum aptè ligavi & ſupra menſam ita compoſui, ut dextrum hypochondrium commodè occurreret ſecanti. Reſectis ſorfice pilis, cultrum juxta limbum coſtarum notharum adegi fortiter, & vulnus

congruæ magnitudinis excitavi. E patefacto ita abdomine pancreas auſpicatò emicuit, quod dextrè prehenſum digitis per vulnus prolicui, & in apricum produxi floridum atque prolixum: quod dum præſtiti, diligenter cavi, aliorum miniſterio, ne ventriculus aut inteſtina prorumperent, graviori utique patientis noxâ. Partem inferiorem pancreatis omento undique annexam ſeparavi, & arteriæ ramum, ejus extremitatem ſubeuntem filo conſtrictum abſcidi. In ductum eo loci, quo in inteſtinum penetrat inquiſivi, & in ſuperiorem ejus ramum primò incidi, mox utriusque conjunctionem aſſecutus, vulnusculum inflixi, & adaptato tubulo flatum immiſi ita, ut partim in inteſtina meârit, partim remeârit, & per ductum inferiorem evaſerit eo loci, ubi arteria detruncata fuit; id quod ex bullis, quas excitavit & ſtridore perſpicuum fuit. Quæ quidem omnia notavi tantò diligentius, quantò magis omnem erroris ſuſpicionem à me amoliri ſatagebam. Abhinc ductum propè exitum arctè ligavi, ſuperioremq; primo ejus ramum detruncavi & ablatâ portione decurtavi ſtudiô, nec deinceps excuſſo, quod aliàs contigit vinculo iterum coaleſcere poſſet: modò inferiorem quoque, intuentibus & rem quaſi oculis uſurpantibus, qui manûs mihi commodârunt Chirurgis, unà cum ſubſtantia pancreatis (unde ſecundarius lateralis & exilis ductus ad meatum bilis ducit, vide Icon. lit. k. k. k. k.) id quod in aliis quoque experimentis obſervavi, quorum tertium ruminâſſe juvabit. Partem ſuperiorem pancreatis reſcindere tum inteſtini cum eo coalitus, tum vaſorum ſanguiferorum frequentia, tum locus ubi reconditur remotior, quàm ut cultro attingi queat, vetant; nec opus eſt. Ratus igitur omne pancreati cum inteſtinis commercium ademptum & commeatûs viam intercluſam eſſe partes ſaucias adipe porcino liquefacto calidè perfuſas unxi, & abdomini reddidi, quantum quidem potui delicatiſſimè: vulnus ritè conſui, & eodem unguine perfudi: canem tandem vinculis ſolutum miſſum feci.

Per-

Peracto experimento medelam ſaucius ſibi allaturus vulnus lambit ſedulò; mox ſeſe per domûs portam, quam vidit apertam proripuit & aufugit; oberravit per bihorium & viſui ſe ſubduxit. Partem pancreatis abſciſſam intereà luſtravi: ſeptem pollices longa erat & unum lata cum dimidio. Ductum detexi & argento vivo implevi, pollinxi, & inter Curioſa repoſui. Miſſi qui fugitivum quærerent & domum reducerent, obſervârunt in platea magna contentione ſcybala dura, globoſa & compacta excreviſſe, unde omentum juxta ſuturas vulneris prorupit; quod refrigeratum filo conſtrinxi & commodè reſecui, vulneri autem meliùs proſpexi. Totâ die bellè ſeſe habuit, veſperi autem vomuit nigricantia aliis ventriculi contentis permixta.

Die VII. Octobris in aream domûs procurrit, urinam redditurus, & inſignem terræ tractum inundavit: redux lac aquâ temperatum comedit: adipe porcino vulnus manè ac veſperi calidè perfudi, & reliquam curam, de diæta ſolicitus, cani commiſi. Circa tertiam pomeridianam vomuit bilioſa: noctu nihil comedit: nexûs aliquot vulneris pro effluvio puris ſolvi.

Die VIII. Octobris vulnus curioſè deligavi & nihil omiſi eorum, quæ ad experimenti ſucceſſum facerent: nihil ciborum admiſit, ſed ſitibundus bibit aquam: vomuit liquida flaventia: veſperi nonnihil juſculi ſorbillavit.

Die IX. Octobris manè ſatis compoſitum inveni; ſcybala compacta duriſſima, muco tenaci incruſtata magnâ vi & contentione excrevit: appetitus gliſcebat, juſculum carnis frigidum, (calida enim plerumque averſantur) abhinc pulticulam ex lacte & farina, quales tenellulis noſtris in cunis offerimus, comedit; noctu eſuriit & cibum ſollicitavit; conceſſi viſcerum vitulinorum coctorum, & potus quantum ſat erat; ſic probè paſtus quievit.

Die X. Octobris perbellè ſeſe habuit, famelicus cibum ſolli-

licitavit, vulnus elegans, & omnes ſecundi ſucceſsûs notas præ ſe tulit.

Die XI. ſanus aufugit, & ad herum ſuum rediit: miratus is vulnus horrendum, peſſimè mihi imprecatus eſt: canem cùm per alium popoſci, ſeſe carnifici, ſi interfectum vellet, non Medico traditurum reſpondit. *Per dimidium abhinc annum & quod excurrit domûs cuſtos fuit ſtrenuus, fortis atque robuſtus, curſu ſaltuq; velox, idem, qui pridem, nec quicquam mutatus ab illo.*

Tandem verò, ne experimenti jacturam facerem, & interiora perluſtrandi voluptate privarer, omni arte & ingenio annixus fui, ut cane potirer; caniculâ proin, cujus amore libidinoſus incenſus flagravit pellectum furtim mecum domum abduxi, philoſophiæ experimentali immolandum.

Canis pancreate ſpoliati anatome.

Die XII. Maji cIↃ IↃc LXXXVI. canem denuò produxi, quem niſi per experimenta interire nefas omninò duxi. Poſtquam aptè hunc ligavi atque in menſa commodè compoſui, opitulantibus aliis, horâ decimâ matutinâ venam cruralem detexi, & inflicto vulnusculo per tubulum vitreum Tartari emetici, aquâ ſoluti grana vj. infudi (nonnihil tamen ſoluti in tubulo frigore iterum concrevit.) Horâ undecimâ languere cœpit & ægreſcere; poſt duodecimam bilioſa vomitu rejecta in conclavi, cui incluſus erat inveni: poſteà vigor corporis rediit.

Horâ abhinc tertiâ alio experimento canem exercui: Tubulum æneum in venam cruralem denuò inſerui, & eousque inflavi, dum jam in præcordiis murmur flatuum audiretur, & canis concitatiùs, mox anhelosè & inæqualiter reſpirârit: Ligatâ crurali tubulum exemi & canem dimiſi: ſtatim abhinc tentis mirum in modum artubus tetano correptus, & revulſo oris rictu, exſertâque linguâ concitatiſſimè, inſtar canis curſu defa-

defatigati reſpiravit; humi proſtratus clauſis oculis diem ſuum obire videbatur: brevî abhinc oculos movit & ſenſim ad ſeſe rediit, ſurrexit & obambulavit languidè. Per horæ dimidium dedi inducias, & ſtudiô, quô in anatome appareret, utrum unà cum ſanguine & lympha in alia vaſa mearet flatus & in circulum moveretur, nec ne. Adaptavi abhinc denuò tubulum, & tamdiu inſpiravi, donec ſtrepitus in præcordiis & inſigne flatuum murmur audiretur, ipſe autem profusâ urinâ & excretis alvi fecibus exſpirâric. Patefacto abdomine ventriculos & inteſtina rubicunda, & hæc mirè corrugata & conſtricta apparuerunt. Jecur ſplendidè rubeſcens; omnes autem infimi ventris partes ſanguine ſuffuſæ fuerunt. Venæ flatu turſerunt undique. Vaſa lymphatica humore rubicundo plena, vix ac ne vix quidem niſi ab attento & perito à venis diſtingui poterant; nihil autem flatuum nec in vaſis lymphæ, nec receptaculo inventum fuit. Cor & inprimis dexter ejus thalamus cum vena cava turgidiſſimum remoto ſterno, & pulmones ſplendidè rubentes apparuerunt. Perluſtratis his oculos ad ſe rapuit, & rapuit meritò experimenti ſucceſſus, cujus gratiâ cætera acciderunt. Omentum cicatrici & hepar contiguo duodeno annexum fuit. *Pars inferior pancreatis, quam caudam ejus appellare liceat, planè defuit,* vide lit. c. c. c. c. *quippe reſectus olim: ſuperior autem emarcuit & exaruit, nonniſi* (quod mirum) *medium digitum longa, vix minimum ſeu auricularem lata, & calamum meum, quo hæc exaro craſſa;* lit. d. d. d. d. *cæterùm indurata & grandinoſa,* ceu olim quoque in experimentorum meorum tertio annotavi. *Oſculum ductûs pancreatici ſtylum ex inteſtino ad transverſi digiti diſtantiam admiſit* lit. f. (ſcilicet ante ligaturam in experimento olim factam, ubi ſani nonnihil nucis juglandis magnitudine ſuperfuit: lit. e. e. e. e.) *ulterius nec ſtylum nec flatum adigere potui. Ductum inveſtigavi in arido, ſeu potiùs pancreatis cadavere; cæcum autem inveni, induratum, ſolito craſſiorem & impervium,* lit. g. g. g. g. *præſertim eo in loco, ubi ligatura olim*

facta

facta fuit; callus etenim firmiſſimus ibidem ferrum penè eluſit lit. h. Singula hæc quùm monſtrari meliùs quàm deſcribi queant, rem omnem icone ante oculos poſuiſſe juvabit.

In ventriculo præter liquamen felleum, quale à recepto per venam cruralem *Tartaro emetico* vomitu rejecerat, nihil inveni. In tenuibus inteſtinis parum chyli offendi, hinc inde autem croceo humore tincta fuerunt: in craſſis feces pultaceæ propè exitum ſubſtiterunt. Glandulæ inteſtinales gregales dictæ (duodenales enim tunc temporis nondum innotuêre, quas tamen obſervâſſe operæ pretium fuiſſet) neque tumidiores ſolitô, neque prominentiores fuerunt; circuli autem, quibus includuntur magis, quàm reliqua inteſtinorum ſuperficies rutilavit. Renes ſaniſſimi æquè ac reliquæ partes in abdomine contentæ. Veſica turgida fuit & lotio diſtenta, etſi paulò ante obitum hanc exonerârit, rutilabat quoque impensè. In hepate nihil vitii apparuit, neque in liene: veſicula fellis naturalis fuit. Vaſa lymphatica humore rubicundo turgidula, è ſima hepatis parte prodierant numeroſa, quæ ad glandulas conglobatas ducere & in eas, nec ante in receptaculum exonerari eleganti juxtà ac jucundo ſpectaculo contemplati ſumus. Immiſſo enim per tubulum vitreum argento vivo, recto illud tramite decurrit, & per varias ramificationes partem glandularum convexam ſubiit. Ita nempe natura promiſſis ſemper majora perſolvere ſolet.

Poſſem equidem addere & aliud, quod Anno 1687. die 17. Martii Heidelbergæ in gratiam Dnn. Studioſorum in Collegio anatomico feci experimentum, quo ſoſpite cane ex ejus anatome, die 15. Aprilis inſtitutâ conſtitit, locô pancreatis nonniſi exiguam molem & confuſum Chaos ſuperfuiſſe, niſi tempori parcerem & aliorum patientiæ, ſupra recenſitum autem eſſet locô omnium, quapropter ulteriori ſcriptione hîc ſuperſedeo.

Fig. XXXII.

[*Heidelbergâ miſſa Norimb. ad Hermet. II. d. 8. Dec. 1688.*]

OBSER-

OBSERVATIO CXXXIII.
Dn. ROSINI LENTILII.
Aſthma Scorbutico-hyſtericum.

MOnialis *Maria Roſa*, annorum circiter 20. temperamenti frigidi & humidi ſcilicet ſummè pituitoſi, intravit in monaſterium ante decem circiter menſes, utcumque ſana, ſubindè difficili detentâ reſpiratione, quam contraxiſſe perſuaſum habet, ex potu medicato purgante ſemel tantùm ſumto, ſed malo effectu, ex enormibus quippe ad necem usque abacta vomitibus, ſuſpicionem dedit ruptæ alicujus in pectore vomicæ. Cæterùm nunquam antehac in uſu purgationes, venæſectiones, ſcarificationes, fonticulos &c. habuit. Elapſis quatuor circiter menſibus, poſtquam intravit in monaſterium, tempore autumnali, catarrhoſo prehenſa ſubitò fuit aſthmate, cum terroris plenâ vocis interceptione ſeu raucedine, in hunc usque durante diem, nec ullis ad hanc ceſſante adhibitis remediis. Succeſſerunt inopinatò nocte quâdam inſignes præcordiorum, atque pectoris anguſtiæ, cum terribili non minus, ac mirabili pectoris elatione, atque coſtarum fragore, ſudores ſyncoptici, convulſiones horrendæ, deliria, & quæ non? dum nil niſi præſentiſſimam omnes opinaremur inſtare mortem. Adhibitis in præcipiti caſu cordialibus & epilepticis à multis evaſit paroxyſmis, illisque recedentibus, nil niſi ad ſuffocationem usque angentem pectoris anguſtiam, ſiniſtri præſertim lateris conquerens. Cauſſam inveſtigaturi accuſarunt quidam ſaburram pituitoſam putreſcentem peculiari cyſtide in pulmonibus contentam, ruptionem molientem: at, cum expectorantibus etiam fortioribus diu multumque uſurpatis, irrito prorſus effectu, nullum in hunc usque diem, vel leviſſimum oris ſputum, aut exiguam tuſſiculam excitare; topicis etiam, ſcilicet unguentis & emplaſtris, foràs proritando materiam (quamvis interdum

tumor apparuerit, mox iterum evanuerit) quidquam efficere valuerimus, in aliam deveni ſententiam, atque aſthmatis hujus prorſus ſicci cauſſam convulſivum motum diaphragmatis, aliorumque muſculorum reſpirationi dicatorum, pro indubitato licebat aſſerere: cujus ſententiæ etiam conſtrictio laryngis, deglutitionem hucusque ſufflaminans, certiorem me fecit, nervis etiam pnevmonicis, pulmonum expanſioni dicatis, item fibris nerveis bronchia amplectentibus, ſpaſmodicè in conſenſum tractis, ſuffocationem inducere, nemini ignotum. Agnitâ quidem hâc causâ, remedia totis viribus eò dirigebam, ut reſpirationi atque deglutitioni liber ſit motus, ſed contumax omnem meam & aliorum Medicorum eluſit operam affectus. Quapropter relicto morbo ſolis defenſivis, ſcilicet cordialibus, bechicis & antiepilepticis agere mihi reſtabat: quo effeci, ut frequentiſſimæ lipothymiæ, ſubinde ad leviſſimum corporis motum ingruentes, atque ſpaſmodicæ manuum pedumque contracturæ, ægram diu ad multas horas contorquentes, tandem in totum remiſerint; quibus recedentibus ægra ad ſe rediens ſemper ſuſpirioſum ducebat ſpiritum. Dumque ſpes iterum fulgebat, recuperandi ſalutem corporis, quippe cum quiete ſe in lecto habebat ægra, præter anguſtiam ſiniſtri lateris, tactum non ferentem, at reſpirationem dirè ſufflaminantem, ut inde multas inſomnes ducere ſit coacta noctes, nihil querebatur. De functionibus naturalibus nihil conqueritur, benè appetendo, non ſitiendo, ingeſta facilè ferendo & concoquendo, aſt paucam reddit urinam, ſubindè alvum experitur ſtrictiorem, nec ullis afficitur ventris aut lumborum doloribus, niſi forſan ex diuturno decubitu, adeoque nulla ſuadebat ratio, morbum hunc, uti apud vulgum perſuaſum habebatur, prorſus hyſtericam indigitare affectionem, quamvis & uterus, ſicut omnia alia viſcera, in conſenſum trahatur, quippe menſtrua apud ægram ritè ſingulis fluunt menſibus. Dum igitur omnia in melius verti videbantur, & è lecto ſurgens obambulationem in conclavi

clavi ſenſim & ſenſim moliretur, novi ſuccreſcere dolores in ſiniſtro hypochondrio cœperunt, quos pro dolorificis lienis inflationibus habui: hisque magis atque magis ægram contorquentibus, etiam ſiniſtri lateris contorſio & ſævus oboriens capitis dolor ægram iterum decumbere fecerunt. Periculum fecimus affectui huic ſplenetico, chalybeatis mixtis bechicis, ſuccurrere, ſed brevi iterum ab hisce abſtinere ſumus coacti; quippe de die in diem ſymptomata iſta graviter intendebantur; præſertim ſævus dolor capitis deliria inducebat, adeò, ut tandem phrenitidem metueremus. His recedentibus ſucceſſit nocte quâdam, quamvis & antehac crebrius, paralyſis, verius, ſtupor ſiniſtri brachii, puſillum ferè remittente cephalæa, mox autem gravius ſæviente, ne erecto quidem capite decumbere potis eſt. Tentavi errhinis derivare materiam, ſed vix attracta gutta una vel altera in nares, dolor capitis intendebatur, nullumque narium mucum obtinere potui. Perſuaſi ægram, pro avertendis enormibus defluxionibus in dextrum brachium fonticulum ponere, ſed effectus, quem ſperabamus, haut ſuccedebat. Recommendavi Clyſteres, materiam è capite avertentes, veſicatoria in ſcapulis & brachiis, ſed omnia cum fletu reſpuebat ægra. Venæſectiones jam aliquoties in brachio & ambobus pedibus, cùm deliraret, inſtitutæ fuerunt. Purgationes etiam blandæ non omiſſæ, ſed irrito prorſus effectu, cephalæa iſta eodem ſemper tenore remanente. Quid ampliùs faciendum, aut quæ interna morbum hunc complicatum debellantia ſint adhibenda remedia, ſagacioribus artis noſtræ relinquo Proceribus.

Hæc ſunt verba, non mea, ſed alius Medici, Cœnobii, in quo Monialis agebat ordinarii: Cùm autem tantùm abeſſet, ut his vel aliis medicamentis quidquam efficeretur, ut potiùs aphonia totalis ad integrum ſemeſtre perduraret, (cujus potiſſimùm cauſsâ dignum judicavi caſum, qui hisce *Ephemeridibus* inſereretur) recurrente ſubinde ad ſuffocationis pericu-

lum aſthmate, & convulſionibus hyſtericis, reſiduaque dextri femoris paralyſi, ut illinc miſerè claudicaret, ad me tandem itum, præcipuè cùm neq; *Pater Guardianus* monaſterii, neq; Monialis Parentes in paracentheſin thoracis, quam ordinarius urgebat, conſentire vellent. Igitur in ſequentem ſententiam ſcripſi: Hic affectus mihi videtur *Aſthma Scorbutico-hyſtericum*, ab irritatis per exhalationes acido-auſteras uti & hypochondriorum, ſpiritibus animalibus, qui reſpirationis organa in expanſione convulſivâ continuâ detinent, exortum. De aſthmate non eſt dubium; utrum verò ſiccum an humidum ſit, diſpiciendum? Humidum non eſt, ſiquidem nec ulla lentoris excretio, nec ſibilus, nec ulla vel levis tuſſicula, vel per ipſa medicamenta excitanda id prodidêre; nec pharmaca huic aſthmati deſtinata largo quantumvis præbio diu propinata, quidquam opis, re potiùs in deterius verſa, tulerunt. Reſtat itaque, ut idem appellitemus è convulſivorum genere ſiccum aſthma, cum agnomento, *Scorbutico-hyſtericum*. Adeſſe verò in Moniali noſtra ſcorbuticam diatheſin ſuadere multa videntur. Argumentum maximè præcipuum eſt, quod hæreditarium ſit aſthma toti familiæ. Pater ipſe fuit hoc à cunabulis affectus: Mater cum anhelatione tali diu conflictata, tandem accedente tabe, procul dubio ſcorbutica, periit. Patiens ipſa domi ſuæ frequenter ægerrimè ſpiravit. Studioſus filius, & binæ ſorores aliæ meæ jam, in eodem affectu, curæ ſubjecti: omnes tamen neque tuſſientes, neque ſpuentes. Eſt autem hoc aſthma ſiccum ſcorbuticis frequentiſſimum ſymptoma, cujus hæc eſt cauſſa: Supprimuntur in ſanguine ſcorbutico particulæ oleoſæ, ſulphureæ, balſamicæ; exaltantur Salinæ fixæ: Orta hinc vitioſa humorum efferveſcentia multos halitus accumulat: quin, delatus ille ſanguis ad cor, ibi turgeſcit, vaſa pulmonalia diſtendit, inflat, expandit, læſa hinc aëris cum inſpiratione, tum exſpiratione. Porrò, qualis eſt ſanguis, talis ſpiritus animalis: illo enim plus acri, hic quoque acrimoniam adſciſcit, ad quamvis, etiam leviſſimam

or-

occaſionem irritabilis, ad nervos vectores in motus involuntarios perciendos. Membranacei pulmones huic fomiti ſuſcipiendo aptiſſimi, quippe minus robuſtæ compaginis & mobiles. Eadem Monialis à longis abinde annis, hyſtericis paſſionibus ad usque convulſiones, fuit divexata, quod ſcorbuticis perquàm eſt familiare. Alvus ipſi, hyſtericarum more, adſtrictior, & urina ſubindè ſuppreſſa: vid. *Sydenham. de curat. variol. & affect. hyſter.* Cauſſa non tantùm convulſiva ſphincteris compreſſio, infantibus ad motus convulſivos pronis etiam ſolemnis, ſed & ſerum nimis parco fluxu ad urinarias vias derivatum, eò quòd alibi in corpore oberret. Adeſt cephalæa hyſtericarum tantùm non propria, proinde *Clavus hyſtericus* laudato *Sydenhamio* dicta, conſentientibus & *Piſone* & *Williſio*, caput hinc ſubjectum hyſtericarum paſſionum ſtatuentibus. Adde Convulſiones & Epilepſiam, de quorum cauſſa alibi. Denique paralyſin ſiniſtri femoris per metaſtaſin accitam, vide iterum *Williſ. de Scorbut. & Ann. II. Dec. II. Eph. Cur. Obſ. 170.* Cujus cauſſa fortaſsean eſt, quod ſpiritus animales per crebras velitationes & efferveſcentias denique ſuâ volatilitate orbi, à Natura, vel medicamentis in partem quamlibet debiliorem propulſi ibidemque nervis impacti debiliores exiſtant, quàm ut membrum iſtud movere queant. Ultimò delirium furori uterino propinquum, & aſthma, quod hyſtericis eſt propterea familiare, quia exhalationes uterinæ acido auſteræ ſanguinem inebriant flatibus, qui pulmones expandunt, dum interim nervi pneumonici à ſpirituum animalium tumultu concitati non minus inflantur, ut pulmones contrahere ſemet neſcii, maneant in expanſione ſaltem partiali, unde ex ſufflaminata reſpiratione ſiccum aſthma convulſivum. Idipſum permovit graviſſimum Scriptorem Anglum *Highmorum*, ut paſſiones vulgò hyſtericas dictas, à ſanguine tenuiori & flatulento in cor irruente, unicè dependere voluerit, unde cor plus ſanguinis uno pulſu intromittat, quam altero in pneumonica vaſa queat elidere: hinc præcor-

diorum anxietas, aſthma, ſuffocationis metus. Quin imò, non dubitavit *Helmontius* affectionem hyſtericam *aſthma muliebre* vocare. Quantumvis autem Domino ordinario noſtræ Moniali hanc affectionem minus competere ſit viſum, quòd menſes ritè fluant; ordinarius tamen horum fluxus non impedit, quin mulier eſſe poſſit hyſterica; quod enim ſit talis, menſium ſuppreſſionem cauſſam immediatam & proximam nullatenus agnoſcit. Notandum enim in diatheſi ſcorbutica ſanguinis conſiſtentiam pro fermentorum varietate oppidò quoque variare, & per Salem lixivum nonnunquam reddi juſtô fluidiorem, quod ſcorbuticorum hæmorrhagiæ probant: Hinc ad menſuram & tempus fluente cruore menſtruo, mulierem nihilominus eſſe hyſtericam poſſe, liquidum evadit: vid. *Ann. III. Dec. II. Obſ. 196. Ephem. Curioſ.* Mulieres prægnantes ſæpenumero ſunt immunes à paſſionibus hyſtericis, quibus extra id tempus tenentur. Et ſæpè virginibus hyſtericis conjugium eſt Medicinæ loco, cùm in hoc menſes ſupprimi neceſſe ſit; nimirum paſſiones hyſtericæ non ſemper ſanguini ſine reſtrictione; ſed cumprimis ſero ſeu lymphæ à Scorbutico Sale infectis, & in glandulis uteri vaginalibus elaboratis acceptæ ferendæ, menſium fluxu ſic ſatis rectè nihilo ſe minus habente. Eſt igitur in Ægra noſtra morbi talis Idea: Ægra ſibi jure hæreditario ſcorbuticam labem adſcivit: quâ labe ſanguis infectus uterum in conſenſum traxit, ut poſteà paſſionibus hyſtericis tentaretur: quas equidem aſthma convulſivum, uti ſolet, eſt inſecutum, ſed non usque adeò pernicioſum, cùm adhuc firma pulmonum textura eſſet. Cùm autem prætereà purgatio vehemens acceſſiſſet, inſequentibus, fatente Parente, vel centenis intra diei dimidium vomitibus, tonus pulmonum, cumprimis autem ſiniſtri lobi, ſeu lateris (unde quoque in illo latere major pectoris anguſtia, quam in dextro, obſervata) adeò fuit eheu! laxatus, eorumque fibræ in tantum irritatæ, ut jam vel leviſſimæ occaſioni non ſint ampliùs reſiſtendo, ſed quotiescunque ab acri vapore

pore

pore roduntur, vel parciſſima ſpirituum animalium irritatio contingit, ſtatim inflentur, convellantur & pulmones expandant, ita, ut propter inflatos nervos, venas, arterias & veſiculas ſuas, è quibus conſtant, in ſe redire nequeant, & decenter ſubſidere; hinc non poteſt non laborioſiſſima reſpiratio inſequi, cum ingenti præcordiorum anxietate, & ſuffocationis periculo: Nam, cùm in omnibus animalibus ſanguineis reſpiratio ad vitam ſit apprimè neceſſaria, quippe, ſine qua motus ſanguinis, in quo vita libratur, perpetuari nequit, expanſis pulmonibus eam ægerrimè perfici poſſe, quilibet ſibi poteſt imaginari, dummodò follem fabrilem conſideret. Follis enim, niſi contractus expandatur, aërem non haurit: dum eſt in expanſione ſua, nil aëris ampliùs admittit, dum eo plenus eſt; dum autem contentus aër per compreſſionem exprimitur, denuòque compreſſus follis expanditur, tunc aër ſubintrat, ex ratione Phyſicis notiſſima. Parili ratione pulmones, ceu folles animales, dum expanſi ſunt, aërem admittere neſciunt; opus igitur eſt ad reſpirationem, ut reciprocè nunc expandantur, nunc ſubſideant, quorum alterum ubi non fit, aut nulla, aut ſanè laborioſiſſima poteſt eſſe reſpiratio. Cohibeat jam vir ſanus ad pauca momenta ſpiritum, bone Deus, quæ eſt anxietas? quæ ſanguinis ebullitio? quæ in extimas corporis partes ejusdem ſuffuſio? quæ venarum intumeſcentia? quæ omnia ſunt adeò clara, ut nil clarius. Sed unde raucedo miranda & durabilis? Audiamus hic B. noſtrum *Ettmüllerum* ita diſſerentem in *Praxi* ſua: *Raucedo vitio thoracis interdum fit, quando reſolvuntur ejus muſculi, aut convelluntur, ut in apoplexia, NB. affectibus hyſtericis* &c. *vel vitio laryngis aërem ſub eliſione non modificantis, ut, dum vel paralyſi afficitur, vel nimium anguſtatur & ſtringitur.* Et certè ita ſe res habet: Non enim iſta raucedo accepta ferenda viſcidis humoribus laryngem obſidentibus; ſic enim foret aſthma humidum, cum tuſſi & exſcreatione pituitoſa. Deinde eſt

ferè

ferè ſcorbutica convulſiva raucedo, à convulſione muſculorum gulæ, aut ipſorum fortè reſolutione dependens, quales mihi raucedines ſunt optimè notæ, & aliquando in Vexillifero ſcorbutico tali per tres menſes detento remediis antiſcorbuticis curavi. Notum enim eſt ex anatomicis nervos recurrentes dictos vocem animalium moderari, quibus aut obſtructis aut convulſis, aut penitùs abſciſſis, vox faucibus hæret & aphonia vel obmuteſcentia ſuccedit, ſic, ut hoc affecti vitio clarum pronunciare nequeant. Nervos autem recurrentes ab hyſtericis exhalationibus, unà cum reliquis pectoralibus, affici poſſe, jam illuſtris *Hercules Colleg. Pathol. MSS. cap. de ſuffocat. hyſter.* præclarè docuit. Hinc ſymptoma vocis, in Ægra noſtra quod viſitur, non tam eſt raucedo dicenda, quàm ipſiſſima aphonia. Cauſſa igitur proxima & immediata hujus aſthmatis convulſivi in Moniali noſtra eſt pulmonum continuata expanſio, ſine ſufficienti contractione: Cauſſæ mediatæ propinquiores ſunt binæ: Spirituum nempe animalium ab exhalationibus acidis irritatio, & quaſi furor, & ſanguinis in cor & pulmones intromiſſi flatulentia. Cauſſæ remotæ naturales temperamentum Ægræ frigidum & ſiccum, non autem humidum, & diſpoſitio hæreditaria: Nonnaturales tum vita ſedentaria & otioſa, per quam humores torpeſcunt, tum etiam excretio nimia, per vomitus horrendos thoracem pro more emeticorum quatientes, præter intentionem concitata: Præternaturales, ſcorbutus & paſſio hyſterica. Ut autem nil prætermiſiſſe videar, quod quocunque modo ad hujus ſententiæ illuſtrationem facere queat: 1. Alvum in aſthmate convulſivo eſſe adſtrictam tantùm non quotidianum eſt: 2. Urina in eodem eſt pauca. 3. Thoracem in hoc, ob nimiam pulmonum expanſionem, notabiliter, etiam cum coſtarum quaſi fragore quodam elevari Practicorum obſervationes multæ loquuntur. 4. Aſthma dictum in cephalæam terminari, exemplo mihi domeſtico notiſſimum. 5. Convulſiones crebrò communicari, ut ſuccedat epilepſia, confir-

confirmat multiplex experientia. 6. Quam epilepſiam preſſo quaſi pede delirium inſequitur. 7. Scorbutum per metaſtaſin in raucedinem terminatum teſtatur *Obſ. 175. Ann. III. Dec. II. Ephem. Cur.* 8. Aſthma à flatibus etiam celeberrimus *Sylvius*, cum biga Medicorum incomparabili *Hercule* ac *Ettmüllero*, utrisque noſtris, concinnè deducunt. Eſt igitur hic affectus *Aſthma Scorbutico-hyſtericum.* Quid heic eſt opus facto? 1. Sanguini ſua balſamica craſis reſtituenda, ita, ut ejus acrimonia attemperetur, flatulentia diſcutiatur, ſulphur reſtituatur. 2. Spirituum turbulentia & acrimonia per blanda demulcentia ſedanda, iique quadantenus figendi & concentrandi. 3. Pulmonum & diaphragmatis tonus medicamentis ſpecificis roborantibus firmandus. 4. Viribus proſpiciendum. Accerſendus heic triplex Medicorum fons, ubi in *Cheirurgico* ſtatim occurrit quæſtio: *Num Venæſectio proſit?* Et reſpondetur, quod non adeò: cùm per Venæſectionem acrimonia ſanguinis ſero debita per ſe nullatenus tollatur, vires potiùs & tantillum ſulphuris exhauriantur. *Fonticulis* & *veſicatoriis* lateres lavantur. Quoad fontem *Pharmaceuticum*, in paroxyſmo detur illicò *Sperm. Cet.* in jure calidiori ſoluti ʒj. cui licebit adjicere *Croc. Auſtr. gr.* circiter *viij.* Poſt aliquod temporis intervallum pneumonico-hyſtericæ Mixturæ gutt. 30. cum *Malvatico* infundantur: ℞. *Spir. Aniſ. Cochl. ãã.* ʒjß. *Spir. Armoniac. Tinct. Caſtor. Tinct. Tart. ãã.* ʒj. M. Caſtoreata, pilæ hyſtericæ &c. naribus admoveantur. Laxandæ veſtes & omnia vincula. Extra paroxyſmum, purgantibus valere juſſis, utatur pulvere abſorbente ex *Spec. Diacret. Mynſ.* ʒij. *Bezoard. Jovial. Cinnabar. nativ. Vitrioli Martis. ãã.* ʒß. *Laud. Op. gr. xij.* pro 8. doſibus, ex *Aq. Chamom. Hyſſop. Petroſel. ãã.* ℥j. *Hirund. cum Caſtor. Spir. Aniſ ãã.* ℥ß. *Spir. Cochlear.* ʒij. *Oxym. Squillit. Sir. de Nicot. ãã.* ℥ß. Cujus etiam extra hanc doſin, urgente neceſſitate, cochlear unum atque alterum ſorberi poteſt. Cui pulvis iſte, licet efficax, minus arridet, utatur ejus loco ſequenti: *Rad. Valer. Zedoar. Irid. Flor. ãã.* ʒj *An-*

timonii Diaph. ℈ij. *Sacch. Saturni, Sal. Vol. Succin. ãã.* ℈j. *pro 8. doſibus.* Mixturæ ſupra dictæ pomerid. horâ iij. & nocturna viij. gutt. 30. ex Malvatico ſumantur: vel deglutiat noctu cubitum itura Pilularum n. xv. ℞. *Myrrh. Galban. ãã* ʒiß. *Caſtor.* ℈j. *Aſ. fœtid.* ℈ß. *cum Balſ. Peruv. pro Pil. ponder. gr. j.* Interim alvus officii admoneatur Decocto laxativo leniſſimo. Præſentiſſimum autem remedium arbitror *balneas minerales*, & quidem vicinas noſtras *Wemdingenſes*, quippe affectibus hyſtericis & ſcorbuticis debellandis apprimè efficaces, legitima methodo uſurpatas. Vid. *Ann. I. Dec. II. Obſ. 105. Ephem. noſtr.* Quibus, ſi diæta jungatur, de cura non eſt deſperandum. Hoc tum erat conſilium meum, cui cùm obtemperaſſent, quibus intererat, inſuper laudatas balneas in uſum traherent, Monialis dicta brevi ſic reſtituta fuit, ut tam erecta incedere, tam liberrimè reſpirare, tam clariſſimè fari, per ſesquiannum hactenus & ultra didicerit. Ubi notandum obiter, *Balneas Wemdingenſes*, duobus milliaribus *Nordlingæ* diſtantes, uſu multiplici in paralyticis, hyſtericis, ſcorbuticis, melancholicis, aliisque innumeris affectibus, commendatiſſimas eſſe, quas olim *Hieron. Reuſnerus*, Medicus noſtrâs, peculiari libello deſcripſit, utique dignas, quæ numeroſiſſimo confluxu frequententur.

OBSERVATIO CXXXIV.
Dn. ROSINI LENTILII.
Pueri maleficiati Caſus memorabilis.

D*öttingæ* in Ducatu *Würtenbergico* Vitiſatoris Filius quatuordecim annorum, à ſuſpecta quadam Canidia, ante biennium propemodum, ex quo hæc ſcribo, libum ſeu placentam iſtis locis familiarem dono cepit, & comedit. Elapſa vix hora continuis vomitibus urgetur, quibus Chirurgus aliquis (hi enim nusquam non ſunt intempeſtivi

peſtivi Practici) per decem ſeptimanas magmata ſua, quamvis ſine omni effectu, applicavit. Interim puer obmuteſcit penitùs, nec oculum ullum aperit conniventibus palpebris. Pedibus ſuis ſolum tangere neſciebat, &, quod ſanctè Parentes, alternè excubantes, teſtabantur, intra ſpatium 28. ſeptimanarum ne hilum cibi aſſumebat. Interim coactus per totam noctem ad ipſiſſimum inſtar apri grunnire, ſic ut quis puero non viſo, de apri vicinia nil omninò dubitaſſet; quin & ſubinde expavit. Nonnunquam vini cyathum hauſit, cætera nihil corpore extenuatus, mentis compos, alvum quotidiè reddens. Ad hunc vocatus Affinis meus Dn. *Maskosky*, Phyſicus *Göppingenſis* feliciſſimus & percelebris, elapſis ſupra memoratis ſeptimanis: Et, quum Puer noctes dieſque faciem obſcuro parieti obverteret, eum, ut inſideret ſcamno, coëgit: diductis hinc inſtrumento dentibus, infudit calidi juris aliquot cochlearia; cùmque valdè reluctaretur, à Parente colapho multatus, nunc demum hæc verba profari cœpit: Quid à Te vapulo ſatis alioqui cruciatus? Ab eo tempore & eſt locutus & cibum ſumſit, affirmans, noctibus ſingulis mulierem quandam cibum ſibi & vinum generoſiſſimum porrexiſſe, ſeque vehementer afflixiſſe. Nunc etiam grunnire deſiit, palpebris tamen adhuc conniventibus: nihilo tamen minus ipſe divinare potuit, quidquid occultatum in pugno tenerent alii: faſſus etiam, non ſe, ſed aliud quid in abdomine ſuo per integram noctem, ſe quamlibet renitente, grunniviſſe. Interim medicamentorum nonnihil ipſi propinatum: pedum uſus melior: devotè precabatur; Quin & Paſtores admonendo, hortando, conſolando, ſuo neutiquam officio defuerunt. Senſim phantaſma muliebre nocturnum evaneſcit, nec ampliùs expaveſcit, grunnitu tamen adhuc per horam unam, plus minus, interdum redeunte: dum abſentes præſumit homines, oculos aperit; ſed, quum id aliàs non faciat, aliquo Dropace per totam diem palpebræ apertæ tenentur, ut muſculi quadantenus fortè reſoluti priſtino vigori reſti-

tuantur: grunnitus denique ceſſavit, & cum hoc afflicta valetudo.

OBSERVATIO CXXXV.
DN. ROSINI LENTILII.
Convulſiones admirabiles.

POligrapho *Weilheimenſi* filia duodecim, filiusque decem annorum ſucceſſivè morbillis effloruerunt; quibus, diaphoreſi neglecta, non ſufficienter erumpentibus, inſecutæ ſunt ante nunc annum convulſiones equidem ſatis admirandæ: Variæ membrorum contorſiones, tremor totius corporis, complicationes ejus in ſpiram mox pronæ mox reſupinatæ; nonnunquam eis in altum ſublatis ad ſtuporem omnium; intereà ſimul vociferabantur, cantillabant, labiis fiſtulabant, paroxyſmo præterfluxo in cachinnum effuſi, quid actitatum eſſet, prorſus ignorantes. Adhibita à Medico quodam non incelebri medicamenta varia, ſed ſine fructu: *Maskoskyus* illuc vocatus utrique propinavit emeticum, &, quum, referente Domino Patre, purgantia vel ſextâ vice propinatâ, nil quidquam operarentur, præcipuè apud Puellam, emetica tamen iſta laudabilem effectum præſtitêre, diverſi coloris effuſâ ſaburra: Adhibita mox epileptica, applicata veſicatoria, per ſeceſſum ambo ex voto purgati: die poſtero lumbrici magni num. 7. per utrorumque alvum excreti, inſequentibus tam horrendis motibus epilepticis, oſcillando & ſaltando, ut ambo præſentibus multis per duas horas menſas & ſcamna, & quidquid obvium eſſet, agyrtarum more promtè transſilirent, ut non deſtituri viderentur, quamdiu vita ſuperaret, ab aliquot denique hominibus, uti quieſcerent, & in lecto cubarent coacti. Poſt paroxyſmum riſerunt, comederunt, biberunt, puella tamen mox uſu pedum adeò exuta, ut ſtare non ampliùs poſſet. Aëris locique mutatio Parenti perſuaſit, ut annueret Domino Affini meo, miſellos *Göppin-*

gam

gam deportari, optanti: Heic dexteritati ſuæ, vir juxta felix & expertus reliquum nihil fecit, adhibitis medicamentis ſpecificis & hactenus pro arcanis habitis. Et quanquam, Puella cumprimis, etiam *Göppingæ*, motus epilepticos horrendos ſubindè paſſi ſint, DEO tamen ſecundante non tantùm Puella brevi uſum artuum omnium recepit, ſed ambo ægrotantes per quatuor dies convelli deſierunt. Ad altitudinem bicubitalem nonnunquam de pavimento, corpore horizontaliter ſito, ſublati ſunt. Quidam *Choream S. Viti* ſunt arbitrati, aut quaſi *Tarantatos* vel maleficiatos. Sed rectè vir optimus cauſſas mali naturales poſſe dari exiſtimat, cùm virus iſtud morbillorum, malignum, acre, acidum, atque, ut ipſi vocare libet, menſtruale, per neglectos ſudores non eliminatum, interim tamen in ſanguine reſolutum, fluctuans, partes nervoſas, quin ipſum cerebrum, irritare potuerit, præſente durantibus cumprimis paroxyſmis delirio & inſaniâ. Paroxyſmi ab initio intra diei civilis ſpatium quinquies vel ſexies iterarunt varia facie: nam, præter dicta, nonnunquam artus ipſorum implexi ſunt ſibi invicem firmiter cohærentes, nonnunquam expanſi, nonnunquam tremuli, contortis oculis, naribus, ore, ut reverà larvas mentirentur. Semper quærebant obſcura loca, ſubter ſcamna, menſas & lectiſternia. Hinc ſubitò hæc omnia tranſiliebant, inſuper habitis hinc exorientibus doloribus, ſic ut adſtantes undique pulvinaria ſupponerent, ne artubus enormis læſio accederet. Puella, cùm inferior corporis pars à lumbis usque ad extrema prorſus omni motu careret, poſthac ſaltem ſuperna corporis parte convellebatur. Adhibita præter epileptica diverſis etiam quatuor locis *Veſicatoria*, quin & *Suffumigia* & alia *Topica*, *Amuleta*, *Enemata*: quorum uſu intra 16. dies, L. D. perfectè ambo convaluerunt, ut horrendi affectus nec vola ſuperſit, nec veſtigium.

OBSERVATIO CXXXVI.

Dn. ROSINI LENTILII.

Calculi per tuſſim, vomitum & alvum redditi.

CAupo *Göppingenſis*, vir ætate floridâ phthiſicus, tuſſiendo inſtar piſorum ſativorum, calculos num. v. cineritios, & ex rubro flaveſcentes rejecit, intra tres ſeptimanas fato functus. In *Curlandia* vir ſexagenarius per aliquot annos calculos diverſæ magnitudinis, nullo tamen piſum excedente, per vomitum rejecit, quales adhuc mihi ſunt ad manus, inſtar Salis Tartari ex albo viridiuſculi, tabe denique confectus & mortuus. Negotiator *Nürtingenſis* Febre malignâ laborat, quâ ſolutâ denique hecticam ſibi contraxit, vel ex diætæ neglectu, vel cura non ſufficienter protracta: adeſt æſtus, ſitis, ſudor, phlogoſes, horror, inappetentia, preſſio circa præcordia, aſthma; ſed cumprimis circa regionem hepatis dolor ſummus, cum tumore, de quo tamen dolore jam per decennium conqueſtus fuerat. Adhibita *Aperientia*, *Lenientia*, *Abſtergentia*, *Diaphoretica*, *Laxantia*, *Enemata*, *Topica*, *Cataplaſmata* lateri dolenti applicata: intus pro demulcendo dolore *Ol. Amygd. dulc. c. Sir. de Alth. & 2. Rad. add. Ocul. Cancr. præparat. & Nitro præparato:* quo ſumto hauſtu æger, libenter equidem ſcirem, inquit, quid per ſeceſſum excluderetur à me durum, ſcindens anum & lacerans? Uxor pelvim è ſella promens invenit miſtos cum excrementis ex flavo rubentes lapillos quamplurimos, lateres contuſos dixiſſes: horum exſiccavit manipulum integrum, tres & ampliùs, ubi viſum fuiſſet, collectura. Id generis lapillos per dies aliquot exiiſſe ſenſit, quorum aliqui piſa magnitudine ſuperarent: partim rotundi, partim cuſpidati. Subſedit autem tunc iſtud hepatis farcimen, mitigatus dolor, appetitus rediit,

aboli-

abolita ſitis, reſpiratio libera. Quin hi lapilli prodierint è cyſtide bilaria, nil ego quidquam dubito; hoc, velut in genere pecudum non eſt omninò novum: (prout hos aliqui, lapillos è bovis felle, non ſine fructu & effectu tantùm non certiſſimo, quorum fidem & ipſe teſtis oculatus confirmare poſſum, ictericis propinant) ita paſſim Obſervationes in veſicis hominum felleis tales eſſe repertos, quin & *Ephemerides noſtræ*, teſtantur. Id in boum lapillis obſervavi, eos, inſtar fortiſſimi ptarmici nares irritare. Num in hoc ſubjecto adhibita nitroſa quidquam præſtiterint, dijudicandum aliis relinquo, quo in *Sylvii* operibus alicubi me legere memini, graminis aquam cum Nitri Spiritu hauſtam calculum ex hoc fundamento ſolvere, quòd pecudes, quamprimùm gramine novo veſcantur, lapilli tempore autumnali & hyberno in veſicula bilaria reperiri ſoliti, liqueſcant, nec uſquam æſtivo tempore reperiantur; Addo, quòd, cùm *Heidelbergæ Anno 1672.* ſtudiis operam locarem Dn. D. *Iſraël, Med. Prof.* nobis oſtenderit calculos binos, ſatis grandes, colore fuſco præditos, figurâ catulos parvos, quatuor prominentiis ceu pedibus, & capite mentitos, pluribusque aliis ſociatos, in liene vetulæ cujusdam, quæ per integros quindecim annos de gravativo ſiniſtri lateris dolore conqueſta fuerat, repertos. *Jenæ Anno 1675.* in cane veſicæ calculus inventus ſeſquilibram ponderans; Figura erat caſei vulgaris ruſticani, cujus utrinque mucro ſeu cacumen eſt obtuſum (ein Quarkkäs) albicantiſſimus, qui in meditullio ſuo alium elegantiſſimè efformatum minorem; ſed qui totius & integri calculi figuram exactiſſimè referret, continuit.

OBSER-

OBSERVATIO CXXXVII.
Dn. ROSINI LENTILII.
Cautela in veſicatoriis adhibenda.

MAtronæ cuidam hypochondriacæ à non nemine quatuor veſicatoria ſimul bina in carpis & bina in ſuris applicata: unde ſtranguria ſummè dolorifica exorta: Medici bini calculum veſicæ adeſſe rati, *Balneis*, quin *Lithontripticis*, *Diureticis*, calidis, acribus variè utuntur, muliere nihilo melius, quin pejus quotidiè habente. Alius quidam Medicus prudentiſſimus & ſagaciſſimus in iſta veſicatoria cauſſam, &, meo quidem judicio, rectiſſimè conjecit, ob admixtos cantharides, experimento rei in proprio corpore, dum eſſet 16. annorum adoleſcens, facto, cui proinde tantò magis fidendum, quamvis ridiculum eſſe *Fioravantum* arbitrer, qui *lib. 2. cap. 45. de regim. peſt.* non erubeſcit ſtatuere, *eum demum eſſe Medicum bonum, qui complureis morbos ipſe ſit paſſus.* Iſta quidem experientia valeat, cùm veriſſimùm ſit proverbium: **Es ſey nicht gut krank ſeyn / man ſeye des Lebens nicht ſicher.** Prætereà dubium eſt, an ejusmodi Medicus aliis ſit anteferendus? Nam ſi bonus fuiſſet, utique ſibi cavere didiciſſet, ne in tot morbos, periculo ſui capitis, incideret. Cæterùm cantharides etiam foris applicatas mictum cruentum & ſtranguriam excitâſſe in *Diſp.* pro loco *de veſicatoriis Jenæ habita Excell. D. D. Faſchius*, *Prof. Anat. Chir. & Botan. cap. 5.* ex variis Auctoribus planum fecit. Confer *Ann. I. Dec. II. Ephem. noſtr. Obſ. 163.* Et quæ de Cantharidum operatione Amiciſſimus noſter *Periander ad Ann. VI. Dec. II. Obſerv. 215.* dictarum *Ephemeridum* commentatus eſt.

OBSERVATIO CXXXVIII.
DN. ROSINI LENTILII.
Vivum Cadaver.

IN oppido Bavarico *Wemdinga*, duabus leucis abhinc diſtante, & à balneis mineralibus celebri, paupercula vixit Arcularii uxor quadraginta circiter annorum. Ante triennium fluxum menſium immodicum ad octodecim hebdomadas eſt paſſa, quem inſecuta eſt horum ſuppreſſio cum ſucceſſivo tumore ventris, quæ ſpem prolis ipſi faciebat primò; ſed hydropis fœtum eſſe tumorem iſthunc eventus docuit, qui denique ſe aſcitem cum tympanite ſociatum prodidit; tumor immenſus erat, poſtquam per duos annos ipſi conceſſum incrementi ſpatium; tantum ſanè mihi vidiſſe nunquam contigit. Intereà ſupernis partibus adeò fuit extenuata, ut reverà videretur ſceleton corio jam opificis manum experto veſtitum. Mammæ pendentes conos abiegnos referebant, aptæ potiùs ad relegandos, quàm pelliciendos amaſios. Denique fatis defuncta cultro ſe præbuit. Apertum abdomen amphoras benè duas aquæ fœtidiſſimæ profudit, ſed inteſtina nusquam. Hæc enim, dictu mirum, ad usque rectum inteſtinum computruerant in mucaginem, bonâ parte ſtomachi, quâ pylorus moderatur ſceptrum in putredinis conſortium adſcita. Hepar, lien, renes utcumque habebant; veſica urinaria, cum inſertis & annexis vaſis paria cum inteſtinis fata experta erant, id eſt, fruſtrà diu quæſita. In utero maximam partem putrido mola, caput infantile æquans, & ipsâ jam infectâ putredine. Thorax cum contentis mediocriter ſe geſſit, corde ſine omni labe reperto, præter id, quod in toto corpore vix uncia ſanguinis, venis prorſus evacuatis, immò ne congrumatus quidem colligi potuerit.

OBSERVATIO CXXXIX.
Dn. ROSINI LENTILII.
Alvi adſtrictio à coalitu inteſtini recti.

DN. *Joh. Richter*, Pharmacopœus Aulicus *Eichſtettenſis*, ex alvi conſtipatione ventrisque torminibus acerrimis, fruſtrà tentatis omnibus remediis, poſt tres ſeptimanas obiit. Aperto ventre ſphincter ani connivebat, ejusque totalis coalitus viſus; interni longanonis parietes contraxerant putredinem: inteſtina ſphacelata: ſtomachus aridus: veſicula fellis bile nigerrimâ ſcatens, præter alias minùs enormes læſiones.

OBSERVATIO CXL.
D. CHRISTIANI SCHUCHMANNI.
Morſus ſerpentis curatus.

PUellam quandam infra talum binis morſibus petit ſerpens, ab antecedentibus puellis procul dubio greſſu laceſſita. Hæc domum ſe conferens, videt intumeſcere malleolum, pedem, ſucceſſivè tibiam. Adſtantes multiſciæ mulieres, ſtatim ſupra genu fortem injiciunt ligaturam, hâcque ratione, ex opinione illarum, tumor & venenum ligaturam non transſcendunt. Accerſitur balneator, qui ſtatim ligaturam removet, & medicamentum aliquod propinat, quod tum illicò vomitu rejicit, tumore ulterius progrediente, & ſimul variis ſymptomatibus ſtipato. Intumeſcebat facies, præſertim autem lingua cum nigredine, reſpiratio cohibita, ſudoris frigidiſſimi ſtillæ, inſtar fabarum magnitudine. Vomitus, continua in ſomnum propenſio, ſenſus congelationis, vox penitùs intercepta; propinata Theriaca ab Empirico quodam emta, vomit viridia, cum aliquali vocis reſtitutione, reliquis ſymtomatibus nihilominùs perſiſtentibus.

Noctu

Noctu ex me conſilium petunt. Ego mixturam è Terr. ſigill. Antimonio Diaph. Theriac. Camph. itemque Alexipharmacam Eſſentiam probè camphoratam do, ſimul imperans, ut locis commorſis applicetur pro tolerantia candens ferrum, ſuperimpoſito poſteà Emplaſtro ex Theriaca & Mithridatio. Die 19. Julii illam inviſere rogor. Liberam illam, præviis aliquot ſudoribus, ab omnibus enarratis invenio ſymptomatibus, præterquam tumore ad limites ligaturæ usque extenſo. Notabile ſimul hoc erat, totum pedem veſiculis ad inſtar nucum juglandium, ſero flavo turgidis, videre, non ſecùs, ac ſi ex cantharidum applicatione fuiſſent excitatæ, quos omnes forcipe diſſecare juſſi, ſub quarum una caro nigricans apparebat. Regio itidem, ubi morſu impetiverat puellam, tota ad duorum ferè Imperialium magnitudinem ſuggillata & nigricans conſpiciebatur, cui tamen per ſcarificationem facilè proſpiciebatur: pro tumore œdematoſo Epithema aperiens dedi non ſine levamine. Movebatur hîc quæſtio, annon per ligaturam à balneatore remotam venenum illud potuiſſet intercipi, ut in ſola commorſa parte remanſerit, nec ulterius ſe diffundere potuerit? Ad quod ego, poſthabito Galeni, à Fr. Redi laudato conſilio, ſanguinis circulatione ſtante, negativè reſpondi, immò pejora mala ligaturas tales inſequi edixi. Nam, ſi fortius ſtringitur, major ſanguinis ſtaſis & ſpirituum influxus denegatur, hincque gangræna & ſphacelus metuendus; ſin laxior ſtrictura, multò minus obicem ponet, quin mediante ſanguine totum corpus perreptet. Notandum ſimul, Camphoram reliquis Alexipharmacis omnibus palmam dubiam facere, quod ipſum aliquoties in tali morſu expertus, ſanctè teſtari poſſum. Tuum igitur ut judicium mihi reſcribas, officioſè peto.

SCHOLIUM.

UT *Excellentiſſimo Dn. Auctori* ſatisfiat, aliqua eſſe reponenda duxi. Ac *primò* quidem utique attendenda eſt inter

venena, tam intus hauſta, quàm foris per morſus, puncturas &c. accerſita, inſignis differentia, quæ curam oppidò quoque diverſam requirit. In genere videntur venena duplici ferè modo ſe habere, quatenus vel ſunt volatilia vel fixa; item, vel ſero, vel ſanguini, vel utrisque peculiariter infenſa. Mineralia videntur eſſe omnium fixiſſima, animalia pleraque volatilia, vegetabilia medio ſe modo habere: quin & operationes hinc venenorum variant, tum ratione temporis, tum ratione modi nocendi: Sic aliqua ſunt lenta, quæ mancipia Diaboli mille artifice ſuo manuducente; ad annos, quin menſes & dies temperare docta ſunt, aliqua citius ferè dicto perimunt: Alia rurſum ſanguinem & humores congelando, alia eosdem nimium ſubtiliando & in furorem perciendo: quæ ultima differentia heic plurimùm attendenda: Sicut enim iſta venena ejusmodi requirunt Antidota, quæ ſanguinem & ſerum cumprimis ab ejusmodi congelatione immunia præſtare valent; Ita hæc potiùs Condenſantia & Sedativa ſibi depoſcunt. Optandum verò, quod heic obiter moneo, ut *Toxicologia* è veris naturæ principiis eruta, orbi aliquando ſiſteretur, quamvis experimenta, quæ huc faciunt, periculo ſanè non careant. Serpentum item & viperarum venena morſu communicata Volatilium ſubire cenſum, eademque ſero, Salium ſuſceptori potiùs, quàm ſanguini inficiendo per ſe, apta nata, ob homogeneitatem Salivæ ſerpentinæ cum ſero, nemo, arbitror, inficiabitur: Hæc autem venena facultatem ſunt nacta, ſerum, illique affinem Lympham in Gelatinam condenſare, unde ſanguinis ſyſtaſis & fibræ ſolvuntur, ipſe congrumatur, ejus circulatio inhibetur, cum ſubſequa lethali ſuffocatione à quiete machinæ humanæ oborta, unde antecedanea & in hiſtoria recenſita ſymptomata. II. Videtur hinc Indicationum cardo in eo verti, ut medicamentis tum internis iſta ſeri congelatio præcaveatur aut inhibeatur, tum externis quoque eadem intercipiatur, Gelatina reſolvatur, & venenum, ſi poſſibile, evocetur. Quorſum propinata internè

Excell.

Excell. Dn. Auctoris medicamenta multum ſanè contulerunt, ſiquidem omnia ſeri coagulo impediendo, & ſanguini ab amurca quaſi præſervando aptiſſima. Cumprimis *Camphora, Sulphur illud vegetabile Excell. Borrichio in Act. Med. Hafn.* vocata, hîc meritiſſimo laudatur: quæ mirâ vi reſolvendi pollet, ipſa quippe facillimo negotio in oleum reſolubilis, & leviſſimæ adeoque & penetrantiſſimæ texturæ. Quis *Caphuræ* ſit uſus in peſte, febribus malignis, in ſtatu ſeri corrupto, & fatiſcente ſanguinis compage, vix Practicorum libri ſatis prædicare queunt. III. Quin & *ferrum candens* legitima methodo fuit applicatum. *Schmidius in Comp. Pract. p. m. 228.* poſt varia recenſita denique, nil æquè prodeſt, ait, ac cauterium actuale, modo non altius venenum ſubierit. Quin & *Matthiolus* jamjam in *Comment. in Dioſc. Mercurialis*, aliique docent, omnibus venenatis morſibus *uſtionem* valde prodeſſe, quod vim veneni domare valeat, vid. m. *Lang. Epiſt. 18. lib. 1.* ubi *Damocratem* Medicum veterem eleganter inter alia de uſtione commentantem adducit. Item *Corn. Celſ. lib. 5. cap. 28. Paul. Æginet. lib. 5. cap. 3. Aët. tetrab. 4. ſerm. 1.* Addit *Langius* inſuper cauſſam *l. c.* dum ait: Cauteria ſuâ virtute calorifera & ardente non tantùm noxios humores attrahunt, ſed etiam non rarò factas ex his collectiones aperiunt. Quæ cauſſa, licet ex antiqua penu petita, tamen haud adeò ab hypotheſi noſtra abludit. Per collectiones enim heic lymphæ coagulum petimus intellectum, quod uſtiones reſolvunt, motu hinc lymphæ reſtituto, & intereà veneni narcoſi intercepta, ut per glandulas ſubitaneas latiùs ſerpere non queat, inducto quaſi per uſtionem callo, quâ ratione Practicorum quoque obſervationes teſtantur, præſervatos nonnunquam inſultus epilepticos. IV. Emplaſtrum ex *Theriaca & Mithridatio* concinnè applicatum, ubi conſentientes plerosque Practicos habemus. Quamvis enim reperiantur, *Theriacam* & ſimilia imponere vetantes, quod venenum intrò pellere credant, reclamant tamen & ipſius *Galeni* & Medicorum ferè

 quo-

quorumcumque experientiæ ſuffultæ obſervationes. Hinc Theriacalia Pharmaca propriè talia dici notat *Excell. Hercules noſter Amœn. mat. med. lib. 2. ſect. 2. cap. 2. §. 1.* quod morſibus animalium debeantur; nec ea tantùm intrò ſumta, verùm etiam foris adhibita, quod ipſe habet *cap. 1. & 5.* vid. m. *Excell. Aretæum noſtrum Coll. anat. Lect. 42. §. 2.* *Theriaca* quippe nobile medicamentum reſolvendi vi maximâ pollet, communicatis inſuper ſero & vaſis capillaribus ſubcutaneis atomis ſuis alexipharmacis: ne dicam de attractione veneni, de qua nonnulli ex Naturæ genio, attractionis motum vix admittente, dubitant. Ubi per tranſennam quaſi noto, innocenter *Theriacam* à quibusdam modernis irrideri, ceu centonem quendam, & farraginem inconditam variorum ſimplicium, ubi fortè ſufficere potuiſſent eorum pauca ſelectiora. Novimus enim aliquos contractiori ejusmodi Theriacæ operam navâſſe, ſed medicamentum laudatiſſima Theriaca longè poſterius nactos eſſe. Hinc, quantumvis & nos parùm faveamus compoſitionibus iſtis decempedalibus, & nil minus, quàm Magiſtralibus, quales allegantur ab *Excell. Brunone Comment. in Jeſſen. de Judicio ſanguinis per Venæſect. emiſſi p. m. 115. ſeq.* ex *Zacut. Luſit. Brebitio* &c. *Theriacam* tamen, *Mithridatium* & hujuscemodi pauca vellemus excepta, quæ pote commendavit ipſa, & adhuc quotidiè commendat experientia: vide, quæ ipſe *Excell. Bruno* diſtinctione inter confuſionem & mixtionem aptiſſima de Theriaca ſentit *l. c. p. 139.* Sanè præter Theriacam famoſiſſimæ iſtæ Pilulæ *Greiffianæ*, *Theriacales cæleſtes* hyperbolicæ ſatis appellatæ, præſtant effectus non contemnendos, & laudabile medicamentum, modo pauperes ob ſummi pretii iniquitatem ab ejus uſu non excluderentur. Et quoque nobis *Theriaca Bezoardica*, quæ ſuo uſu ſe multum nobis eximio commendavit, ſequenti modo parabilis: ℞. *Herb. Scord. Mij. Rut. Mj. Rad. Angel. Zedoar. Helen. Carlin. āā. ℥jß. Petaſit. Valerian. Anthor. Pimpin. contrajerv. āā. ℥j. Cal. Arom. ʒvj. Myrrh. r. ʒvij. ℈j. Caſtor. ʒiiijß. Bacc. Junip. ʒx.*

Nuc.

Nuc. Moſch. Cinnam. ac. Caryoph. Arom. Cardam. min. āā. ʒvj. Croc. opt. ʒiij. Camph. ʒjß. Conc. & cont. affunde Spir. Vin. Juniper. q. ſ. F. ſ. a. Elixir, quod filtratum per MB. abſtrahatur ad mellaginem, cui admiſceantur Op. Theb. corr. vel Troch. de Viper. ℥ß. Flor. Sulph. Terr. ſigill. āā. ʒjß. Corall. r. præp. ʒiij. Margar. vel Matr. Perl. præp. ʒij. Lap. Bez. or. ℈j. Ol. deſtill. Zedoar. Angel. Caryophyll. āā. gutt. viij. M. F. Opiata conſiſtentiæ pilularis. Quid? quod *Tinctura Bezoardicæ*, compoſitiones utcumque diffuſæ, qualis eſt *Michaëlis*, officio non deſint: Et quamvis alii quodammodo contractiores parent, utplurimùm tamen multis ingredientibus conſtant & iſtæ. Eleganter prudentiſſimus *Sydenham. tract. de podagr. p. m. 44.* Quamlibet, inquit, quoties virtute ſpecificâ medicamenti cujuslibet opus eſt nobis, Regula tenet: *Quò ſimplicius, eò melius:* tamen, cum id habemus propoſiti, ut huic illive indicationi ſatisfaciendo ægrum ſanemus, ſingula ingredientia ſymbolam pro morbo curando quaſi conferunt: atque in hoc caſu, quantò major eſt ſimplicium numerus, tantò potentius medicamentum operabitur. Et paullò tamen poſt rectiſſimè in diffuſis medicamentis formas Electuariorum ad imitationem *Theriacæ Andromachi* reliquis præfert, ceu viribus præſtantiſſimam, *eò quod mutua ſimplicium confermentatio omnium virtutem adaugeat, quaſi aliquod Tertium progignens*, quod in conjunctis majorum eſt virium in pari quantitate, quàm in eorum quolibet. Non interim, quod ſupra jam monui, cauſſam eorum ago, qui *Decocta, Infuſa, Pulveres* &c. præſcribunt immenſa ſimplicium viribus inter ſe contrariis præditorum congerie conſtantes, dum v. gr. 6. 7. 10. vel plures herbas ad *Pug. j.* uni *Infuſo* deſtinatas reperias. Hæc enim, quia non confermentantur, nec tale mixtum tertium exſurgit, neceſſariò & ſemet invicem in operando impediunt, & fortè excitatis à calore noſtro particulis activis in corpore demum inimicam fermentationem cum patientis damno cient. Novi equidem,

quid

quid hisce meis regeri poſſit, ſed eſt fortè parata reſponſio. Quidquid ſit, exploratiſſimum ego habeo, contractiores Theriacas & Tincturas Bezoardicas corvos hiantes luſiſſe, *Theriacæ Andromachi* quàm longiſſimè poſtponendas. Quantum denique V. ad Quæſtionem: *Annon per ligaturam à Balneatore remotam, venenum illud potuiſſet intercipi, ut in ſola commorſa parte remanſiſſet, nec ulterius ſe diffundere potuiſſet?* Mallem equidem me cum *Excell. Dn. Auctore* per omnia conſentire poſſe; verùm, quando in ejusmodi rebus fucus omnis abeſſe debet, ingenuè, quid ſentiam effabor. Verum eſt atque certiſſimum, ligaturas forteis heic & alibi multum nocere, & quidem ex ratione ab *Excell. Dn. Auctore* allegata, nimirum, quod ob Spirituum influxum denegatum Gangræna Sphacelusque metui debeant. Exemplum notabile recenſet Fautor noſter *Curioſus Heliodorus ad Ann. VI. Dec. II. Ephem. Curioſ. Obſ. 167.* nimirum accitæ ob ligaturam æquo ſtrictiorem in fractura tibiæ gangrænæ. Vid. etiam *Scholion Illuſtriſs. noſtri Celſi ad Obſerv. 117. Ann. III. Dec. II. Eph. Cur.* ubi ex variis Auctoribus ſtrictioris juxta & laxioris ligaturæ noxas adducit. Et quia teſtimonio *Excell. Dn. Auctoris* Puellæ ſupra genu ligatura fortis injecta fuit, jam eſt in eo peccatum. Stricturam autem laxiorem, ſeu mediam potiùs atque decentem improbari poſſe non cenſeo. Id equidem ſatis verum eſt, eandem non usque adeò veneno poſſe obicem ponere, quin ſanguine mediante totum corpus aliquâ ſui parte perreptet: Enimverò, quandoquidem ſupra diximus, lymphæ potiùs & ſero, quàm ipſi ſanguini ejusmodi venena, per ſerpentum Salivam intromiſſa, nocere, cutis autem noſtra propemodum ipſa, modernorum invento, ſit glandula conglomerata, ſub ea minimùm numerus minutiſſimarum glandularum, lymphæ genitricum & diſpenſatricum innumerus reperiatur, eſt intellectu facile, ſtricta primò ſtatim poſt morſum intuitu corporis ſuperficie, quadantenus impediri poſſe motum veneni congelativi, ne poſſit latius per glandulas divagari; ſic enim lympha

iſta

iſta gelatinoſa ſubſiſtit quaſi intra terminos ſuos, reliqua manente fluxili: non interim negandum, à vaſis capillaribus ſubcutaneis hauriri tantillum toxici non obſtante ligaturâ, ſed illud quantulumcumque alexipharmacis internis debellare convenit. Eſt proinde planè incertum, annon, ſi Balneator laxata decenter ſtrictura, eam reliquiſſet, pes totus ad usque ligaturam unica quaſi veſica obductus fuiſſet, impeditis ſymptomatis reliquis, vel certè diminutis? Aut an veſiculæ iſtæ ſublatæ fuiſſent omninò intermiſsâ ligaturâ? Iſtud enim ſerum flavum in veſiculis contentum non aliud eſſe videtur, quam ſeri antea per virus congelati nova reſolutio, quod tamen ſerum Natura, quippe inimicum, propellere tentavit. Hinc ejusmodi ligaturas Veteres juxta atque Recentiores uno propemodum ore in canum rabidorum, ſerpentum item & viperarum morſibus commendant. E plurimis potiorum loco ſint nobis *Schmitz. Comp. Pract. l. c.* Primò omnium, ait, arcta ligatura ſuper vulnus injiciatur, ne venenum latius ſerpat: *Löberus, Anchor. ſanit. ſect. 2. Dialog. 8. de morſ. viper.* in principio ſtatim membrum ligandum eſt. Omnium autem inſtar volumus eſſe Bigam Medicorum ſelectiſſimam, *Exc. noſtrum Herculem loc. cit. cap. 1. §. 5.* ligaturas heic etiam locum habere dicentem, & *Exc. Aretaum l. c.* idem propriis à cane rabido demorſorum experimentis novem laudata methodo uſum; Tametſi fatear, me ante ſeptennium *Crailshemii* ſex à cane rabioſo, partim ſatis fœdè demorſos absque ligaturis curaſſe. Confer de hujusmodi morſibus *Ann. III. Dec. II. Obſerv. 69. & Ann. IV. Dec. II. Obſ. 65. Ephem. noſtr.* Item *Wizelii Diſſ. inaug. de morſ. & punctur. animal. Argentor. 1676.*

(*Oribaſius.*)

[*Miſſa Nordlingâ Norimbergam d. 15. Decembr. 1688. ad Periandrum.*]

OBSERVATIO CXLI.
D. MAXIMILIANI PREUSSII.
Hydrops Abdominis ſaccatus, cum Veſicæ ac Uteri defectu &c.

ELiſabetha, nata Banckia, trium ſucceſſivè Filiorum ex priore Marito Sutore, & totidem pariter Filiarum ex poſteriore, Johanne Hoppio, Piſtore Jutroſchinenſi in Poloniâ, ſine extraordinariâ, quantum conſtat, partûs difficultate, Mater, ultimo Maritorum ante duodecim præter propter annos defuncto, Jutroſchino Vratislaviam habitatum, &, ceu paupercula, laboratum ſe confert. Hìc verò undecimo, & dimidio ante obitum annis poſtquam hauſtulum vini (propinante omnibusque modis perſuadente quâdam Fœminâ non admodùm ipſi aliàs propensâ) bibiſſet, mox deſuper non ſolùm peſſimè circa ſtomachum & præcordia habet, ſed & nocte continuò inſequente, magnis cum doloribus per viginti quatuor horas durantem, ſanguinis variorumque liquaminum per alvum experitur fluxum, ſatis copioſum, domeſtico tamen ex ſpiris ſimilagineis remedio maturius iterum ſublatum. Ex quo, valetudinaria poſthac ſemper, raiò mingit, quin & anno inde exacto abdomen inſigniter ſibi intumuiſſe advertit, *tumore* æquali, *valdè tenſo, & digitis renitente,* ad monſtroſam tandem magnitudinem per integros octo annos adaucto, cum urinæ, toto octennii iſtius ſpatio, totali dehinc ſuppreſſione, & vicariâ interdum materiæ aquoſæ, inſenſibili tamen ipſi, ac involuntariâ ſæpè, dum ſtaret vel incederet, per alvum eruptione, magnoque inſuper corporis & inceſsûs (quamvis ſine notabili anguſtiâ ſpirandi) gravamine; digitorum quoque annularis & minimi, creſcente ventre, manifeſtâ atrophiâ, contracturâ & immobilitate; imò & reliqui totius, præter abdomen, corporis vividique ac Plethorici

rici anteà habitûs inſigni emarceſcentiâ; bono quamvis ſuperſtite ſemper appetitu, ſiti, & avidâ alimentorum aſſumtione, hocque ultimo præprimis decubitûs tempore, cùm biennio & dimidio ante deceſſum prædictis accederet, eamque lecto poſthàc prorſus affigeret Apoplexia ſatis vehemens, cum loquelæ maximam partem abolitione, & ſuccedente perpetuâ brachii ac pedis ſiniſtri paralyſi; quâ tamen durante, ſpatio primùm duarum vel trium ſeptimanarum ſubinde, poſteà verò ſæpiſſimè dies noctesque, parùm iterum urinæ viâ ordinariâ cum præſenſu emiſit, uſque dum poſt acceſſum catarrhi ſuffocativi, octiduo poſtremò cuncta & lotii & fæcum alvi excrementa, magno cum ſtrepitu, murmurationibus & motibus inteſtinorum inverſis violentisque, nec non fœtore putrido quaſi ac intolerabili, per vomitus frequentes excreverit, quibus denique extremùm exhauſta, vitam placidè finivit manè 5. Febr. Anno Chriſti 1688, ætatis ſuæ 77, viduitatis ultimæ 21, geſtatique ventris tumidi duodecimo. Factâ mox obitûs ejus intimatione, cùm caſus videretur rarus ac curioſus, corpus cultro anatomico, eodem adhuc die circa veſperam, ſubjectum fuit, præſentibus Pl. Tit. Dominis D. Godofredo Thiliſch, D. Johanne Jæniſch, Phyſicis, meque ipſo, nec non Chirurgorum Senioribus, Godofredo Scholtzio, Friderico Batelt, & Samuele Raſper, Chirurgo civitatis ordinario; ubi ſequentia, quæ communicamus, obſervare licuit:

Facto primùm exiguo per cutem Hypogaſtrii foramine, ſerum pellucidum, in ſummitate vaſis deinde pingueſcens, è cavo Abdominis emanavit ad 40. præter propter libras civiles; Aperto deinde toto abdomine, apparuerunt:

II. In cute Abdominis anteriore ejusque ſuperficie internâ hinc inde, ovi columbini magnitudine, hydatides, ſeu tumores pellucidi, candicantes, *ad tactum* (inſtar gangliorum circa articulos) *æqualiter duri, nil tamen, niſi lympham limpidiſſimam* ac fluidiſſimam, in tenui, ſed denſâ, pelliculâ continen-

tes, quæ, perforatis iis, uno quaſi impetu, ad libras duas univerſim, proſiliebat.

III. In dextro Hypochondrio excreſcentia, ſeu tumor magnus, ex rotunditate oblongus, totum ferè latus abdominis dextrum ejusque viſcera obtegens ac deprimens, *renitens digitis*, pellucidus aliquomodò, ac ſeparatim pendulus, peculiari tunicæ, ſatis craſſæ ac denſæ, fibrisque carneis & vaſculis ſanguiferis refertæ, incluſus, è latiori tamen baſi natus & adnatus coſtis ſpuriis ibidem; duas ferè ſpithamas longus, totidem craſſus, & unam latus, pendensque libras 20¼: qui apertus *ſimiliter nil niſi lympham clariſſimam*, tenuem ac fluidiſſimam, intus contentam, & tunc confertim erumpentem, exhibebat, adeoque ad tumores lymphatico tunicatos ſpectare videbatur, & talis formæ erat, qualis *ſub Lit. A.* delineata eſt.

IV. In Hypochondrio & latere abdominis ſiniſtro, coſtis hujus ſpuriis pariter adnatus, dextro ſimilis in omnibus tumor, & æquè magnus, niſi quod inferius appendiculam adhuc quandam, peculiariter circumſcriptam, haberet, 18½ in toto libras ponderaret, &, loco lymphæ puræ, cruentam ac turbidam, nec non aliquot fruſta maſſæ fibroſæ, è ſanguine ſimul extravaſato & congrumato concretæ, pollicum magnitudine intus fluctuantia, contineret, Figuram *ſub Lit. B.* depictam exhibens.

V. Hepar, lien, ventriculus & inteſtina cum meſenterio &c. parva admodùm, & partim ex inanitione, partim ex compreſſione à tumoribus prædictis enormibus, ad planam quaſi figuam redacta; Renes tamen naturalis ferè magnitudinis & conſtitutionis.

VI. Nulla verò veſtigia veſicæ urinariæ & uteri, propriè ac κατ' ἐξοχὴν dicti, deprehendere licuit, ſed vaginam ſaltem uterinam breviſſimam, in ſummitate firmiter clauſam & cum inteſtino recto coalitam prorſus.

VII. Seroſitates, dum ex cavitatibus prædictis veſperi emitterentur, ad lucem tunc ſplendentes & candicantes quaſi, manè ſequente, poſtquam per noctem ſteterant collectæ, admodùm flavicantes, ut tincturam quoque earum, hinc inde effuſarum, difficulter delebilem, in fundo hypocauſti cernere licuerit.

SCHOLIUM.

QUantò rariora in complicatiſſimo hoc caſu Phænomena, tantò difficilior eorum Ætiologia. Utut enim non obſcurum adeò, ex vini qualitate acido-acri, aliave, gravius irritante inteſtina, ortum primò eſſe fluxum alvi bilioſo-ſanguineo-ſeroſum, eoque per incraſſans domeſticum juſto citius fortè cohibito, ſeri, magis laxati rapidiusque jam commoti, in tenuiores partium internarum vaſorumque lymphaticorum tunicas majorem ſucceſſiſſe impulſum, accumulationem & ſtagnationem in illis; unde facilè contigit, ut, aliis earum magis magisque diſtenſis, aliis verò ruptis tandem, ſerum, partim in folliculos ejusmodi lymphaticos, partim in cavum abdominis fuerit collectum, quo dein ad partes urinæ excretioni dicatas non ſufficienter amplius, ac demùm prorſus non, delato, harum functiones ſenſim ceſſaſſe nil mirum eſt, ſupplente potiſſimùm earum vicem aliquomodò, materiamque inſuper eis præripiente, inteſtinorum jam ante gravius læſorum fluxu ſubinde alvino ſeroſo; unde nec aliter fieri potuit, quin ob tot ſeri, etiam nutritivo-ſpirituoſi, ſubductiones, cum appetitu alimentorum avidiori, atrophiæ nihilominus, initio particulares, mox & univerſales, nec non ſymptomata apoplectico-paralytica tandem acceſſerint, à quibus reſolutis quoque aliquatenus viis urinariis, & ſero ad ſpatii ulterioris defectum coacervato, acrique maximè facto, tum excretio iterum ſenſualis urinæ, tum diaphragmatis pulmonumque motus impeditus, ſuffocationum quaſi Author, tum &

ἄνω fortius ſtimulata inteſtinorum perverſa evacuatio, vitam deniq; exhauriens, enata eſt.

Sacculos verò lymphaticos modò prædictos ſpecialius quod attinet, aliquantò obſcurioris naturæ eſſe videntur. Præter adducta tamen de iis, ſtatuerim ego, novam eos ſpeciem tumorum tunicatorum, liquidiſſimæ ſcil. materiæ, ſeu lymphæ, conſtituere, Germanis Waſſerbeutel/ non ineptè vocandam; nilque aliud proinde eſſe, quàm hydatides certas, ſeu vaſorum lymphaticorum interſtitia quædam valvuloſa, à ſero ſeu lymphâ in quodam eorum loco glandulas obſtruente, ſicque intra valvulas, retroceſſum ejus impedientes, ſtagnante, per primam tamen ſcaturiginem ac valvulam ulterius ſemper influente, humectante, & (unà cum vaſculis ſanguiferis, cuncta, etiam minutiſſima vaſa, capillari formâ perreptantibus) nutriente ac incraſſante ea ſimul, in tantam amplitudinem ſenſim dilatata, imò quoque fulcita fortè ambiente & coalitâ quâdam membranâ aliâ, à partium membranis, intra quas lymphatica illa ſerpunt, communicatâ; non aliter ac Meliceridi, Atheromati & Steatomati, illorumque ſpeciebus, Nattis, Strumis &c. pro diverſitate partium diversè cognominatis, ſat ſæpè magnis, à cute nonnunquam ſimul cinctis, contingit, quæ & ipſa ſaltem hydatides ejusmodi præter modum ampliatas eſſe, ita ut una etiam in plures ſubindè cohæreant, vel ſe invicem includant (uti in ſiniſtro hìc latere unus ejusmodi ſacculus alteri, ſeu appendiculæ, continuatâ poſt valvulam interſtinguentem productione extenſioneque cohæſit) ex Recentiorum Obſervationibus in Colleg. Pathol. MS. P. general. Exerc. 3. §. 14. probabiliſſimè colligit Celeberrimus Bohnius, Prof. Lipſ. Præceptor olim & Patronus nunquam non ſuſpiciendus. De cætero parallel. Obſervat. cum uberiori Theoriâ de ſacculis ejusmodi lymphaticis qui deſiderat, adeat Ephem. German. Dec. II. Ann. I. Obſerv. 183. p. 425. & 434; nec non Dec I. Ann. IV. & V. Obſ. 166. p. 210; Quemadmodum ad me quoque ſimilem ferè quoad hosce caſum

7. Octo-

7. Octobri hujus 1688. Anni perſcripſit Excell. D. D. Becker, Phyſicus Provincialis Ducatûs Glogovienſ. ſummè meritus, Fautor & Amicus ſingulariter mihi colendus, de viro quodam in militari officio ac dignitate conſtituto, qui ventre tumido, ſcirrhoſam in hypochondriis duritiem habente, febreque lentâ, & vomitibus copioſæ ac nigerrimæ tandem materiæ, conſumtus, hincq; exenteratus, ſacculos quoq; ejuscemodi lymphâ refertos, cui minimæ inſuper veſiculæ aquâ plenæ innatarunt, ſub hepate & in meſenterio hinc inde exhibuit.

Omnium tandem maxima difficultas ſuperioris noſtri caſûs *in defectu Uteri & Veſica* hæret, utpote quorum antehac præſentiam partûs plurimi naturaliter prægreſſi, & excretio urinæ voluntaria, ſub ſtatu olim ſanitatis integra ſemper; Abſentiam tamen utrorumque, Extiſpicina in demortuâ, docuerunt. Et, licet naturaliter quoque apud plures, quæ multoties pepererunt, contractus & exiguus valdè conſpiciatur uterus; vaſaque umbilicalia, uſu in adultis ceſſante, quoad maximam partem, aut cavitatem certè, obliterentur; neſcio tamen, an, ductâ inde analogiâ quâdam, & uterum & veſicam, abolito diutiſſimè eorum uſu ſufficienteque hìc nutritione, à ſeri continuò magis hisce incumbentis acrimoniâ intenſiore penitus corrugata & conſumta fuiſſe; an verò, ob inſolitas prorſus apparentias hasce, & alia quædam ſuſpicionis fundamenta ac circumſtantias ſingulares, de perſonâ ſuſpectâ, dum Agonizantem ultimò viſitaret, à Liberis Ægræ notatas, incantationem inſuper ex parte latuiſſe, credendum ſit? Quod ipſum proinde acutioribus ingeniis dijudicandum, nec non conformem aliquomodò, ratione abſentis veſicæ, caſum in puellâ ſeſquiannorum, ex D. Kőnigii Regn. Vegetab. cap. 50. p.m. 175. 177, conferendum, lubens relinquo. *Hoc ſaltem in votis habuiſſemus,* ut, per ingentem cadaveris noſtri quoad intimiora fœtorem, hoſpitisque, exenterationi omnimodè reluctantis, impatientiam ac importunitatem, negotio huic diutius aliquantò immorari, adeoque & alia ac minutiora

quæ-

quædam, circa vaſa &c. inquirere licuiſſet, quò ſic plenior & accuratior omnium notatio relatioq; fuiſſet conceſſa; quo autem denegato, in recenſitis acquieſcere neceſſum erit.

Fig. XXXIII.

OBSERVATIO CXLII.
D. MAXIMILIANI PREUSSII.
Rarior ſpinæ ventoſæ conſtitutio amputatione feliciter curata.

VRatislaviæ 15. Januar. Anno Chriſti 1688. juſſu Incluti Magiſtratûs Inſpectioni meæ, & Godofredi Scholtzii, Chirurgorum Senioris, nec non Samuelis Raſperi, Senioris pariter & Ordinarii Civitatis Chirurgi, committitur Danielis Bugſchii, Pannificis, filiolus, quatuor annos natus, qui ſine causâ manifeſtâ ante annum tunc effluxum in medio ſiniſtræ manûs digito contraxerat dolorem punctorium inſignem cum tumore laxo & ſpongioſo, ſuccedenteque, ac junctâ dein ſemper, exulceratione profundâ, ichoroſam materiam è duobus in exteriore, & uno in interiore digiti facie, foraminibus continuè plorante, circa juncturam medii ibidem internodii cum primo, verſus Metacarpium ſpectante; quæ cuncta ſolis hactenus domeſticis externis à matre pauperculâ fuerant tractata.

Perluſtrantes ergò locum affectum, præter dicta modò, deprehendimus conſpicuam per iſta foramina intumefactamque inſigniter ſubſtantiam articuli oſſeo - cartilaginoſam ac ſpongioſam quaſi, nigredine & carie hinc inde manifeſtò jam notatam, quæ veram proin exhibebat ſpinam ventoſam, &, aliis fruſtraneis, de die in diem ulterius ſerpendo, cum periculo totius inficiendi, verſus Metacarpium ſemper magis extendebatur.

Conſi-

Conſilio igitur noſtro, Senatusque ac Matris-Viduæ conſenſu, præmiſſis præmittendis, ac potiunculâ imprimis confortante & præſervativâ, eâque cum externis excitativis ac roborantibus ſub & poſt operationem repetitâ, poſt reliquos digitos in volam reclinatos, benèque manui, à Miniſtro firmiter retentæ, alligatos, mediante ſcalpro exciſorio acutiſſimo (quale Arcularii einen Meiſſel vocant) in ſupernâ parte per malleum fortiter percuſſo adactoque, digitus ille carioſus, Baſi cuidam ligneæ (einem Klötzchen) impoſitus, propè juncturam cum Metacarpio, 20. Januarii per laudatum modò Samuelem Raſper ablatus fuit; ſanguine arcuatim proſiliente, per Crepitum Lupi cum Pulvere Stegnotico, Pulvillis multiplicibus & optimâ Ligaturâ mox cohibito, ſine ullâ Lipothymiâ aut Symptomate alio periculoſo ſub aut poſt operationem eveniente; Pueroque paucis dein externis digeſtivo-mundificativis, & conſolidantibus tandem, benedictione Divinâ clementer annuente, perfectè ſanato: Separatis verò per ſectionem partibus cutaneis à digito abſciſſo, primum & medium ejus internodium oſſeo-cartilagineo-ſpongioſum, circa juncturam mutuam inſigniter intumefactum ac inflatum quaſi, diſtinctim hinc inde perforatum, atreſcens ac carioſum, de reliquo autem maximam partem in fragmentula minutiſſima, cuſpides acicularum triangularium exactè referentia, redactum obſervavimus: indicio ſanè manifeſto, nutrimentum oſſis, omnium primò affecti, adeò acre cauſticumque quaſi factum fuiſſe, ut illud non ſolùm modo conſueto perforare, ſed & in minutiſſima prorſus corrodere ac diffringere valuerit, de quo ſuccinctè imprimis legi poteſt Petr. Marchett. in Obſerv. Med.-Chir. f. de Spinâ Ventosâ. Hoc ſaltem adjicio, pariter ac Rhachitides, ſic nec ſpinas ventoſas hodiè adeò raras amplius, ac olim, apud nos eſſe, cùm ne triennii quidem ſpatio in Noſocomio noſtro ad ſex ferè exempla earum notaverim, potiſſimùm in articulationibus carpi, genuum, malleolorum & digitorum pedis, cum totali corporis uni-

verſi emaciatione, & funeſto utplurimum exitu, nî per ſectionem articulus talis amputetur, aut cuncta fragmenta carioſa, quod tamen rariſſimè fit, ſponte ſecedant atque ſeparentur.

OBSERVATIO CXLIIII.
D. MAXIMILIANI PREUSSII.
Calculi veſicæ ſigna ſine calculo.

VIr quidam conſtitutionis carnoſæ, ſanguineo-bilioſæ, ut vocant, Mercaturæ & itineribus per Poloniam & Ruſſiam minorem deditus, variisque hinc Caſibus & Erroribus Diætæ, imprimis ratione Eſculentorum Salibus & Aromatibus abundantium, Potulentorumque generoſiorum & ſulphureorum valdè, ſubjectus, à juventute jam ſtranguriâ ſæpè afflictus, totali nonnunquam ſuppreſſione urinæ comitatâ, ita ut cereâ ſubin candelulâ, urethræ immiſsâ, illius fluxum redintegrare opus haberet; ingraveſcente nonnihil ætate corripitur Mictu frequente & doloroſiſſimo brevi ante & ſub effluxu, ſingulis ferè horæ quadrantibus aut ſemiſſibus ad ſummum, reiterato, urinæ ſcilicet paucæ, ſine interruptione vix cochlear unum vel alterum unâ vice excedentis, inſuper craſſæ, opacæ, pallidiſſimæ &, inſtar Lotii putrefacti, enormiter fœtentis, cum ſedimento copioſo albo, gravi, ad ignem diſparente quidem, ſine tamen Liquoris clareſcentiâ aut tinctiori inde Colore, juncto utplurimùm ſub excretione ejus Alvi ſimul fluxu aut conatu egeſturiendi, ac vice verſâ; & ſucceſſivè emergentibus quoque ſiti ingenti, cum variis ſtomachi Pathematis & Appetitûs diminutione. In hoc rerum ſtatu à variis variè hinc inde tractatus, ſine tamen levamine, per integrum & quod excurrit annum; tandem denuò Vratislaviam deductus, ad Ordinarium ipſi anteà Medicum, Excell. D. D. Thiliſch, Proto-Phyſicum Vratislavien-

lavienſem, Socerum meum Venerandum, recurrit, à quo, pro ductu ſignorum, Rationis & Experientiæ Viri-Senis profundiſſimæ, curatur methodo Calculi cum exulceratione Partium urinariarum, fruſtraneis tamen & hìc ferè omnibus. Ex Phyſicatu Frauſtadienſi Breslam vocatus ubi redii, Socer meus modò laudatus & me denique curæ huic, inclinante Ægro, tum adjungit, tum, aliis ſubindè diſtractus, ſubſtituit. Summo ſtudio ſingulas Morbi Circumſtantias examinavimus, cùmque, pro certitudine evidentiori, exploratio per Anum digito Chirurgi, aut Cathetere per Veſicam, denegaretur, nî & Calculum, certè tamen exulcerationem Veſicæ ſubeſſe autumantes, Ægrum potiſſimùm, præter alia, porrò tractavimus tum per acrimoniam ſeri attemperantia, Diuretica blandè abſterſiva, & Balſamica vulneraria, Emulſiones imprimis attemperantes & Terebinthinatas, tum per Laxativa leniter, & roborantia interdum, anodynaque interpoſita, ob juges potiſſimùm vigilias, quoniam noctu pertinacius ſemper urgebat Affectus; non omiſſis pariter externis attemperantibus, detergentibus vulnerariisque, per Injectiones, Fotûs &c. à Johanne Frantzio, Chirurgorum Seniore, convenienter adhibitis; ſed & ſic oleum operamque omnem perdendo. Poſtquam Malum hoc ultra annum & dimidium in toto duraverat, octo ſeptimanis ante obitum, uti olim ſub ſtranguriâ ſubindè factum, accedit aliquale in urinâ reddendâ impedimentum, brevi tamen iterum ceſſans, vel manuariâ operâ remotum. Nihilominus exhinc intumeſcunt & tenſivè dolent pedes, aſcendendo ſucceſſivè per femora ad Abdomen usque, foveasque ad digiti impreſſionem relinquendo, erumpentibus ſimul exiguis hinc inde Veſiculis in dorſo Pedum atque Tibiis, cum inſigni ardore, ruptione ſpontaneâ, exulceratione que tandem & gangræneſcentiâ quaſi; Topicis tamen requiſitis maturè iterum ſublatâ & à progreſſu impeditâ, utut reliqua cum Affectu ſymptomata in antiquo Tenore perſeverarent, adeò denique ex parte aucta vel exacerbata, ut, ob

dolorem Pubis intenſiſſimum ac inenarrabilem, continuos per plures dies miſerandosque Æger ederet ejulatus, cum alienatione Mentis aliquali, dehinc Paralyſi Lateris ſiniſtri, & Motibus ultimò convulſivis die 2. Aprilis An. 1686; quo ipſo & miſerè de vitâ deceſſit, completis ferè ætatis 60. annis. Exanimatum Corpus cultro anatomico à nobis ſuprà memoratis Medicis & Chirurgo ſtudiosè fuit apertum examinatumque, ut pateret manifeſtius rebellis & intricatus hicce Morbus ſuâ cum causâ; nihil tamen de cætero ſingulariter notabile aut p. n. extraordinarium reperimus, præterquam Renem ſiniſtrum ſolito nonnihil majorem, dextrum è contrà parvum & emarcidum valdè, utrosque verò, unà cum Veſicâ urinariâ, ſine Calculo Sabulove ullo, niſi quod Veſica in ſuperficie internâ, tum tota nigricans & ſphacelata quaſi, tum regione illâ, quâ Inteſtinum rectum ipſi ſuccumbit & connectitur, leviter intus excoriata exulcератave conſpiceretur. Ex quo eluceſcere puto, prædicta ſuperius ſigna, & imprimis Mictum doloroſum cum egeſturitione ſimultaneâ per alvum, ac vice verſâ, contra communem quamvis Doctrinam, non eſſe pathognomonica Calculi Veſicæ, ſed & ſoli Veſicæ, & Anum conſenſualiter afficientis, Vellicationi ſpaſmodicæ, excoriationi, exulcerationive, interdum communia; qualem certè Morbum, ſub Dyſuriæ ſpecie ſuprà inſinuatum, fuiſſe, nunc patet, ex ſeri urinoſi, diutius ſubin' retenti ſuppreſſivè, ſummâ haud dubiè acrimoniâ, ob præintimatam conſimilem Diætam &c. cum omnibus ſymptomatis ſuprà adductis facilè hinc deducendis, ſucceſſivè ortum & firmius impreſſum; analogum fortè aliquomodò Affectui harum partium ſcorbutico, à Drauitzio ſub vulgari nomine Bieber deſcripto in Tractatu Vom ſchmertzmachenden Scharbock T. 9. p. m. 369. 370. 376. &c. item 379. 380. Cui conſimilem ferè caſum expertus eſt, perque diuturnum Lactis bubuli, in juſculis potiſſimùm quotidianis, uſum & abſtinentiam à Vinis acidis cunctisque acribus & ſalſis, feliciter curavit in altero caſu præmemoratus

Excell.

Excell. D. Becker, juxta Literas 2. Januar. A. 1687. ad me exaratas; uti & ego, Dyſurias ejusmodi ſimili ferè modo per abſorbentia, antiſpaſmodica, & Lacticinia tum interna, tum externa, optatò me curaſſe memini.

[*1688. 18. Decembr. Vratislaviâ Auguſtam miſſæ.*]

OBSERVATIO CXLIV.

D. GEORGII HEINTKE.

Epilepticus Concionator & Cantor.

PErluſtranti mihi annum priorem Ephemer. N. C. in conſpectum venit obſervatio à merentiſſimo de arte Medicâ Lentilio conſignata, de miris ſymptomatibus in Virgine Epilepticâ; & Curioſiſſimi Rommelii de Epilepſiâ, viſa & audita, etiam ſecreta revelante: hinc anſâ hac datâ in memoriam revocavi Epilepticum Juvenem Vratislaviæ-Sileſiorum ante aliquot annos curæ meæ concreditum, quem in confirmationem ſuperius allegatarum Obſervationum non ineptè forſan hic ſiſtam: Hic mercaturam ſequens, diætæ inordinatæ deditus, inſigniter Hypochondriacus & obſtructionibus alvi frequenter obnoxius, à rigidâ Brumâ circa pedum digitos adeò læſus fuit, ut ungues tandem bini, ni fallor, ad minimum unus tandem abſceſſerit. His ulcuſculis fortè præpoſterè ſanatis, Juvenis evadit atrociter Epilepticus, ut ferè quandoque ultra poſſibilitatem jectigationes in arcum contorquendo corpus, circumvolutiones & inflationes pectoris ingentes, quaſi jam jam ſuffocandus, ſubierit. Mœſti Parentes & Agnati, primùm faſcino hæc cuncta adſcribentes, diu Eccleſiæ precibus Clinicum commendarunt, donec ego advocatus ſcrupulum hunc, circumſtantias probè dijudicans horum Tragicorum ſæpius ſpectator, eis eximerem. Finis paroxyſmi Epileptici, antequam nempe ad ſe redibat, utplurimum talis erat: Incipiebat ſcilicet per dimidiam vel qua-

 dran-

drantem horæ perorare, de peccatis intermittendis, de cœleſti vitâ, de precibus haud negligenter fundendis, deque aliis rebus ſacris, adeò concinnè & clarè ſive perſpicuè, ut niſi hæ ſermocinationes captum ſive intellectum iſtius hominis transſcendiſſent, de induſtriâ ſeu à vigilante eas proferri credidiſſem. Interdum hymnos cantare, modò preces habere in longum temporis intervallum ſolitus fuit. Denique laſſus & enormiter ſudans, ecſtaticus quaſi quievit. Non rarò iracundia, cui admodum deditus erat, in ejusmodi tragœdiam præcipitabat miſellum; haud obſervatâ ſtatâ periodo, & ſine reminiſcentiâ ſub paroxyſmo actorum. Tandem tamen, auxiliante DEO, uti ab his ſymptomatibus, ita ab ipſo morbo eum liberavi, vomitoriis præcipuè & balneis, juxta cum aliis antiſcorbutico-hypochondriacis remediis in uſum vocatis. Utrum verò ſolùm à conſolidatis iſtis continui-ſolutionibus ſeu læſionibus ſubortus fuerit hicce affectus, in medio relinquo. Anſam exin datam fuiſſe nullus ambigo, obiter annotans, quòd laudatam Vratislaviam fœmina, forſan adhuc in vivis exiſtens, incolat, quæ ex ſectâ excreſcentiâ carneâ ſeu ſteatomate ſublato poſt obductam cutem viſum amiſerit. Adeò malè interdum naturæ excretionibus curâ non ſatis providâ conſulitur. Cæteroquin Juvenem etiam novi, qui febricitans non æſtûs tempore, quô potiùs ex debilitate dormituriens tacuit, ſed ſub rigorem convulſiones minutas aliàs æmulantem præter captum hominis aptè concionari, quotiescunq; paroxyſmus recurrebat, ſolitus fuit.

OBSER-

OBSERVATIO CXLV.
D. GEORGII HEINTKE.
Vinum Franconicum in febre petechiali innocuum.

ID quod Excell. Dn. D. Acolutho Amico & quondam Collegæ exoptatiſſimo Obſerv. 169. Dec. II. Ephem. N. C. Ann. IV. de potu Vini Rhenani in malignis morbis aſſerere libuit, & induſtrio ſanè Chriſtiano Franciſco Paullino in Obſervat. Medico-Phyſicis Obſervat. 49. de Vino rubro in morbillis & febre malignâ innoxio adſtruere volupe fuit, liceat & mihi in febre petechiali de Vino Franconico paucis confirmare. Cùm in præterlapſi anni menſe Auguſto dyſenteria Epidemia noſtrâ liberam Imperii Civitatem valdoperè deturbaret, & ob illam multis parvulis funeſtam, ætate provectiori gaudentibus ſatis exitioſam ſtragem à Nobiliſſimo Ampliſſimoque Senatu Noribergâ ad Phyſicatum Ipſorum obeundum vocatus eſſem, Vinum rubellum Franconicum ab adultis & pueris ſine omni noxâ me connivente primùm, poſtmodum ſuaſore hauſtum fuit. Circa eundem anni currentis 1688 menſem (Pomona licet affatim libera in ferendis fructibus) ſatis tranquillus ſtatus, præſertim ratione Dyſenteriæ fuit. Interim Morbona minus feriata eſt. Inter alia acceſſit aliundè ſocius quidam non ritè valens adque Civem divertens noſtrum ædibus admodum periculoſum intulit contagium, Primò namque adoleſcens quatuordecim ferè annorum lethaliter affectus fuit, deſperantibus propemodum omnibus adſtantibus de ipſius vitâ. Mox in ordine ſecuta eſt Materfamilias, quæ cum omnibus ſignis in febribus petechialibus aliàs præſentibus proſtrata jacuit. Tertiò Maritus ejus deprehenſus, cui, cùm in morbi principio ſtatim adeſſem, ſine morâ vomitorium blandum porrexi, & indicationibus ſic poſtulantibus venam in pede

ſecari

ſecari curavi, hinc Bezoardicis aliisque conducentibus ſtipatus, ſectis etiam venis ſub tumente linguâ morbo obviam ivi. Hic præ cæteris delirans ante eruptionem exanthematum malignorum aliquando ſolus relictus circa veſperam ex ſuperiori contignatione per ſcalas in atrium domûs, hinc in cellam ſe confert. Accedens Chirurgus rationem colli habiturus ob ægrotum circumſpiciens, eum manibus & pedibus, ut ſic loqui liceat, ob vires deficientes è cellâ prorepentem cernit. Ex quo non parùm perterrefactus illum propter debilitatem grandem difficulter ad priſtinum deducere valuit lectum, huic affixus & ad ſudandum diſpoſitus non multò poſt ingentem farraginem macularum malignarum in pluribus corporis partibus conſpiciendam præbuit. Juvi naturam per Veſicatoria in carpis manuum poſita, aliaque quæ cæteroquin genuina dictitat methodus, ſubminiſtravi, interpoſito apud omnes Vini uſu noſtratis, nullum penitus nocumentum exinde obſervans, ſed cunctos per DEI gratiam ad ſanitatis portum perducens.

[*A. 1688. d. 16. Dec. Windshemio ad D. Præſidem miſſæ.*]

OBSERVATIO CXLVI.
D. GEORGII HANNÆI.
Anethum Anti-Venereum.

ILlicitæ Veneris ſuſcitabula pretiò & precibus redimunt ſæpè à Pharmacopœis Aphrodiſiaſtici Satyri impuriores; digniſſimi, quorum libidinem haud ferendam, non contumeliis modò, ſed etiam Pharmacis ſuis occluderent Medici. Nec opus erit à Saturno, difficulter exorato, mutuari peſſulum, Cypriæ obdendum Deæ; cùm diobolare nobis Flora Anethum porrigat, avarâ nequaquam præcerptum manu. Hujus vim carminativam ſuſpexêre jampridem Medentes; imò & facultatis Anti-Aphrodiſiaſticæ conſcii fuêre nonnulli!

ſed

ſed intùs, ſed ſæpiùs propinandum cenſuerunt Anethum. Ipsô quoq; Macro teſte:

> *Aſſiduè bibitum, viſui nocet. Et genitale*
> *Claudit iter, ſiccans humorem Seminis intus.*

Verùm, en novam Veneris fugam, protelante eandem uſu Anethi externo! quam mihi detexit Juvenis Generoſus.

Hic ex equo, cui inſidebat, defluxerat in terram, tantô impetu, ut alterum penè effregiſſet brachium. Senſit poſteà per vices in brachio dolorem moleſtum, donec inviſa ſe proderet Atrophia. Suaſit huic opponendam *Aquam Anethi*, neſcio quis; eâque, ceu grato unguine, morticinum manè & veſperi perlevit membrum, aliquot ſeptimanas, cum inſigni εὐφορίᾳ. Sed quid fit! cùm extra oleas vagari aſſuetus, in caſtris Veneris explicuiſſet vexillum, ſenſit cum ſtupore (quam præpilatam ſperaverat,) haſtam, fractam, marcidam, & impotentem, langueſcere planiſſimè. Nec rediit ad ſuetum vigorem, antequam nuntium mitteret Anetho, ſuo tam proficuo brachio, quàm detrimentoſo Priapo.

OBSERVATIO CXLVII.
D. GEORGII HANNÆI.
Ventriculi vaga intemperies, lethalis.

M*Orbos Intemperiei*, diſpeſcunt communiter Medici, in illos, qui infeſtant *ſine Materia*, & eos, qui torquent *cum Materia*. Sed explodit, non ſine ratione, hanc diſtinctionem Excellentiſſ. Dryander; *Intemperiem ſine Materia vulp-anſerem ſalutans*, in ſua doctiſſima Paræneſi ad Diſc. occ. circa Inſtit. Medic. emend. p. 123. Vix enim, niſi ſolo rationis luſu, inveniemus Intemperiem, corpus ægrotum ſine ullo affluxu humorum affligentem. Nec ſine Materia fuiſſe Ventriculi Intemperiem credidero, vagam mihi dictam, utpote modò calidam, modò frigidam, quâ

laborabat Strenuus apud nos militum Anteſignanus Major, hoc ipsô Annô, Nauſeâ, Ructibus, Ardore, Siti, Vomitibus, Anorexia, imò & Agrypniâ, immane quantum vexatus. Ego, ratus hæc Symptomata ab inimica oriri fermentatione, excitata inter Bilem vitiatam, & glutinoſam Pituitam, ventriculi incruſtantem parietes internos; ſub initium curationis Præcipitantia adhibui, quæ Ructus compeſcuerunt auſpicatò. Subjunxi his Stomachica temperata, interna & externa; verùm, auctus, unà cum Siti, Ardor internus, confortantem & refrigerantem elicuit Emulſionem, quam pulchrè retinuit dehiſcens Stomachus. Ubi autem, vel me renuente, juſtò largiùs hâc ipsâ, per dies aliquot, ſe invitaſſet Emulſione; alvum, anteà ſatis benignam, ignaviorem reddidit, unde hoc carere juſſus refrigerio, calore interno arſit denuò, donec Bezoarticis maritatus Lapis ille Indicus, quem *Pedro de frige* vocamus, φλόγωσιν iſtam reſtingueret commodùm. Tum cæteras hujus Hydræ fauces, Nauſea, Vomitu & Anorexia horridas, frangere aggreſſus ſum Acidis, Amaris, Aromaticis, jam Pulverem, modò Elixiriorum, nunc Mixturarum propinatis formâ, ut Virum optimum liberarem; ſed lites ſerebam ex litibus, neque citiùs unum occluſeram pſeudothyrum, quàm alterum reſeraſſet ventriculus. Decreveram aliquoties ipſi vomitorium exhibere, ſecuturus monſtratam à natura viam; ſed deterruerunt me vires languidæ, & ætas ingraveſcens. Ita, vomitans ſubindè, aliquot traxit ſeptimanas, exulante Appetitu, ad diem 7. Junii, quo ſubſtitit & Vomitus & Alvus. Paruit tamen Clyſteribus Alvus, & excitata ſuum fecit officium, Caput autem leviculum temerabat Delirium, ad terminum mortis usque protractum. Die duodecimo vellicabamus immemorem ſui novô Enemate, ſed frivolô ſucceſſu. Cùm verò idem die decimo quarto tentaretur, totum ejulatibus opplevit æger triclinium, ſanctè aſſerens, ſe, præ dolore ſedis, Clyſteres nec velle, nec valere admittere. Ab eo tempore obſtructum inferius guttur, Stomachum ad vomitus

con-

continuè ſtimulavit, adeò indeſinenter, ut nihil biberet, quod eodem non ſtatim revomeret momentô, donec huic tragœdiæ finem, cum vitæ pauſa imponeret, dies 19. Junii. Imò, & hoc memoraſſe oportebit: quod ubi Agrypniæ, ſub initium morbi diutiùs protractæ, Soporiferum hocce rogatus opponerem, utut ſatis innocuum; (℞. Spec. Diambr. c. Moſch. Diamoſch. dulc. compl. āā. gr. v. Sacch. albiſs. ℈j. Laudan. Opiat. gr. ij.) tam periculosè laboraverit ægrotus, ut à limine fatorum propiùs abfuiſſe videretur, usque dum cor refocillantibus excitatus Remediis ad ſe rediret pleniùs.

OBSERVATIO CXLVIII.
D. GEORGII HANNÆI.
Tuſſis Periodica.

SOlis olim *Periodis ſuperbiit Febris*, veteribus Medicis crucem figentibus, tantumque ſibi ſoli reſervavit Privilegium, quaſi cum ipſis clepſydris de horarum certatura juſtitia. Hodiè verò & aliis morbis hoc ſuum jus ceſſit, iisque tantum indulſit, ut *Hemicraniam Periodicam*, *Diabeten Periodicam*, *Hæmoptyſin Periodicam*, *Singultum Periodicum* obſervaverint noſtri ſeculi Machaones. Ipſemet curatam à me, ante Annos aliquot, *Epilepſiam Periodicam* deſcripſi pleniùs, in meo Mercurio Apollinari, Centur. I. Epiſt. LVI. Imò, & hoc Anno, *Tuſſim Periodicam* in Nobiliſſimo & Experientiſſimo Socero meo, Dn. D. Chriſtiano Henrico Luja, obſervavi; quæ ad horam undecimam veſpertinam, quaſi vocata, adfuit quavis nocte, per binas ſeptimanas, nec deſiit moleſtâ concuſſione corpus per integram horam obtundere, donec tandem concitatô valediceret vomitu. A capite deduxit primùm hujus Tuſſis exploſa tormenta laudatus Podalirius; ſed quamdiu capiti medebatur, quaſi Reduvias curare viſus eſt, & muſcas venari. Decrevimus itaque halitus acido-

acres, poſt Concoctionem ebullientes, has ciêre turbas. Atque ad hanc διάγνωσιν præſcripta Mixtura, è Spiritûs Rorismarini, Eſſentiæ Stomachicæ, & Elixirii Pectoralis, pondere æquali, demulcebat Tuſſim ſuaviter, & debellabat egregiè, poſtquam hujus guttulas 15. manè & veſperi in Vino Malvatico aliquamdiu pitiſſaſſet longiſſima vita digniſſimus Medicus.

OBSERVATIO CXLIX.
D. GEORGII HANNÆI.
Antipathia Virginis, cum Baccis Cynosbati.

EXercet in *Cynosbatum* inexſtinguibile odium Virgo mihi benè cognita, tam rarô Antipathiæ documentô, ut, nec lædens, nec læſa, (cùm aliàs in alteram partem faba tantummodò cudi ſoleat,) de triumpho inſolentiùs gloriari poſſit. Mirum! quò arctiùs coëunt exitiali furentes hoſtilitate; eò acriùs, eò conſtantiùs armis arma pulſant. Nec pugna, credo, niſi divellerentur, abſiſterent; antequam altera pars proſtrata fatiſceret planiſſimè. Certè, Cynosbatum ſuis Baccis fœcundum, in hortis non aſpicit amabiliùs, quàm ſi eſſet caput Meduſæ, Anguibus crinitum. At, eodem jungantur hoſpitio! & *peribit Virgini Calor, Baccis Color.* Diverſabatur aliquando hæc Virgo in camera, ubi capſulam habebat Illuſtriſſima Comes, variis repletam conditis; intra quam hæc etiam à Comite juſſa & fictile Baccis Cynosbati conditis repletum aſſervare. Sed quid fit! *Virgo noctem inſomnem, Animi interſtinctam Deliquiis, ducens moleſtiſſimè, ſudat, friget, horret*, neque latum unguem à nocte abeſt perpetua. Intereà, æquabiliùs, aut magis ad votum, non aguntur res Baccarum! *illæ enim intra obſeratum clauſtrum fermenteſcunt maniſeſtè;* &, vel prælio paratæ, vel fugæ, *chartaceum, quô te-*

cte-

cta erant, *rumpunt operculum*, quaſi extra hoſtilia ſe provoluturæ pomœria, imò, *aliò translatæ quieverunt commodùm*. En Magnetiſmum, non Amore, ſed Odio prægnantem! Ego puto exhalantia utrinque Effluvia, ſibi invicem ferale contrariantia, viſcera adverſarii actutum petere, plurimosque ibidem concitare tumultus.

OBSERVATIO CL.
D. GEORGII HANNÆI.
Lienis mutilatio indemnis.

DIſputatum eſt hactenus inter Medicos acriore contentione, *de Liene*; utrum hic tutò poſſit, & ſine vitæ periculo exſecari, nec ne. Aliis affirmativam, negativam aliis defendentibus ſententiam, quas curâ collegit ſedula Experientiſſimus Tilingius, in ſua eleganti Anatomia Lienis, p. 419. ita tamen, ut iis ſe prudenter aſſociet, qui facere id nolunt hodiè, cujus ipſos pœnitebit poſtridiè. Sed litem, vel conſopitam, vel ſileri cœptam, renovare videtur Obſervatio hæcce. Bini in hac mea Patria diſcordes Ruſtici veniunt, ſuperiore Anno, à verbis ad verbera! neque vapulandô ceſſatum eſt priùs, & verberandô, quàm alter in latus ſiniſtrum alterius defixiſſet capulo tenus cultrum, eodemque extractô tam latum feciſſet foramen vulneris, ut foràs proſpiceret ſauciatus Lien. Utrum presſerit, an verò neglexerit, dolorem biduo, vulneratus iſte, incertum eſt; *certiſſimum verò illud, quod propendulam Lienis portionem, cum palmæ certantem latitudine, maſculè detonderit Chirurgus*, ſuæ Artis tyro & rudis, atque ſatis oſcitanter obligatum dimiſerit ruſticum. Interim convaluit hicce, jacturam mutilati Lienis hodienum negligens, ceu ſarcinæ, nihil ad ſe pertinentis.

OBSERVATIO CLI.
D. GEORGII HANNÆI.
Roriſmarini fabrica, in Microſcopio examinata.

OBſervavi, cum inſigni voluptate, Microſcopiorum beneficio, Roſmarinum, recens decerptum, in ſuperiore foliorum ſuorum facie, non æqualem habere ſuperficiem, ſed innumeris aſſurgere prominentiis. Quas, modò veſtiunt infinitæ bullulæ, minutiſſimæ, pellucidæ, &, ubi Soli obvertuntur, quaſi inauratæ; modò, gratâ picturâ diſtinguunt ſparſa hinc & inde leuconica tomenta, ceu pili albentes. Inferior pars foliorum, magis hirſuta, totidem hiſcit cavernulis, quot variat ſuperior colliculis; apparentibus, non ſolùm in limbis aut marginibus vallecularum, ſed & in foſſulis ipſis, belliſſimè transparentibus globulis, limpidiores æmulantibus guttulas. Pendent, nî omnia me fallunt, à ſe invicem hæ ſphærulæ, & mutuô nexu cohærent ita, ut, per ſuperiorum porulos, in cavitates inferiorum, nunc rectâ, nunc obliquâ, ſe inſinuet lumen via, unde hîc terminantur, qui illac transmittuntur viſivi radii, Colorum optimi & teſtes & arbitri. *Sed de his agam fuſiùs, in mea Libanotidographia Lib. 3. Cap. 1. Roſmarinum Erudito exhibiturus Orbi.*

OBSERVATIO CLII.
D. GEORGII HANNÆI.
Cephalalgiæ Curatio per tonſuram.

RAſuram Barbæ ſuæ nimiô, ante aliquot Annos, redemit impendiô Monachus ille, (cujus meminit Celeberrimus Segerus, ex Auctoritate Experientiſſimi Boksbarteri,

barteri, Barth. Epiſt. Medic. Cent. 3. p. 275.) qui, quoties Barbam raderet, Viſum amiſit; miſerrimus futurus, niſi hunc novô recepiſſet aucupio, quoties illam prolixiorem aleret. Tonſuram Capillorum feliciùs celebrat apud nos Generoſus quidam Dux militum ſuperior, qui *Cephalalgia cruciatus diuturna*, caſu potiùs quàm conſiliô, *detondendos curavit cervicem obſidentes capillos*, quâ datâ portâ ſe proripuit Cephalalgia. Redit tamen, quoties ibidem ſuccreſcunt capilli; ſed eodem feliciter abigitur aſtu, diſſipatis ſcilicet in tranſitu, Caput cæteroquin turbaturis, halitibus. Imò, vidi cum voluptate, circa hanc fortuitò adornatam Capitis ſentinam, manifeſta Naturæ ibi ſe exonerantis, quaſi per ſat commodam antliam, indicia; cùm iidem capilli, quos ſæpiùs incurſat irrequietus forpex, caneſcant longè albidiùs, quàm illi, quos cætera Capitis regio nutrit.

SCHOLIUM.

Cùm in hac Obſervatione mentio fiat abraſionis pilorum, oculis laborantibus noxiæ, cujus cauſam Cl. *Segerus* in diurnum diætæ vitium conjecit, quo ſuccos peccantes in capite cumulârit, qui barbæ creſcenti in nutrimentum ceſſerint, Excell. etiam *Bartholinus* de hiſtoriæ veritate dubitâſſe ferè videatur, an caſus fictus ſit vel verus, dicere non auſus; aliter rem ſe habere, hoc loco notâſſe juvabit. Non tantùm enim hiſtoriam veram eſſe, iteratò in literis, An. 1668. d. 12. Jul. ad *Dn. Parentem* meum ſcriptis, teſtatus eſt vir eruditione & integritate commendatiſſimus, *D. D. Boxbarterus*, ſed etiam vitioſæ diætæ culpam imputari non poſſe regeſſit, cùm Monacho illi lautè vivere datum fuerit, nec ſtrictiorum Ordinum rigorem obſervare neceſſe habuerit. Ubi tamen alium etiam Monachum ex Auguſtinianorum Cœtu Ulmæ ſe nôſſe addidit, cæterà ſanum Juvenem, 25. annos natum, qui & ipſe lautâ menſâ uſus, debilitate viſûs laboraverit, & contrario effectu, quoties crines ſub alis radere curaverat, rectiùs viderit,

derit, quoties verò creſcere permiſerit, obſcuriùs. Mihi ſi quid conjicere liceat, diverſitatis hujus in effectu cauſam in cutis diatheſi conſiſtere, dicendum videretur; ita ut ſenſibilioribus ex fibrillis cutis ſi conſtet, à novaculæ raſione, (quæ *Herculani* judicio, quem *Joh. Bapt. Sitonus* in *Miſcell. Med. Curioſ. tract. 13.* citat, dolorem quendam infert, aërisque injuriis cutem exponit, & juxta *Hugonem Senenſem* apud *eundem*, eſt ſicut quædam dura fricatio,) eædem irritatæ, accedente inprimis aëris externi liberiori ob remotos pilos incurſu, ſeſe contrahant, ſicque humores per cavernas pilorum exituri alio in loco ſeſe effundant, oculosque invadendo viſui noceant; prout viciſſim cutis fibrillas non adeò ſenſibiles nacta contractionem iſtam pati haud cogitur, unde humores, turbarum anteà in capite autores, liberiorem exitum invenientes, illud à malis perpeſſis liberare valent.

[L. Schröck, L. f.]

OBSERVATIO CLIII.

D. GEORGII HANNÆI.

Aquæ Reginæ Hungariæ Abuſus.

PErilluſtris Baro, Heros Generoſisſimus, Colicis ſæpè expoſitus doloribus, poſt eſum Raparum, ventris inter cœnandum, exagitabatur torminibus, in Colicam deſinentibus. Hanc diſpulſurus, Aquam Vitæ Carminativam in auxilium vocare decrevit; ſed à conſimili deceptus lagena, largum Aquæ Reginæ Hungariæ hauſtum abſorbet. Dolum obſervans, confugit ad Pilulas Francofurtenſes, quas Colicæ ſuæ, ceu Anchoram ſacram, opponit fidentiùs, ab iis, ut affirmat, nunquam deluſus, licet ego hanc methodum medendi in dubium ſæpè vocaverim. Diſparuit ſub noctem Colica, ſive errori parens, ſive conſilio! ſed pacatos actutum ulciſcebatur ventos *Calor febrilis intenſiſſimus, & totius corporis*

poris ineffabilis Pruritus. Sic ſcalpendi libidine indeſinenter pruriens biduum exarſit ſeptuagenarius Heros, donec ego, cui ſuam & Aulæ ſuæ commiſerat ſanitatem, ab itinere redux, Diluentibus & Præcipitantibus, intra gyrum octidui à primo inſultu, tædioſum utrumq; abigerem Symptoma.

OBSERVATIO CLIV.

D. GEORGII HANNÆI,

Dyſenteria Biennis Curata.

MIlitem gregarium corripuerat, ante biennium, damnoſa *Dyſenteria*, invaleſcens adeò, ut quovis die naturali decies vel undecies illa corporis parte loqueretur miſer, ſuper quam ſedebat ægerrimè. Huc autem (quò ſolus iret,) nunquam deſcendebat, niſi ventris acerba præmonitus lancinatione; nunquam inde revertebatur, niſi effuſi cruoris relictô vadimoniô. Ita diu multumque maceratus, & à Chirurgis officiosè excarnificatus, poſt moram ſeſquiennii, & quod excurrerat, ad me transmittitur, ergaſtuli detrimento quàm ſimillimus. Eluſit per aliquot menſes omnem operam medentis fœdus hic morbus! licet quavis ſeptimana aliquot Clyſteres lenientes à Chirurgo injicerentur; Purgantia leviora ſubindè à me propinarentur, alterantia externè & internè applicarentur; tamen contumaciæ ſcutum divæ Hygieiæ oppoſuit mordicùs. Nec licuit tam refractarium calcitronem aliâ viâ ad obſequium cogere, quàm longâ patientiâ, & curâ ſolerti! equos namque domare, non jugulare, efferos convenit. Primam jugum excutienti habenam injecit Eſſentia, quæ mihi frequenter in uſu eſt, Stomachico-Polychreſta. Hujus uſus continuatus Aſthma commitigavit, Laſſitudinem abegit, Appetitum reduxit, Sitim exſtinxit, compeſcuit ventris murmura, & dejectionum alvinarum numero aliquid ſenſim detraxit. Ipſi curationi verò

ſperatum addidit colophonem Liquor Stypticus, maximarum in tali ſcena virium. Cùm ad me acceſſiſſet primùm hicce miles, conquerebatur, inter alia, de dolore totius ventris, quoties illum manu tangeret, potiſſimùm circa umbilicum, ubi palpandum mihi præbuit tumorem intus habitantem, ſed pugnum fermè æquantem; qui tamen nunc Thalero Imperiali haud major eſt, & liber à dolore. Credibile eſt, Apoſtematibus purulentis ſcatuiſſe hominis hujus Inteſtina & Meſenterium! illius ad inſtar, cujus Anatomen detexit Septentrionalis Plinius, Divus Bartholinus, Hiſtor. Anatom. Cent. VI. p. 201.

OBSERVATIO CLV.
D. GEORGII HANNÆI.
Capillitium Viride.

QUod Obſervationem adventitiam meis heic addam, benignè, quæſo, interpretetur Lector benevolus! Noluiſſem alienis frugibus meum implere horreum; nî illud juſſiſſet, cui plurimùm tribuo, Nobiliſſimus & Excellentiſſimus Dn. D. Johannes Ludovicus Hannemannus, Collega, Fautor & Amicus Conjunctiſſimus, quem hìc loquentem audiamus.

Quod Natura in humani corporis partibus multa anomala ac paradoxa operetur, innumeræ Obſervationes à fide dignis annotatæ teſtantur. Iſtius cenſus eſt, quam jam in medium affero, ac cum Excellentiſſimo Dn. D. Hannæo, Collega noſtro Honoratiſſimo communico. Filius meus natu maximus, Bartholomæus Johannes Ottho Hannemann, hîc Kiliæ *vidit Senem, cujus Capilli erant quàm maximè virides.* Quæ mei filii obſervatio conſentit cum ea, quam jam ante Annum cum noſtris Curioſis communicavit Magni Nominis ac Inclytæ Famæ Vir, Dn. D. Petrus Rommelius, Collega Honoratiſſimus, Ann. VI. Decur. II. Obſervat. CCXXVI. p. 473. 474. &c.

&c. Rommelii ſubjectum fuit inter quintum & ſextum luſtrum; mei autem Filii Subjectum fuit ætatis grandis & provectæ. Quod maximè demirandum! Me ſagaciores hujus Phænomeni in Microcoſmi inſoliti ætiologiam eruant. Ego tradidi hanc lampadem prælaudato Dn. D. Hannæo, Amico meo inſtar Fratris Germani Dilectiſſimo, hîc pro me Scholiaſtis provinciam in ſe ſuſcipiet.

SCHOLIUM.

TAm præclarè meritus eſt, & de Orbe Erudito, & de Illuſtri noſtro Collegio Naturæ Curioſorum, Ampliſſimus & Experientiſſimus Dn. D. Hannemannus; ut publico applauſu animare debeamus Tanti Collegæ digniſſimos Filios (quorum maximus natu, indolis egregiæ Juvenis, in ſcenam heic producitur,) ad calcandum ſtrenuè Magni Parentis glorioſa veſtigia. Bella viſio Junioris Hannemanni, *Viridem* vidiſſe *Senectam!* qualem Seniori Hannemanno ex animo voveo, ut fiat hic Senex olim tam Viridis Viribus, quàm fuit ille Capillis! Sed admodum dubia illius Coloris ratio! quam reddere ſi non cœpiſſem, potuiſſem eſſe videri Philoſophus. Ego certè huic me libentiſſimè ſubtraxiſſem provinciæ, & legiſſem potiùs Excellentiſſimi Rommelii cogitata; (quæ nondum videre mihi contigit, cùm delaturum nuntium exſpectet adhuc apud Inclytum Neſtorem noſtrum laudatus Ephemeridum Tomus, quem mihi deſtinavit Magnificus Præſes,) nî parere vellem petitioni Maximi Amici, cui me obſtringit publica Collegii, & privata Amicitiæ Societas.

Ludunt circa Capillos variis modis, & *Homines*, & *Natura*, atque ita ludunt, ut jurares, eosdem modò juſtò plus coli, modò juſtò plus negligi. Neſcio autem, utrum alios unquam habuerint magis benevolos altores Capilli, quàm Lycios, in hanc olim effuſiſſimos luxuriam. Hinc quoque Condalus Mauſoli Præfectus quæſtum ſibi fecit opimum, ſimulans aſtutè, Regiis ſibi injunctum Literis, ut tonderentur ſinguli.

Nuncium triſtiſſimum vix benè acceperant Lycii, antequam lacrymis palpebris ægrè comprimentes, planctus & ſingultus in poteſtate haberent, qui rerum omnium jacturam, præ Capillorum, leviſſimam æſtimabant. Condalus, foro utendum ratus, parcendum ipſorum cervicibus promiſit, modò tonſuram à ſe ingenti redimerent pecunia. Quam cùm ultrò obtuliſſent, curaturum ſe ſpopondit, ut Regi mitterentur è Græcia empti Capilli. Teſte Ariſtot. Op. Tom. 2. p. m. 592. cedere poſſet in hos Sarcaſmus graviſſimi Senecæ, Lib. de Brev. Vit. p. m. 382. quo illos ridet, qui ſolicitiores ſunt de Capitis ſui decore, quàm de ſalute, qui inter ſpeculum pectinemque occupati comptiores eſſe malunt, quàm honeſtiores, qui Remp. turbari malunt, quàm comam ſuam. Niſi fortè pro Libertatis ſigno interpretari velimus hanc Capillorum curam, adeò ſtudioſè cultorum, & in blandimenta decoris promiſſorum. Novimus enim, non ſine ſtupore viſum & à Suida, & ab Ariſtophane, intonſum Servum, & viſo acclamaſſe utrumque: Δῦλος ὢν κόμην ἔχεις! Servus cùm ſis, comam habes! Imò, & obſervavit Diligentiſſimus Saubertus, ad Turonenſem provocans, Germanos Reges, Regumque Filios, aliquando alendi comam jus ſibi ſoli tribuiſſe. Atque de Solio deturbandos, vel Regni ſpe excludendos, priùs ſolitos fuiſſe tonderi. Unde factum, quòd Chlotildis Regina binis Nepotibus ſuis Caput, quàm Comam, abſcindi maluerit. De Sacrif. Vet. Cap. X. p. m. 233. Quod ſi oculos ad Tonſtrinas remittere velimus; videbimus heic Macas, ab Herodoto deſcriptos, ſummum Capitis verticem raſum habentes, in medio Capillos creſcere ſinentes, hinc atque hinc in orbem tondentes, Melpom. p. 319. illic, circa Frontem præciſas Comas, per Cervicem diffluentes, Hectoreâ Tonſurâ, Polluci laudatâ. Iſtic, toto Capite raſos, Stoicorum adinſtar. Etiam obtutus noſtros ad ſe pelliciet Caput Simonis Magi, qui cum ſuis Aſſeclis, ita tonderi voluit, ut in vertice Capitis ubique raſi exſtaret capillaris linea, ab una Aure ad alteram, Zodiacus dicta, Caput Globum

bum

bum Cœleſtem denotare aſſerens. Imò, agitur & hodienum alius atque alius in hac ſcena mimus! Fœminas verò capillos ornare, non modò toto videmus die, ſed etiam Lege obſervamus ipſis injunctum, ut eosdem alant, cùm ad caput velandum, tum in memoriam ſubjectionis. Quid quòd & à tonſura Capillorum arceri Mulieres metu Anathematis, cùm jus ſubjectionis hoc modô conentur reſolvere, annotaverit ex ipſo Juris codice Pancirollus, Rer. Memor. P. 1. p. m. 190. Videmus nihilominus in fœminis Mardorum incultos & circum caput negligenter rejectos Capillos. Prominent, inquit Curtius, his comæ hirtæ, fundâ vinciunt frontem, hoc & ornamentum capitis & telum eſt, Lib. V. Cap. 6. At noſtræ Fœmellulæ, quibus pro naturæ habitu mollius ingenium eſt, Comas hodiè non alunt ſolùm, atque ornant, ſed etiam Caliendra capitibus adaptant ac Galericula, Capronasque ſibi induunt; ne deſit, in quo ſe exerceant Comotriæ atque Emplectriæ. Si ludunt ita circa Capillos Homines, ſolo *Cultu;* quid non audebunt, accedente *Arte?* certè, non contenti ſunt plurimi Colore Nativo; hinc quæritur Aſcititius, & alter præ altero eligitur cupidiùs. Quomodo autem tingi poſſint flavo, nigro, aureoque Colore; id diſcere licet partim à Porta, Mag. Nat. Lib. 2. Cap. 15. p. m. 128. partim à Luſitano, Centur. 3. Cur. 59. Ego, Hannemanni Obſervationem aucupaturus, aſtum proponam, quô infici poſſunt Capilli Colore viridi, qui in Equis belliſſimè procedens, in Homine tentare volentem haud fruſtrabitur. Coquantur in Aceto, viridis Æris unciæ duæ, Succi è Spinæ Infectoriæ Baccis maturis, Menſe Novembri collectis, parati, (Pictoribus Safftgrün dicti,) uncia una, Aluminis uncia dimidia. Hoc decoctô laventur Capilli, ſed priùs lixiviô probè mundati, & iterum iterumq; loti exſiccentur liberè; tum herbeſcente Viriditate ridentes Capillos dabit Ars, quos denegavit *Natura*.

Verùm, & hæc ipſa tot Calamiſtris, tot pigmentis, tot lenociniis irritata, & ſive ſperni, ſive reformari ſua opera dedigna-

gnata, ludit ſubinde alium ex alio in hac palæſtra luſum. Sed de his pauca! Taceo igitur ſubitaneam Canitiem, rarum Phænomenon, cujus exempla recenſet, ſub initium ſuarum Obſervat. Medic. Celeberrimus Schenckius. Albanos prætereo, qui, albo crine nati, Canitiem auſpicium Capillorum habent, teſte Solino, Polyh. Cap. XV. è Plin. Lib. VI. Cap. 33. Sufficerit Indice digito oſtendiſſe montium Indicorum incolas, quos prodidit Cteſias à pueris ſtatim canos fieri, in ſenectute autem nigreſcere, referente Salmaſio, Exercitat. Plinian. p. m. 190. revocat quippe meum calamum Clariſſimi Hannemanni Junioris Viridarium, nictantibus haudquaquam luſtrandum ocellis. Sed neſcio, utrum *Artis indultu* viridantem impetraverint Colorem hi Capilli, ut quæſtum ſibi faceret hoc dolo poſſeſſor. Num ſymbolam ſuam huc contulerit *gravidæ Matris Imaginatio*, incertum! haud abſimile enim oſtentum novi, de quo me per Literas ſuas certiorem, ante Annos pluſculos, fecit Nobiliſſimus & Experientiſſimus Dn. D. Borrichius, noſtræ Daniæ Decus. Uxor Fabri ruſticani gravida, in cujus caput deciderat ſacculus carbonibus repletus, excluſit puerulum, cujus Capillorum media pars nigerrima tandem facta eſt, albiſſima media. An verò aliquod habuerit viridicatus hicce *cum Re Monetaria commercium*, ignoro! Solet enim intimior cum Ære conſuetudo, Virorem Capillis (ad tincturam recipiendam accommodatis,) interdum affricare. Cujus exemplum memini me ante Annos viginti quatuor vidiſſe. Quod ſi autem *Naturæ privilegio* viruerint hujus hominis Capilli; debebunt, nî fallor, rarum hocce privilegium modò ſuæ *Configurationi externæ*, modò ſuæ *Conſtitutioni internæ*. Cùm de ſimilibus idem ferre judicium conceſſum ſit; toto vix erravero Cœlo, ſi ab Analogia Speculi Pavonis, ad Microſcopii Lydium à me examinati lapidem, quod etiam gratiſſimo ſe commendat virore, digreſſus, ſtatuero, hos Capillos criſpulos fuiſſe & triquetros, forſan & unà pellucidos æquè ac concavos. Imò, quid! ſi ſuſpicemur his ſuam fuiſſe medullam,

dullam, (qualem in pilis felium obſervavit Hookius,) ſed eandem ſuis poris interpolatam, ſuo ſucco bilioſo, porraceo-æruginoſo, turgidam. Ex his præſuppoſitis, unà cum modificatione luminis, elicere de facili poſſumus rationem inſolitæ hujus comæ viridis, ut non neceſſe ſit ad occultas confugere qualitates. Sed nolo me altiùs in hanc immergere Philoſophiam! cui nihil in votis prius eſt; quàm ut placeant modò expoſita Lectori Benevolo!

[*A. 1688. 30. Decembr. Norībergam miſſa.*]

OBSERVATIO CLVI.
D. RUDOLPHI JACOBI CAMERARII,
De
Fungo Calyciformi ſeminifero.

SEmen, quod initium & finis plantarum, omnibus quas perfectas dicunt competere, ut ejus ope ſpeciei conſervatio & multiplicatio fiat, clarâ conſtat experientiâ, nec eſt, qui in dubium herbarum ex eo proventum vocet, ſi illas, de quibus tanquam ſpontè oriri creditis controvertunt, exceperis: Imperfectas autem, ad quarum claſſem & Fungos referunt, absque manifeſto & ſenſibili ſeminio ortu ſpontaneo provenire, credunt, qui ſemen id ipſa autopſia confirmare & aliorum ad inſtar determinare ac deſcribere nondum potuerunt. Peculiare quid in eorum genere mihi videbar notare, cùm præterito vere ex ligneis arculis, in quibus ſemina quædam Terræ commiſeram, parvulorum fungorum magnam obtinerem copiam, quos multis orbicularibus corpuſculis, quæ ſemina ſuſpicari fas erat, repletos deprehendi. Conſulendo ergò Botanicos, ex C. Bauhini Fungis noxiis in Pin. trigeſimus nonus huc quadrare videbatur, quem vocat Fungum minimum ligneis tabellis areolarum hortorum adnaſcentem, ſeu minimum anonymum Cluſii; unde ipſum

ipſum in Hiſtoriâ plant. Clar. Raji quærens idem annotatum reperi, quod ab aliis omnibus cognitis fungis diſtinguatur ſemine, quo prægnans ſit.

Ipſum enim eundem aut prorſus ſimilem eſſe cum dicto Cluſii non ſolùm & Bauhini, ſed & Raji ab Eoque citato Exc. Mentzelii fungo calyciformi ſeminifero confirmat deſcriptio, quæ notato fungo prorſus convenit: talem quippe obſervavi, erumpendi modum, globulorum ſcil. inſtar pyriformium, qui aperti, campanam, calycem aut coni inverſi figuram referebant; Ejusmodi quoque ſemina qualia laudati Autores deſcribunt, magnitudine lentis, compreſſa, tenui filo alimentum deferente annexa, per ſiccitatem nigricantia.

Hæc ipſa ſemina ſunt, quæ Cl. Rajum, ut cit. loco refert ſuſpenſum atque dubium reddunt, annon & reliquæ fungorum ſpecies ſeminiferæ ſint, quamvis ſemen in iis necdum compertum fuerit, cùm veriſimile non ſit, hanc ſpeciem à reliquarum omnium normâ & analogiâ abludere: Ab hoc itaque fungo cum ad alios argumentando procedi poſſit, operæ pretium erit, in ipſum prius inquiramus, ut quæ ſeminum illorum ſit conditio, conſtet.

Occurrit autem primò ipſe horum fungorum proventus; ſcil. tempore veris, tempeſtatibus pluvioſis & ſerenis alternatim mixtis, prout monuit Laud. Menzelius & experientiâ hoc anno t. t. confirmavit, orti fuerunt è terra recenter ex campo illata, in arculis, quas prius tales fungos unquam tuliſſe haud conſpexeram, nunc tamen vetuſtis; hocque ipſo à reliquorum fungorum naſcendi modo non recedunt, ſed forſan eorum inſtar absque ſemine prævio naſcuntur. Equidem nonnunquam plantarum ortum credi ſpontaneum non dubito, ubi tamen ſemen minutiſſimum & vel ipſis nudis oculis non conſpicuum adeſt, è quo generatio procedit; at id ipſum hîc locum non habet, ubi agitur de ſemine non adeò parvo, ſed quod magnitudine ſeminis Cyclamin. vel Lentis, de fungis in maximâ copiâ densè conſitis, pronatis non è terrâ ſolùm,

ſolùm, ſed & ex ipſo ligno, ubi prius tantam talium ſeminum copiam notare non licuit.

Porrò, quoniam hic fungus cum alia imperfecta planta credita, nempe Corallina plumatâ ſeu Myriophyllo pelagio Cortuſi, hoc ſingulare habere dicitur, quod ſemina ferat, hinc & ipſa examinanda: Adſcribuntur huic Nuculæ, quæ nullum aliud ſemen continere deprehenſæ ſunt, quàm tenellas plantas jam formatas, matri facie ſimiles, quæ cadentes infimum mare petunt, deinde creſcunt, & in eandem magnitudinem evadunt, quam matres obtinent. Noſtri fungi ſemina etiam per Microſcopium mediocris notæ examinata non niſi informem maſſam exhibuerunt, exteriorem ſubſtantiam paulò candidiorem, interiorem pallidiorem, aquoſam, utramque raram ſpongioſam, tenui membranâ tectam.

Alio hinc rem modo aggredi, ſerendo nimirum illa ipſa, conſtitui; commiſi ergò non unà vice ſemina magis & minus matura terræ, ei vel inſpergendo ſolùm vel & contegendo, in vaſe non ligneo, ſed fictili, commodo quoque tempore, quo ſcil. frequentia erant tonitrua, ſed hactenus absque ullo fungorum talium proventu.

Hæc ſunt, quæ hactenus circa fungos hosce à me notata dubium relinquunt, an certa ſit & indubitata, quâ gaudere videntur, prærogativa, tamdiu aliorum cenſuræ ſubjicienda, donec plura tempus doceat. De Fungorum alias ſemine conſul. Dec. I. Eph. N. C. A. VI. & VII. Obſ. 174.

Cæterùm easdem Laud. Ephemerides, ut de fungis notata cognoſcerem, evolvens, in ultimo demum Tomo Dec. II. A. VI. ab Exc. Theophraſto Obſ. 110. deſcriptum reperio fungum, qui vocatur Calicatus Diſcifer; hic cùm in medio calicis diſcos quosdam perexiguos, lentis magnitudine & figurâ habuiſſe dicatur, huc omninò quoq; referendus erit.

[A. 1688. d. 24. Nov. Tubingâ Auguſtam miſſa.]

OBSERVATIO CLVII.
D. EHRNFRIDI HAGENDORNII.
Flores & Cryſtalli Nitri.

SÆpè aliud agendo in laboribus Chymicis impetramus, quod nec quæſivimus, nec unquam ſperavimus. Occaſionem ita ſentiendi dederunt mihi elegantiſſimæ Nitri cryſtalli, à me caſu quodam olim inventæ, quos tanquam ſingulare experimentum allegatos vidi, legique in Chymia experim. Dn. Jungkenii Sect. 4. c. 1. p. m. 218. quô locô Cl. Autor eos ita parat, ut nempe Spiritui Nitri, Spir. Vini addatur, per Mariæ Balneum deſtilletur mixtura, atque iterum Spir. Vini abſtrahatur, ſic fore, ut in fundo vitri cryſtallos haſce invenire liceat, caloris febrilis extinctrices. Ego levi operâ, & tanquam parergon eaſdem ita impetravi. Scilicet parabam ante biennium Spiritum Nitri dulcem, eundemque ex cucurbita vitrea per Alembicum propellebam, ut nihil ferè liquoris in cucurbitæ fundo ſupereſſe videretur. Hinc factum eſt, ut flores benè multi, albicanteſque inſtar floccorum nivium ex fundo vaſis per latera ſpontè ſineque igne ſubdito in collum usque cucurbitæ adſcenderent, in fundo autem cryſtallis paulò duriuſculis remanentibus. Ambo tum flores, tum cryſtalli præbebant ſaporem gratè acidulum, flores autem in liquorem abibant elegantiſſimum, multiſque in affectibus utiliſſimum.

OBSERVATIO CLVIII.
D. EHRNFRIDI HAGENDORNII.
Cinnabaris nativæ & antimonialis vis dejectoria.

QUadriennium eſt, ex quo menſe Januario fœminæ cuidam ſcorbutico-hyſtericæ in torminalibus inteſtinorum cruciatibus haut exiguis pro ſedando impetu

petu iſto præſcripſeram pulviſculum ſequentem: ℞. Cinnabaris nativæ, & Antimonialis ãã. gr. v. Pulv. Anod. gr. iij. Miſc. dentur ex vehiculo idoneo. Unde, præterquam quòd dolorum atrocitas inde conticuerit, & hoc ſingulare pariter effecit pulvis iſte, ut ægra hactenus difficillimæ alvi bis cum levamine purgaretur. Sic Excell D. Wedelius vim purgatricem in Cinnabari Antimoniali quoque expertus eſt, tract. d. med. facult. p.m. 152. l. 2. ſ. 1. c. 6. Conſimiliter Exc. Tilingius de Cinnab. Mineral. c. 36. p. m. 229. vim ejus dejectoriam expertus eſt, itemq; D. D. Schulzius in Scrutin. Cinnab. punct. 2. p. m. 86. Conſentit quoque D. D. Hoffmannus Junior in de Cinnab. Antim. cap. XI. p. m. 140.

[3. Jan. 1689. Gorlizio Noribergam miſſa.]

OBSERVATIO CLIX.

D. GABRIELIS CLAUDERI.

Impenetrabilitatis armorum veritas & vanitas.

TEmpori eſt inſerviendum! Cûm autem in omnium ore nunc ſit, vel potiùs eſſe cogatur dolor! ferrea Mavortis memoria, non potui non, quin obſervationes modernas ſimili incipiam; ſperans fore, ut varii in vitia flecti cerei illius diſcipuli, aut pulli martiales animæ commodô ſaniùs ſentire, ac cautiùs mercari diſcant, aliorum ſermones de hisce percipientes. Quid autem per vitioſum hoc artificium velim intellectum, (vulgò audit das Feſte-machen) amplis ambagibus explicare, ſupervacaneum, utpote in vulgus notiſſimum cenſeo. Franciſcus Redus, Archiater Magni Hetruriæ Ducis, dum in experimentis ſuis naturalibus conatu laude digniſſimô inquirit & invehit in diverſas res phyſico-medicamentoſas olim incognitas ex Indiis fertili hôc ſeculô à quibusdam honori ac pecuniæ inhiantibus, & ita novitatum

avidos ſeducentibus transportatas, per ſeſquipedalium verborum ampullas nimiùm elevatas, effectu tamen verbis poſteà non adeò plenariè reſpondente, inſimul quoque poſſibilitatem malitioſæ hujus artis negat, & p. 20, ſeq. per adducta nonnullorum experimenta infringere conatur. Quamvis quidem cum viro ſagaciſſimo ideò litigare, meus neutiquam ſit animus; nihilominus noſtris in regionibus contrarium ſæpiſſimè ſeſe offert, præprimis inter Bellonæ aſſeclas, ut proinde Celeberr. Dn. Redi unico experimento millenis plura opponere ſit facilimum.

Lubet adjungere exemplum, cujus αὐτόπτης poſſum eſſe teſtis: E Belgio in Germaniam olim rediens, Arnhemii incidi in itineris comitem, qui per jocum ſæpè gladiis & cultris ſeſe pungi innoxiè, mihi & ſodalibus concedebat. Geſtabat inſuper enſem adeò faſcinatum, ut eô etiam non evaginatô; ſed manubrii globum manu ſaltem tangens antagoniſtis omnibus pavorem incutiebat, redditis præ pavore tremulis, cujus ſpecimen nobis (ſummè quidem invitis,) contra duodecim Juvenes fortes ad rixam ſine causâ decente irritatos ac provocatos oſtendebat. Globulos inſuper è tormentis manuariis (Muſqueten/ Piſtolen quæ audiunt) exploſos mediante eâdem arte impediri poſſe, ne cutim penetrent, qui negat, autopſiæ ſanè & quotidianæ experientiæ contradicit. E modò dictis certitudinem quidem infeliciſſimi hujus inventi elucere ſingulis, nullus dubito. Quàm vanum verò, quamque dubium, imò animabus ac corporibus ſummè exitioſum ſit iſtud artificium, ac mera ſaltem milleartificis infernalis eluſio, pateſcit inde, quòd neutiquam quidem, ceu jam dictum, negari poſſit, fruſtraneam perſæpè reddi armorum vim adeò, ut corpus à talibus tactum, licèt duriùs, oſtendere ſaltem maculam cœruleam, qualis levem aliàs contuſionem inſequitur, à ſanguinis extravaſati particulâ relictam. E contra verò ſimiles iſti impenetrabiles habiti, vel potiùs ſeſe ita habentes, ab aliis temerariis ejusdem artis ſtudioſis malitiâ ſuperantur, ut

alter

alter alterius robur ac arcanum irritum reddere valeat, corpus antagoniſtæ emolliendo vel aperiendo, quod vocant **einen auflöſen**; ut ſic alter ſagacioris vel potentioris Diaboli conſiliô ac ope quaſi utatur, & concinnè antiquum illud dicterium heic applicari queat; veluti Homo homini ſoleat eſſe Deus, ac Homo homini Diabolus; ita quoque Diabolus ipſe ipſi Diabolo Diabolus eſſe videtur. Vanitas hujus artis inde non minus, veluti ſorex, ſeſe prodit, quòd ferrei iſti heroës facilimè occidantur, vel potiùs ceu boves irrationales mactentur fuſtibus, ſclopetis & ſecuribus inverſis ruſticè, id eſt, violenter tacti. Recenti inſuper inhæret memoriæ plurium, non ita multis abhinc annis Præfectum quendam militarem à tormenti majoris globô (**von einer Canonen-Kugel**) tam ruditer eſſe tactum, ut hic quidem in corpus impenetrabilitate hâc maledictâ munitum ac præſervatum non penetraverit; nihilominus corpus globi violentiâ adeò fuit conquaſſatum & concuſſum, ut ſubitò per fauces, nares, oculos & aures copioſiſſimum cruorem, & ita ſimul pretiosô Chriſti Soſandri ſanguine fruſtrà redemtam effuderit animam. O artem ſtolidam, ô abominandam artem! Et hoc quidem eò magis, (quòd primô locô quidem produci debuiſſet) quòd Animam, Divinæ Auræ particulam, in cruciatûs infernales æternùm immutabiles præcipitem reddat. Corollarii locô crena quaſi invita hoc ſubnectit: Arcana patefacta aut multis cognita vileſcere, experitur quoque impium hoc artificium; dum ſcilicet potentiores ejus aſſeclæ non adeò ſtudent corpora ſua deſcriptô modô munire; ſed methodus hujus artis alamodiſtica adeò ad alta tendit, ut iſti corpora globulis tangi neutiquam concedant, ſed, ut prætervolant, cogere nôrunt; unde fit, ut nullus adſtantium cognoſcere poſſit, hunc vel illum impenetrabilitatem exercuiſſe, ceu quidem communi modô proditur; ut ita Sophiſmata iſta Phyſica aut in Stygia Plutonis Academiâ curioſis Stadioſis pro ſeculi prudentioris genio reſer-

ventur, aut ipſe Pyrotechniæ infernalis director docendo adhuc diſcat.

OBSERVATIO CLX.
D. GABRIELIS CLAUDERI.
Exploſionis tormentorum bellicorum prohibitio itidem vera, at non minus vana.

QUæ de armorum impenetrabilitatis veritate ac vanitate jamjam dicta ſunt, prohibitam quoque tormentorum exploſionem (das Gewehr verſagen noſtratibus dicitur) feriunt, utpote pro eôdem ſcopô à dictô maledictarum talium artium Magiſtrô, Diabolô, oriundam. Quemadmodum autem de hujus veritate dubitanti innumera in contrarium opponi poſſunt exempla, ita etiam vanitas infallibiliter eluceſcit inde, quòd alter alterius organa militaria reſolvere, ejuſque arcana irrita reddere, optimè noverit, (einander das Gewehr aufmachen/ vocant) Quid propriis Ego oculis viderim, locô multorum teſtimoniorum producam: In præcedenti Obſervatione, cujus mentio facta, Sodalis noſter exploſiones tormentorum bellicorum minorum pro lubitu quoque reddere fruſtraneas adprimè noverat, quod pro fallendis itineris tædiis vel centies præſtabat. Accidebat autem, ut quidam Præfectus militaris ob metum latronum Eques ſeſe Nobis jungeret. Hic unâ vice propè Bonnam à prandiô ſemiebrius, hilaris, genioque blandiens volebat tormenta manuaria (die Piſtolen) & majus (den Carabiner) evacuare in ſocietatis honorem; (auf Geſundheit) ſed ſine ſuccedente ullô effectu. Hinc è triplici inſolitâ armorum eluſione fraudem aliquam ſubolfaciens, irâ percitus velociter in campum excurrebat, ibique tribus circulis vel gyris celerrimâ equitatione abſolutis, ſuiſque tormentis iterum repletis, ac

ad

ad exploſionem diſpoſitis ad noſtram redibat rhedam atque dicta organa militaria ſubitò ſucceſſivè evacuabat, Sociô noſtrô ſtupente ac valdè indignante, inque hæc ſubridens erumpebat verba: Domini, quis veſtrûm tantus eſt artifex, ut conatûs meos bellicos antea eludere noverit, quod ſanè nemo militum mihi caſtra tamdiu ſequenti præſtare valuit? Jam verò vidiſtis, artem meam veſtrâ eſſe potentiorem & certiorem. Cui præceps Socii noſtri lingua regerebat: Fateor, me ſæpiſſimè pro votô meô artificium hoc exercuiſſe; eandem tamen à nemine eſſe victam & eluſam, veluti jam contigit. Socius dictus iſte noſter nobis quaſi invitis aſſeverabat, æternô igne expiandum hoc arcanum in levi hôc conſiſtere, ut exercitaturus certa verba ſaltem mente concipiat vel cogitet, inſimulque ferreum organi bellici canalem (den Laufft nominant) inſpiciat. Exinde denuò pateſcit fraus Cacodæmonis inſanumquantum truculenta, dum ita iſtorum uterque arti ſuæ tam dubiæ, tam infidæ confidens, gehennæ candidatum ac mancipium ſeſe reddebat. Propterea alienis periculis cautiùs mercari diſcant Juvenes ſimilibus ineſcationibus inhiantes, nec ſeſe tam ſuavibus laqueis irretiri patiantur; ſed potiùs noctes atque dies ſtudeant, ut pietate ac devotis precibus reddantur impenetrabiles.

OBSERVATIO CLXI.
D. GABRIELIS CLAUDERI.
Cæcitas ſubitanea Epilepſiæ prodromus, binis in fœminis obſervata.

TAnta-tanta dolor! Miſeriæ humanæ eſt frequentia poſt infauſtum iſtum pomi Paradiſiaci fallacis appetitum, ut unusquisque conſcientiæ ſuæ conſulturus ſemper pede ſtare in unô, aut pedem in ſtapede habere ad iter ultimum adeundum cogatur, cùm ſanè neſciat, quônam mo-

momentô ſibi extremus (emortualem intelligo,) inſtet dies. De innumeris violentæ mortis cauſis ac caſibus, ut & de apoplexiâ, ac ſimilibus nihil dicam, ſed prodeat jam rariùs contingens quoddam: Si cæcitas lentô irrepens gradu œconomiæ Microcoſmi tam miſerabiles communicare noxas valet, quantum, quæſo, ærumnarum expectandum erit à ſubitò ac improvisò irruente, præprimis cùm ferociorem ad portas Hannibalem, inſultus in uno epilepticos, minetur? Sic fœmina quadraginta annorum ſucceſſivè aliquot annorum ſerie gravia patitur è pravâ chyli- ac ſanguificatione, tumultus ſcilicet hypochondriorum ac uteri, vomitus, aſthma, cephalalgiam; quæ tamen adhibitis contra cachexiam ſanguinis adhibendis cornua depoſuerunt. Accidit autem unâ vice, ut abdominis contenta valdè rebellia ſeſe oſtenderint, ſuccedente capite valdè turbidô ac dolente; proinde ſubitò accerſor; dum de ſtatu morbosô erudiri ſum occupatus, celerrima, eaque plenaria accedit visûs privatio, mens tamen conſtabat, ut ſingulos ſermone anteà cognitô diſcernere valeret. Prædicebam Epilepſiam inſtantem, quæ etiam adventu ſuô Medicamenta è Pharmacopœiâ præſcripta anticipabat. Prognoſticum hocce meæ innitebatur experientiæ, quòd mihi conſtet, motûs convulſivos vel ſolum capitis dolorem, ſi eſt violentus ac frequens, ceu pediſſequam, inſequi non raró ſolere; dum itaque cæcitatem ſpirituum paucitas ac diſſipatio cauſabatur, eò firmiore ratiociniô id ſtatuere audebam. Propinabam ſtatim Sal volatile Succini oleoſum, Eſſentiam Caſtorei Spiritu Salis Armoniaci paratam, Pulveres item è Cinnabari meâ fixatâ alibi deſcriptâ; externè verò applicabatur Nuchæ, temporibus, ac Spinæ dorſi Spiritus Salviæ, Juniperi, Salis Armoniaci. Nec Clyſteres revellentes cum Electuar. Hier. Picr. cum Agaricô, &c. omittebantur; Et Convulſiones paucis ſaltem vicibus redibant; cœcitas autem perendie rurſus evaneſcebat; Spiritibus viſivis ſolitum robur recuperantibus. Paroxyſmis hisce ita ſedatis, præcipuè cauſæ in abdomine reſiſtebatur per

Laxan-

Laxantia, item Elixir. Propriet. Alcalicum, Eſſentiam Terræ Catechu, Mumiæ, & ſimilia; Pro capite tamen ſolandô ac præſervandô veſperi ante & poſt ſingulas Lunæ mutationes exhibebam Pulverem Cinnabarinum meum. Incomparabilem enim inveni eorum efficaciam; proinde non poſſum non eosdem commendare, meumque Symbolum addere Chymiatris modernis pluribus, quippe quorum teſtimonia innumera plenis diſperguntur Libris; aliàs enim Poſteri haberent, quòd ſtatuerent, me millies-millenis experimentis contradicere fuiſſe auſum. Altera hiſtoria in fœminâ Partui ad paucas ſeptimanas ſaltem vicinâ aliô mihi tempore obtingebat; cùm autem Symptomata non adeò fuerint diverſa, niſi quòd ſenſerit cephalalgiam uti ſubitaneam, ita violentam, & duabus abhinc horis cæcitatem, & finitâ denuò vix unâ horâ convulſiones epilepticas, quas præteritô quadrihoriô partes fœtûs mortui inſequebatur, ideò amplioribus hîc ambagibus extravagari ſupervacaneum cenſeo.

OBSERVATIO CLXII.
D. GABRIELIS CLAUDERI.
Convulſiones epilepticæ à purgante reſinosô excitatæ.

SI quoddam rerum Medicamentoſarum genus exercuit Medicorum, præprimis antiquiorum, ingenia, ſanè id præſtiterunt purgantia, dum in plurimas itum eſt ſententias, in quibus qualitates innatæ conſiſtant, ac quônam modô ſuam operandi virtutem exhibeant. Adeò, ut tanta de his publicè ſcripta extare cenſeam, quæ ſufficiant, bomborum modernorum horrendam ſufflaminare penetrabilitatem; Conatur quidem Vir aliquis de publicâ re Medicâ optimè meritus eorum uſum planè proſcribere è forô Medicô; unde & in nimiùm purgantibus faventes adeò invehit,

ut producat Diabolum purgatorium, den Purgier-Teuffel/ veluti conſuetum eſt dicere: Diabolus ſuperbiæ, crapulæ, ludorum &c, Patronus; An autem ea penitùs abrogare conducat, aut poſſibile ſit, heic controvertere, extra meum eſt ſcopum. Alii, & in ſpecie Neoterici, lapides moverunt omnes, ut vaſtæ eorum doſes, vel ſolô adſpectu nauſeam, ſi non vomitum creantes concentrari, ac minore exhiberi poſſint doſi, & hoc quidem conatu ſummè laudabili. Inter varia gratiora & ſatis tuta millenis feliciſſimè dedi Pulverem è Radic. Gialap. vel Cryſtall. Tartari ℈ß. Reſin. Gialap. gr. viij. Nitri refinati gr. ij. Miſce pro doſi; Item apprimè mihi ſatisfecit Pulvis è Reſinâ Gialapii vel Scammonii Semini Melonum optimè mixtus, dum ſcilicet reſinoſitas purgantis per ſeminis mucilaginem cicuratur, & diſtribuitur; ſiquidem in hâc re cautiſſimè eſt procedendum, ac Reſinæ aliis Pulveribus adcuratè miſcendæ, aliàs enim pars reſinoſa priorem ſuam naturam recuperat, ac denuò reſineſcit. In incautorum gratiam lubet unum, alterumque triſte producere exemplum: Delicatum ſanè pro delicatulis eſt purgans, dum Reſinæ Gialapii gr. x. vel xij. diſſolvuntur in Quintæ Eſſ. Matthioli, vel Elixiris Citri drachmis duabus, addito, ſi lubet, modico Rotular. Man. Chr. vel Syrupi Roſarum; gratiſſima potiuncula non ingratiorem apud multos præſtitit operationem; Econtra tamen nemini facilè uſum hujus ſuadeo; cùm mihi innotuerint uno plura exempla infelicis eventûs, dum ille hauſtulus fauces ſapore ſuavi decipiens excitavit aut vomitûs largos, aut tormina ſummè lancinantia, aut planè hypercatharſin, poſt cruditates intempeſtivè protruſas lympham quoque utilem, & poſt hanc ipſum animæ domicilium, (ſanguinem innuo,) exturbantem; quibus non potuit non ſuccedere periculoſa Oeconomiæ Microcoſmicæ turbatio ac ſubverſio. Imò vidi generoſam fœminam, quæ biduô poſt idem aſſumtum ac toleratos dolores ferè intolerabiles abdominis, & copioſiſſimas excretiones alvi, itidem pati cogebatur convul-

ſiones

ſiones epilepticas, aliquot ſeptimanis durantes, & quidem adeò, ut jamjam expectans Charon vix potuerit cogi, ut cymbam ſuam vacuam reduceret. Accidunt autem talia, ſalvô aliorum judiciô, dum Reſina rurſum reſineſcens aut præcipitata, quod vocant Chymici, poteſt attingere aliquam primarum viarum tunicam muco naturali non ſatis obductam; hæc ob ſubſtantiam tendinoſam indebitè ſtimulata, cerebrum, & quæ ejus ſuccedanea nervoſa, in conſenſum trahit. Idem gratiſſimum purgans obſervavi alteri cuidam tormina creare miſeranda, & quidem ſine ullâ excretione fæcum purgatoriâ; tertiô tandem die ſola per alvum excreta Reſina in globulum compacta & incraſſata. Quod aliquando etiam contingere videmus, ſi purganti pulveri reſinoſo parcior quantitas aliorum pulverum fuerit addita, & liquor affuſus, vel vehiculum nimis fervidum, tunc ſæpè Reſina in cochleari adhuc exiſtens ab aliis ſeparatur & coagulatur. Contra ſimiles infauſtos casûs à nimiùm ſecuris excitatos feliciter exhibui mucilaginoſa è Semine Altheæ ac Cydonior. è Radice Altheæ atque Symphyti, non omiſſis Confortantibus, Lenientibus, Anodynis alibi jam commendatis.

OBSERVATIO CLXIII.

D. GABRIELIS CLAUDERI.

Ex oſſibus Microcoſmi calcinatis Spectriformis apparitio.

IN præteriti anni Ephemeridibus, Obſervat. ſcilicet 37. f. 96. refert laborioſum ac curioſum Academiæ noſtræ membrum, Dn. D. Eman. König, cuidam Seni Paralyſin Apoplexiæ ſuæ pediſſequam patienti, variis incaſſum adhibitis Amicum obtrudiſſe Amuletum collo appendendum; hic obedit, quidnam contineatur planè ignarus aut parùm ſollicitus; ſanctè

tamen teſtatus eſt hoc ab initiô corpus univerſum mirè turbâſſe, ac inquietum reddidiſſe, ut per tres dies ferè lipothymicus evaſerit; Valetudine redeunte à Philophyſicis fuit inquiſitum, quidnam in ſacculô contineatur, & viſus, alteriusque relatio docuit, ineſſe particulam cranii Hominis violentâ morte extincti. Hoc laudato Dn. Kônigio in memoriam revocavit homogeneitatem & Symboliſmum Spirituum animalium ipſius corporis, & in dictô craniô reſiduorum, per effluvia ſubtilia reſuſcitata; Ampliora ibidem poterunt videri; præprimis, quòd diverſi in deſtillatione craniorum humanorum ob ſpiritûs reſiduos aliquando non parvos percipi tumultûs & fragores, obſervaverint. Occaſione hujus hiſtoriæ in mentem redit mihi caſus ſequens rarus; quamvis ſubeſſe huic illuſionem Diabolicam, & aliquid ſpectrum olens, extra dubitationis ponam aleam: Celeberrimus Lipſienſium Chymiater, D. Joh. Michâelis, ſex ad ſeptem circiter abhinc luſtris curabat latronem integrô quadrienniô rotæ impoſitum, ac à Solis Lunæque radiis præparatum chymicè deſtillari pro obtinendô Spiritu ac Oleô; Poſthæc oſſa fortiter calcinata in porphyritide lævigabantur, pro nervorum roboratione ac ſimilibus uſibus. Oſſa hæc nondum planè præparata Amanuenſis Chymicus imponit noſtro Muſéo, ubi aliquot diebus ſubſiſtebant; Accidit autem, ut, me peregrè abſente, Contubernalis meus in camerâ dictô Muſéo contiguâ in poſteriore domûs parte ſolus cum ſolô dormiret; unâ & dimidiâ poſt noctis meridiem horâ, incipiente crepuſculô (menſe enim Juniô hæc peragebantur,) cameræ dictæ januâ apertâ percipit ſomnolentus ſtrepitum & motum circa Muſéi anguſti menſam; Oculis illuc miſſis in ipsô oſſium dictorum Microcoſmi pulvere ſeſe offert caput Humanum, cui citò accreſcit thorax cum adnatis brachiis; Animo ſtupeſcenti oculi invitiſſimi mox monſtrant connexum hisce abdomen cum conjunctis cruribus. Miſello huic neutiquam celeberrimus ille Morpheus mediante ſomnô ac ſomniô phantaſma hoc ſiſtebat; multò minùs

nùs viſui oberrabat Homuncio Paracelſicus; ſed cogebatur ſomnô oculis detersô figmentum hoc reale nolens-volens adſpicere, imò plus ultra obſervare, quòd extemporaneus iſte longurio, (omnia latroni ſimilis, faciemque, capilloſque, atque pedes longos,) eâdem inſuper indutus chlamyde, quæ illum patibuli ac mortis candidatum veſtiebat, dum ad aëreum ſuum ſepulcrum educebatur, (audi & obſtupeſce!) de menſâ deſcenderit. Dictus hicce meus contubernalis ita ſolus horrenda expectat fati ſui accidentia; aufugere ipſi non licebat, cùm fuerit coactus tranſire per Muſéum, & tangere hoſpitem hunc ingratum; clamore opem aliorum ſollicitare, erat ſupervacaneum, utpote longiùs ab omnibus remotus; Proinde ſoli protectioni Divinæ fervidiſſimis ſeſe ſuſpiriis commendabat ſemimortuus quaſi; ùnde evenit, ut hoſpes moleſtiſſimus ſeſe vertens, Muſéi januâ exierit. Fatebatur poſteà hic è purgatoriô ſuô mundanô redux, quòd integrô vitæ curſû tam ſerias nunquam fuderit preces, conſcientiâ unicâ mille teſtibus potentiore, potiora peccata in cerebri conſiſtoriô in momentô ruminante-exaggerante. Utinam ſeculi noſtri Filii, quibus de pejore lutô præcordia fecit Titan, impietate incraſſatos cordis ac cerebri ſpiritûs per ſimilia horrenda contingentia ſibi attenuari ac illuſtrari concederent, ne tandem aliquando in magnô illô extremô judiciô ſerò cum Phrygibus ſapere cogerentur!

OBSERVATIO CLXIV.

D. GABRIELIS CLAUDERI.

Riſus Sardonius involuntarius plurium annorum innoxius, tandem lethalis.

FLeſſe bis, at nunquam legitur riſiſſe Jehovam;
Cur Hominis proprium riſibile ergò vocas?

Uti piè, ita concinnè cecinit Epigrammatiſtarum hucusque

usque primarius, Owenus. Notum inſuper eſt, illos, qui Phantaſiæ ſuæ idéis ac adfectibus, præcipuè verò riſui, malè imperant, & huic abuſivè connivent, quaſi à pueritiâ per ſaniùs ac modeſtiùs ſentientes non immeritò moneri in triviis quoque frequenti verſiculô:

Per riſum multum debes cognoſcere ſtultum.

Tanta quoque dolor! rerum humanarum eſt miſeria & inconſtantia, ut, quamvis ipſa Sacra Scriptura Nos jubeat gaudere cum gaudentibus, (cujus gaudii honeſti frequens interpres & ſocius ſolet eſſe riſus moderatus,) nihilominùs ſimilis riſus latentis morbi periculoſiſſimi aliquando prodromus eſſe cogatur; ceu ſequens edocet Hiſtoria: Medicus, quadraginta annorum circiter, laudabili eruditione ac ſanandorum ægrorum felicitate optimè famigerabilis, à ſe ipsô aliisque ſanus habitus, cùm negotiis ſuis practicis amplis obeundis ſufficeret, nihilque morboſi præter leve aſthma ſentiret, cui ſucceſſivè viliſſimâ, vel nullâ planè causâ impellente, ipsôque invitiſſimô cachinnus inhoneſtus diuturnusque accedebat. Cùm ingenuus hic Vir in propriis, more humanô, cæcutire viſus fuerit, plus vice ſimplici candidè eundem monebat Medicus alius primi ſubſellii, ut riſum hunc pro proditore latentis adfectûs ſcorbutico-hypochondriaci haberet, ideoque huic mederetur ac obicem poneret; Cùm cruditates primarum viarum in vapores acres fermentantes, muſculosque thoracis ac oris impetuosè ſtimulantes, & phantaſiam depravantes extra dubium riſûs hujus cauſa ſint cenſenda. Verùm perſuaderi ſibi nunquam paſſus eſt, cauſam ſemper aliunde derivans, usquedum Pleuritide ſuperveniente improvisò moreretur. Morte appropinquante maculæ ac tubercula ſcorbutica copioſiſſimè per totum corpus erumpebant, ob Archæum ultimô hôc conatu criſin quidem tentantem, ſed ſuccumbentem. Pateſcit inde, quantum interſit Practico, ut genuina cauſæ morbificæ cognitio eum non lateat. Diſcantque moroſi quidam Chremetes in verba Magiſtrorum jurantes rigorosè, graveque autori-

toritati ſuæ cauterium inuri metuentes, ſi novis hodiernis accidentibus morboſis, inter quæ jam primarius eſt ſcorbutus, fidem adhibere, ac methodo ſuæ conſuetæ nonnihil detrahere deberent.

OBSERVATIO CLXV.
D. GABRIELIS CLAUDERI.
Superfœtationes.

SUperfœtatio (dum ſcilicet poſt conceptionem ordinariâ NaturæLege peractam à novô coitu aliquando nova quoque & ſecundaria ſuccedit,) rarum eſt contingens inter millies-millenas impprægnationes & partûs ſolitos juxta mandatum Majeſtatici illius: Creſcite & multiplicamini, ſubſequens. Cùm autem miſerè exerceat nondum exercitatos Practicos juniores, ac puerperio adſiſtentes fœminas, nec multum in hiſtoriis Medicis de hâc tradatur, lubet ſequentia producere: Fœmina viginti ſex annorum, vegeta, fœtum ex uteri ergaſtulô Orbis amplitudini exhibitura, expectat quot-horis horam à primô ac cœleſti conjugii Autore ipſi ad hoc opus deſtinatum, & tandem parit Filiolum methodô fœminis conſuetâ, ſanum, hunc ſimul inſequente ſuâ ſecundinâ, ac lochiorum ſolitorum portione; Proinde hilari mente quoque ſibi gratulatur de illô Naturæ debitô (cujus gratiâ Mulieres beatas ſolatur ac honorat Sacra Scriptura) absque majore moleſtiâ perſolutô. Verùm, quid fit? reſtat inſignis abdominis tumor, motus inibi manifeſtè ſenſibilis, dolor alternans, lochiaque partim retenta; Puerperâ tamen vegetâ obambulante. Obſtetrix præſagit, è Geminis alterum mox quoque eſſe proditurum; ſed ſtatu unô eodemque per biduum ita perſeverante, hæret Lucinæ cum Conſiliariis fœmininis aqua; Propterea me accerſiri curant; Puerpera præprimis ulteriorem partum expectans non ſine cordoliô queritur, quòd quaſi ſola inter millenas mulieres peccaverit, dum non experiatur

hilare

hilare illud fatum gravidis ac puerperis aliàs commune. Sed bonô animô eandem cum adſtantibus eſſe juſſi, indicans, expectandam eſſe ſuperiùs notatum ſuperfœtationis finem, priore partu non minùs jucundum futurum; addebam non minùs jocô ſeriô, hæc animô eò generoſiore eſſe toleranda, cùm hujus ſuæ fortunæ ipſamet fuerit fabricatrix, per coitum fœcundum ſcilicet uno plurem peractum vel admiſſum. Mente itaque ſic compoſitâ ac tranquillâ ſeptimô demum à priore partu die exit alius puellus, hunc juxta mandatum Naturæ inſequente ſuâ ſecundinâ, lochiisque reſiduis ſuum penſum abſolventibus; Et hucusque, dum hæc ſcribo, vivit Mater cum bigâ filiolorum ſanâ ſana. Inter illa partus interſtitia dedi ſaltem aliquando, pro roborandô Archæô, Tincturam Corallorum, Eſſentiam Mumiæ Alcalicam, Eſſentiam Terræ Catechu, item alternatim Pulveres è præparatis, quæ vocantur, v. g. Ebore, Unic. foſſili, Coralliis, addita Cinnabari meâ fixatâ. Septimanâ hanc inſequente in eâdem plateâ in domô jam dictæ fœminæ è regione aliâ habitans idem planè experiebatur fatum, quod modò retuli, aliasque rariſſimè accidit, ſuperfœtatione ſexto ad ſeptimum die itidem ſuperveniente ſine aliquô incommodô.

OBSERVATIO CLXVI.
D. GABRIELIS CLAUDERI.
Fœtus in Uterô mortuus vi quaſi expulſus.

IN præcedenti Obſervatione prodiêre Superfœtationes, rariſſima conceptionis ac partûs opera; Læto huic contingenti ſuccedat triſte in mundanæ inconſtantiæ memoriam: Fœmina generoſa partui vicina ſentit ipsâ Eclipſeos Lunæ horâ quaſi partum inſtare, ob aquas mucoſas tali in ſtatu prodire ſolitas prodeuntes, adjunctis quoque ſimilibus doloribus, paucis

paucis tamen. Cùm autem modò dicta per triginta horas evanuerint, licèt applicita neceſſaria fomenta, inunctiones, ut & internè propinata fœtum de exitu tentatô modeſtè commonentia ac ſtimulantia, huic item, & Matri robur addentia; Econtrà virium proſtratio, cordis anxietas, aliaq; fœtum valdè debilitari docentia acceſſerint; alterô autem die motus ejus decens planè evanuerit, mole è latere in latus alterutrum abdominis prolabente, mucô inſuper ſubnigrô ac fœtente per genitalia effluente, auctô parturientis p. n. calore, cordis palpitatione, deliriôque, ob atomos putridas toti maſſæ ſanguineæ pro noxiâ fermentatione commovendâ communicatas, fœtum planè mortuum eſſe, clarè patuit. Proinde, cùm neceſſitas in ordinarias methodi medendi regulas jam jurare prohiberet, quippe quæ jubent, tunc demum fortia expellentia exhibere, dum fœtus ſitu legitimô ad partum inclinet, Mundo amplo ſeſe oſtenſurus, futurus incola; metuendumque foret, ne ingratus filiolus mortuus matricidium committeret, mortuô ſcilicet in vivâ impunè minimè hærere valente, hinc remedium dubium certæ deſperationi anteponendum cenſui, atque ſucceſſivè adhibui Pulveres è cineribus ſecundinæ Primiparæ & Pulvere Borracis ãã. ℈j. item Pulveris Borracis ʒß. Salis Succini Volatil. gr. vj. Pulveris Hepatum Viperarum gr. iv. Cinnabaris nativæ fixatæ gr. iij. Eſſentiam item è Sale Fuliginis meam; Pubem inſimul inungi juſſi Mixturâ ex Olei Cheirini ℥jß. Pinguedinis Serpentum ʒjß. Olei Stillatit. Succini ʒj. non omiſſis fomentationibus ex Herbâ Sabinæ, Artemiſiâ, Malvâ, Flor. Chamomillæ, Cheiri, &c. unde dolores neceſſarii rurſus excitati, usquedum exturbatus fœtus mortuus, ad putredinem jamdum tendens, quam hujus pediſſequa, ſecundina, ſociata mucô largô fœtidô, magis & maximâ ſui parte experta erat, inſequebatur. His peractis, Puerperæ ſanguini novus Balſamus conciliandus erat, putridâ corruptione & inde ortis Symptomatibus ſuffocatis, per Elixir Proprietatis & Eſſentiam Mumiæ alcalicam, è Sale fuligi-

liginis, Eſs. Caſtorei volatilem, Terræ Catechu, &c. Et, Deô gratiosè jubente, reconvaleſcentia rediit.

OBSERVATIO CLXVII.
D. GABRIELIS CLAUDERI,
De
Bufonum venenô nonnulla.

QUônam modô horrendos virulentiæ ſuæ effectûs conferant tam in genere ſingula venena, quam in ſpecie venenata animalia aliis corporibus, uti res eſt ſtupendæ admirationis, ita & mirè exercuit Eruditorum ingenia, imò à Neotericis contra Veterum occultas qualitates variè tracta eſt, & adhuc trahitur controverſiarum ſerra. De hisce hîc amplè extravagari, extra meum eſt ſcopum; lubet ſaltem aliquod memoriâ dignum de operatione producere: In præteriti anni Ephemeridibus, Obſervat. 113. f. 216. Nobiliſs. Dn. Collega, D. Schelhammerus refert, puerum petulantem cum ſociis ludendo inter varios jocos in campô arripuiſſe bufonem, huncque, manu ſuâ quidem detentum, alterius ori aperto intruſiſſe, idque ſine inſigni incommodô morbosô ac lethali; de quibus ibidem plura videre, ſi libet, licet. Petulantia hæc pueri virgis digna in memoriam mihi revocavit, me olim vidiſſe, circumforaneum aliquot diebus ſucceſſivis dilacerare dentibus bufones majores, eosque maximè venenatos, vel capita illis demordere; & hoc in publicô fori theatrô, ideò, ut Theriacæ ſuæ ſtatim ab hoc morſu aſſumendæ, credulæ plebi commendaret efficaciam. Quamvis autem iſte bufones non à ſuis famulis aut domeſticis, ſed ab adſtantibus peregrinis prece ac pretiô coëmtos afferri ſemper curaret; nihilominùs fraudulentam oculorum faſcinationem ſuſpicabantur tantùm non omnes. Animus hâc de re turbidus quieſcere nolebat, usquedum dictus Agyrta accer-

ſitus ac toties rogatus, nummisque tandem victus ſanctiſſimè mihi aſſeveraret, ſeſe ſpectatorum oculos minimè magicè ac dolosè fallere, ſed reverà morsûs hosce horrendos ſine noxâ perficere; imò ipſi idem eſſe, ut integrum bufonis corpus devoraret, abjectô ſaltem illorum capite; hancque mihi dubiè hærenti ſubjungebat rationem, bufonem è terrâ ſublevatum indignabundô Hominis apprehendentis adſpectu irritatum, ac perterrefactum, toxici ſui vim ad oculos, anterioresque partes capitis convocare; in reliquô verò corpore ita nocendi cacoëthes evaneſcere. Cùm autem hæc mihi planè clara non videantur, avidum Lectorem ad variorum Scriptorum conſilium ablego; Meum autem philoſophandi modum partim in præcedentibus annis declaravi, partim alii tempori reſervo. Hoc tamen addo, Helmontium jubere bufones illos majores, majorique venenô gravidos filô alligatos ſuſpendere, virgis cædere, ad iram provocare; inde fieri, ut effutiant mucum viſcidum ſubviridem, pro Amuletô ſuô antipeſtilentiali comparandô. Quod Ego olim jucundo ſpectaculô peregi, beſtiolâ inimicâ ad vindictam ſummè proclivi.

OBSERVATIO CLXVIII.
D. GABRIELIS CLAUDERI.
Cervus caſtratus in venatione lethaliter globulo transfoſſus.

CAſtrationem, præprimis quidem illam, quæ in hominibus, ad DEI imaginem conditis inſtituitur, opus eſſe impium & abominandum, cum Paulô Zacchiâ, Pontificis Romani quondam Proto-Medicô, ac aliis, ſtatuo; Cùm ſcilicet ita ſapientiſſimi Protoplaſtæ ſcopus ac mandatum, multiplicatio Generis Humani nimirum, imminuatur ac eludatur; ac Joh. Bened. Sinibaldus in Geneanthropoiæ Libri 3. Tract. 2. cap. 3. f. m. 358. variorum Autorum

teſtimonia adducat. Eunuchorum animos mutari, evadere doloſos ac pravos; nec unquam caſtratum fuiſſe optimi intellectûs ac bonorum morum. Accedit, quòd Divinus Legislator, Moyſes in ſui Deuteronomii cap. 23. v. 1. talibus vetet, intrare Eccleſiam; quod dictu ſanè horrendum; Miſerabiles iſti inſuper peculiare quaſi ac novum Hominum genus conſtituere cogantur, nec in Virorum, nec in fœminarum, imò nec in abjectorum Hermaphroditorum Societatem aſſumendi; Adhæc eorum vigor, generoſitas, ſermo & fortitudo virilis in muliebrem mollitiem metamorphiſetur. Videant igitur illi, mutilationem hanc ac Sophiſma Naturæ mandantes ac perpetrantes, quomodo inuſta hæc Conſcientiis ſuis cauteria in extremô judiciô ſint excuſaturi. Si teſtium & ſic virilitatis privatio in nonnullis eſſet excuſabilis, optarem Ego, ut Juſtitiæ adminiſtrator, Magiſtratus politicus, conſultum judicaret, caſtrare laſcivos iſtos hircos aphrodiſiacos, vel tauros in Venerem illicitam ruentes; vel impiam illam amaſiorum ſectam, qui ſine vocatione legitimâ, nec invitati in negotiô conjugiali maritorum invitorum ſeſe exhibent ſubſtitutos ac vicarios. Et hoc quidem fieret eò citiùs ac faciliùs, quòd iſti juſtâ pœnâ Divinâ ſibi ipſis ſæpiùs abbrevient ſocium, quem diligit uxor, mediante Morbô Gallicô, quem vocant; dum ſcilicet ulceroſus ac putridus redditur, & per conſequens illi Liberorum generationi ac ad licitam in venereis caſtris militandi methodum inhabiles evadant; inſimulque miſellos iſtos Cornigeros aliorum ludibriô non modò exponant; ſed etiam inde variis peccatis ex irâ, vindictâ, mœrore, natales trahentibus feneſtram aperiant.

Sed ad rem ipſam: Teſtium exciſio in brutis variis peracta, leviori ſubjecta eſt cenſuræ, quippe quæ utplurimùm in humani generis vergit commodum: Raró occurrit hiſtoriæ ſequentis cognata: Die 14. Auguſti, præteriti Anni 1688. duobus à Gothâ, Sereniſſimi noſtri Patriæ Patris, ac Saxoniæ Ducis, Friderici ſede milliaribus, propè arcem Tannebergam

NATURAL HISTORY


Fig. 36.
Fig. 37.
Fig. 34.
ad pag
325.
Fig. 35.
p.371.
Fig. 38.

in confinibus amplæ Sylvæ Thuringiacæ, more Venatoribus noſtris conſuetô venatio inſtituitur mediantibus linteis ac retibus. Dum Sereniſſimi Duces ocularibus plagis expectant ſuæ internecioni obviam euntes feras, ecce! inter alias prodit cervus peregrinus, inſolitæq; molis; ſed dictum factum, globuli violentiâ fati ſui finem experitur. Cadaver more ſolitô ponderum examini commiſſum ſuperavit quinque centenarios; ubi ſimul obſervatur, eum olim fuiſſe caſtratum, locoq; cornuum oſtendebat binas protuberantias craſſas, pugnos mole ferè æmulantes, quas clariùs manus pictoria communicabit. Plerique Rei venatoriæ periti credebant, hunc à quôdam Magnate curioſitatis gratia olim in talem ſtatum eſſe reductum; Mirabar Ego præcipuè, principiis phyſicis aures mihi vellicantibus, caſtrationem hujus bruti naturam adeò invertiſſe, ut materia cornibus aliàs deſtinata iisdem generandis ampliùs non ſuffecerit; ſed analogum ſaltem quoddam ab Archæô fuerit protenſum. Alius rem venatoriam diuturnâ experientiâ optimè callens Vir generoſus poſteà mihi retulit, de unô alterôq; ſimili exemplô ſibi certè conſtare, tantum autem abeſſe, ut Magnates teſtium privatione cervos impotentes redderent, ut potiùs ipſis, ſi poſſibile eſſet, virtutem generandi duplicarent, aut triplicarent; Caſtrationes verò tales inſtitui à ruſticis & opilionibus ob frumentorum ruinam cervorum multiplicationi indignantibus; ſi igitur uni alterique horum licuerit eſſe tam felici, ut offenderet in ſylvâ pullum cervinum, jam dictam operam clandeſtinè exercent, cùm illos enecare cariſſimô redimere pretio cogantur, Confitebatur inſuper, cervos caſtratos nunquam ampliùs à Naturâ cornibus ornari ſolitis ſuo generi; ſed horum locô geſtare ſaltem dicta tubercula oſſea; ubi inſimul notatu dignum, hæc per vitam ipſis ita conſtanter durare, nec ampliùs, uti cornua aliàs ſolent, annuatim decidere.

Fig. XXXIV.

OBSERVATIO CLXIX.

D. GABRIELIS CLAUDERI.

Sanguis ferè albus, additô ſerô chyloſô, ſine ſanitatis damnô aliquot annis durans.

NObilis quidam quadragenarius, habituſque athletici, uti ingenioſiſſimus bellariorum in gulæ ſuæ favorem erat inventor, ita quoque quot diebus ſerium ſeſe Hectorem in hiſce ingurgitandis exhibebat, eaque aſſumta largô, & eô quidem non minùs pretioſô ac jucundô inundare potu callebat; neque illa, quæ ita ingerebat, malè digerebat, aut poſteà per alvum indebitè egerebat; atque ita ſanitate utebatur ſatis vegetâ. Cùm autem ſanguis plethoricè augebatur, accedente corpulentiâ, autor ipſi eram, ut poſt ſumtum laxans venam ſecari curaret. In vicem autem, quod ſanguinem boni commatis proditurum mihi promiſeram, apparebat ſanguis quoad potiorem ſubſtantiæ ſuæ partem albus, adſociatus ſerô largô chylum indigeſtum æmulante. Metuebam primò latentem vehementem cachexiam ob peſſimè diſpoſita viſcera chyli- & ſanguificantia, cui non è longinquô ſæpiùs apoplexia adeſt pediſſequa. Proinde pro majori cautelâ conſulebam chyli laudabilioris generationi, Balſamique vitalis in maſsâ ſanguineâ reſtaurationi per Medicamenta è Sulphure, Terrâ Catechu, Mumiâ, Elixire Proprietatis, Sale Volatili oleoſô Aurantiorum ſuccurrere. Verùm obſervans, illum ſibi ſemper eundem, id eſt ſanum, manere, re adcuratiùs ventilatâ, inveni, hoc adſcribendum eſſe cibo ac potui, uti liberaliori, ita laudabiliori; dum ſcilicet chylus copioſior & pinguior per Meſenterii vaſa ac glandulas non ritè digeſtus & transcolatus maſſæ ſanguineæ intruſus & obtruſus partes ſuas ſulphureas tam ſubitò ac decenter in ſolitam rubedinem exaltare

altare nequit. Quâ de re conſuli quoque poterit Ephemeridum noſtrarum Anni ultimi Obſervatio 65. cum annexô Scholiô Schrôckianô curiosô. Dictus ille Nobilis, de quô jam nobis res eſt, non paucos annos ſatis incolumis conſumebat; ſucceſſivè è variis catarrhis varia patiens, lentô gradu ipsâ cæcitate ſubſequente; usquedum Senex ſupraſexagenarius mediante apoplexiâ Naturæ debitum ſolveret.

OBSERVATIO CLXX.
D. GABRIELIS CLAUDERI.
Trifolium quadrifolium.

NE Philobotanicorum hôc annô me oblitum eſſe, accuſari poſſim, lubet illorum meditationibus curioſis ſequens offerre: Naturam aliquando extra orbitam & Leges à Naturâ naturante, DEO, ſibi præſcriptas extravagari aut ludere, uti in omnibus Creaturis, ita non minùs in regnô vegetabili, ſinguli illi nôrunt, qui dictum hoc regnum nôrunt & excolunt. Prodeat jam è pluribus ſpreta quidem, at amœna illa herbula, Trifolium. Hæc utplurimùm tribus conſtat foliis, veluti nomen impoſitum, & autopſia, invictus ille teſtis, teſtatum eunt; Aliquando tamen eſt quadrifolium; ſiquidem nota eſt ab hujus raritate orta vulgi opinio, eaque ſatis ſuperſtitioſa, ſi quis, caſu quidem fortuitô, reperiet tale trifolium quadrifolium, idque ſecum portet, fortunâ uti ſibi mirum-quantum favente; ſed anile hoc eſt, fabula eſt. Scrutatu tamen dignius, magisque curioſum jam ſubſtituo: Fœmina verè pia & honeſta, in hortô vel pratô trifoliferô ambulans, dicta talia quadrifolia pro lubitu quaſi, & quotquot horum deſiderat, ſubitò poteſt invenire. Cùm hæc Uxori meæ, nunc deſideratiſſimæ, ob conſanguineitatem fuerit ſummè familiaris, non raró eveniebat eô anni tempore, omnia dum rident, dum formoſiſſimus annus,

nus, ut in hortô conveniremus, ac cœnaremus. Inſolitâ igitur rei novitate ac curioſitate ſtimulatus, cum aliis amicis aliquoties circulô circumſcripſi areolam horti paucas ulnas longam-latam; In hâc cœlô planè ſerenô, ac dum ſudum erat, oculos noſtros fatigavimus; verùm ſæpè fruſtraneô effectu, adeò, ut vix unicus in unicum vel alterum quandoque inciderit. Laudata fœmina è longinquô adſtans amicô jocô Nos ſubſannabat, atque nobis quaſi indignabundis inquirere ceſſantibus, tentabat ipſa, obiter illud idem tractans, quod fatum oculis noſtris lynceis ac avidis negaverat; Et dictum factum, ſpatiô minimi tempuſculi dictæ herbulæ 20. ad 30. & quod excurrebat in locô circumſcripto ſubridens nobis ſtupentibus monſtrabat, decerpebat, exhibebat. Cauſam Curioſi hujus genuinam me latere, ad τὸ ἐπέχειν confugiens, fateor; neque illam ſufficientem hucusque mihi exponere valuerunt diverſi rerum phyſicarum ſatis periti, à me ideò interrogati. Ita perſæpè ludit in Humanis Divina potentia rebus; noſtrisq; Poſteris, tenui quidem meô judiciô, enodanda ac ventilanda nonnulla reſervat.

OBSERVATIO CLXXI.
D. GABRIELIS CLAUDERI.
Capra pariens fœtum humano analogum mortuum, & ſimul caprum.

INter innumeras ſummè mirandarum Creaturarum myriades, quas infinita Divinæ Majeſtatis Omnipotentia fieri juſſit, & adhuc conſervari jubet, tenui quidem meô judiciô, palmam ſingulis præripit Mundus ille concentratus, Homo vel Microcoſmus. Rem hanc clariſſimam tædioſis ambagibus confirmare velle, tam inutile cenſeo, ac ſi ſplendente Sole lucem accenderem. Hôc in opificiô humanô ſummè ſtupendô ſummè ſtupendus eſt præ aliis omnibus Hominis ortus, & ge-

& generationis opus, præprimis accedente felici noſtrô hôc ſeculô curioſiſſimâ de ovariô muliebri notitiâ; quod tamen plures frigidis vel ad ſummum tepidis cerebri ſpiritibus ventilare ſolent. Ille, qui è nihilô omnia creavit, juſſit per imperioſum ſuum: Creſcite & multiplicamini, in primâ rerum creatione creaturas quascunque, ut ſimilis ſimile generando ſuum genus conſervet & augeat; quod etiam plerumque ita peractum, & peragitur hucusque. Accedit tamen dolor! aliquando malitioſô Diaboli dolô, ut abominabile illud peccatum, quod Sodomæ juſta ira Divina pluviâ igneo-ſulphureâ puniebat, à ſemibrutalibus iſtis libidinis mancipiis exerceatur. Cujus generis hiſtoriam invitus profero ſequentibus: Annô præteritô 1688. circulum ſuum dimidiâ tantùm non parte abſolvente, in pago Schlehenhayn, duobus milliaribus abhinc diſtante, ſub Præfecturâ Electorali Bornenſi, capra, quæ anteà aliquoties pepererat fœtûs ſuo generi conformes, modôque à Naturâ inſtitutô, excludit fœtum mortuum, humano quoad plurima ſimilimum, ſcilicet penitus nudum & quoad cutem album; caput rotundum rotundas gerebat aures; locô oculorum foveæ præſentes aderant, ut ita plenariam nondum obtinuerint perfectionem, vel fœtus aliquot jamjam diebus in Utero erat mortuus; ſiquidem poſticâ ſui parte ad putredinem inclinabat; pedum & manuum vel quatuor pedum extremitates ad caprinam ferè accedebant figuram. Partus alter, genuina nimirum capra, elapsâ horâ unicâ priorem inſequebatur, & quidem vivus; pauciſſimis tamen pòſt diebus moriebatur.

Ludit quidem natura errans in conceptionibus monſtroſis, de quibus integri Libri plures obſervationes & ſua ſymbola nobis admetiuntur; Maxima ſuſpicio tamen hoc in caſu accuſare videtur coitum humanum, quâ de re arduâ hic philoſophari amplis verbis, Leges Collegii prohibent, ne longiùs excreſcant mea communicata; Propterea curioſum Lectorem ablegatum volo ad Caſp. Schotti Phyſicam curioſam, ubi va-

ria è Deuſingiô, Fortuniô Licetô, & aliis ventilata ac controverſa offendet. Anatomico cultro lubenter ſubjeciſſem, niſi jamdum per dies octo fuiſſet ſepultus, dum rumor ad meas pertigit aures. Dictæ Præfecturæ Bornenſis Ephorus, Dn. Elias Liebelerus, Vir honeſtus & curioſus, hærebat dubius, num ob Sodomiticum facinus inquireret; Cùm autem Petrus Renkerus, Paterfamilias, aliique capræ viciniores vitæ integritate, ac à ſceleribus puritate ſeſe commendarent, ſuſpicio in nullum cadere poterat, ideoq; inquiſitio omittebatur.

OBSERVATIO CLXXII.
D. GABRIELIS CLAUDERI.
Pullorum Cuculi excluſio vera.

SI ingratitudinis quidam eſt arguendus, illum ingrati Cuculi nomine proclamari, nôrunt etiam pueri Linguæ Latinæ lac adhuc inſugentes. Natales autem debet hoc dicterium cuidam non planè veræ opinioni hiſtoricæ, quaſi Cuculus fœmina ova ſua ſupponeret excludenda minutulæ illi aviculæ, Ficedulæ, der Graſmücken; excluſus autem pullus poſteà matrem devoraret obſtetricantem. Ut veritatem vel fabulam hujus rei communicare poſſim Orbi avido ac dubio, cum Amico adcuratè obſervavi nidum Cuculi eô tempore, quô aves pullos ſuos excludere ſolent, & ova ibidem nulla inveni; invenimus autem eadem (quippe quæ colore variô aut puncticulis diſtincta facilè poſſunt ab aliis dignoſci, impoſita nidulis in eodem horto exiſtentibus Ficedularum (derer Graſmücken) Motacillarum (derer Bachſtelzen) & Parorum. Vidimus quoque, dictas aviculas ovis diligenter & cautè incumbere, usquedum Cuculi excluſi more ſolitò implumes ab hisce nutricibus maternè nutritæ, ac poſteà pennis præditæ abeant, excedant, evadant, erumpant ingratæ.

Quò

Quòd autem Cuculi iſti juniores dictas poſteà devorent nutrices, veritati neutiquam eſt conſonum; cùm ab abitu ingratorum iſtorum pullorum aviculæ piæ, veluti anteà fuerint conſpicuæ; Quæ devoratio ideò quoq; præſumenda non eſt, cùm Cuculus inter aves rapaces à Phyſicorum nemine, quantum mihi quidem conſtat, numeretur.

OBSERVATIO CLXXIII.
D. GABRIELIS CLAUDERI.
Effigies ſudans.

STatuas aliquando ſudâſſe, aliquot profert Hiſtorias poſt ſua fata adhuc vivens, & victurus, quamdiu vivent, ſi quidam victuri ſunt, Poſteri, Thom. Bartholinus, Hiſtoriar. anatomicar. Centur. 5. hiſtor. 93. & cauſam occultiorem ſubeſſe ſtatuit. Simile ferè exemplum obſervavi, dum Anno 1669. die 16. Junii effigies pileatoris, ante decennium jamdum mortui, in hypocauſti penitùs lignei pariete ſimili ſuſpenſa, ante iſtius obitum quoque picta, in Urbe noſtrâ per viginti quatuor horas ſudaverit ſerum ſalſum, idque copioſum è regione thoracis, primò lateris dextri, dein quoque ſiniſtri; Talis ſudor triginta ſex horis elapſis denuò rediit, duravitque itidem triginta ſex horarum ſpatiô. Adcuratè ſanè & ſeriò in cauſas ſudoris hujus phyſicas inquiſivi, num fortè externum aliquod accidens cauſam occaſionalem ei præbuerit; ſed prægnantem & conſtantem ſanè nullam invenire licuit; cùm è naturalium rerum abyſſô ſufficientes extorquere ſummè ſit difficile; Ego econtra ſuperſtitioſa vulgi nimiùm creduli omina penitùs averſer. Nihil mali tamen inde ſucceſſit aut Urbi, aut Viduæ, aut ejus Familiæ, ſucceſſit verò paulò poſt Publico non parva calamitas; quod aliorum Cenſuræ relinquo; neutiquam ſimilia pro nihilô planè habenda judicans; ſiquidem talia aliquando contingere, conſentient mihi Chriſtiani

& experti Phyſiologi; veluti quoque de vagitu fœtûs uterinô mentem meam detexi tertiô abhinc annô Ephemeridum noſtrarum Leopoldinarum.

OBSERVATIO CLXXIV.
D. GABRIELIS CLAUDERI.
Odontalgiæ violentæ cauſa vermis, dentis inquilinus.

SI Odontalgiæ externam faciem, ejusque circumſtantias ſpectes, videtur eſſe vix tantilli pretii, imò magis adhuc vilipenderetur, niſi aliquando ſensûs ſui atrocioris penetrabilitate formidabilem ſeſe redderet, inſimulque eluderet medicamenta è ſubtilibus aliàs ſagaciorum cerebellorum ſpiritibus propullulantia. Cauſam autem infelicium talium effectuum plerumque hærere in causâ non adcuratè cognita videtur, quippe quæ modò huic, modò illi ſubjecto diverſiſſima eſſe ſolet; Ut proinde dubium ſit, qualis duro huic nodo cuneus idoneus & ſufficiens, an narcoticus, calidus, frigidus, &c. ſit opponendus. Sic ſexagenario major, è Germaniæ Primatibus quidam, diverſis annis dura varia patitur à catarrhis, quos vocant, modò ipſum caput, modò thoracem, modò artûs dolorosè ac impetuosè turbantibus; qui quidem natales debebant cruditatibus maſſæ ſanguineæ per diætæ errores excitatis; Tandem lympha acris p. n. hinc inde vagans ſibi hoſpitium quoque eligit in dente aliquô, & quidem tantô Hoſpitis tædiô, ut hasce moleſtias podagricis doloribus aliquando majores æſtimaverit. Oppoſita medicamenta multum aliàs valentia, hîc nihil valebant, exhibita à Medicis ordinariis, & aliunde advocatis; nonnulli dentis evulſionem ſuadebant; ſed cùm non fuerit carioſus aut cavus, ſed integer, & ob aliud contraindicans aliis diſplicebat.

Acci-

Accidebat autem, ut Empiricus, qui è dentium adfectibus inſignem ſibi gloriam, ſuæque crumenæ turgidæ ſolatium comparaverat, more huic ſectæ communi oberrans urbem tranſiret. Medici ordinarii de dolore ſopiendô ſolliciti, ac expendentes, quantum Hygéa noſtra debeat Experientiæ, ægroto adducunt dictum Medicaſtrum, qui viſu & tactu examinans accuſatum illud perfidum membrum, (utinam otioſum ac pigrum!) liberâ voce ac mente, tanquam è tripode, ſtatim proclamat: Dens hic quoad interiora eſt carioſus & cavus, domicilium exhibens vermi vivo; ideoque in evulſione ejus primarium conſiſtit auxilium. Medici quodammodò rubore perfuſi, ægrô conſentiente, conſentiunt. Iſte feliciter evellit dentem exteriùs ferè ubivis, præcipuè verſus radices magis ſenſibiles integrum. Dum Medici quaſi attoniti hunc inſpiciunt & ventilant, ac verentur, ne ullum doloris futuri alleviamentum ſit ſperandum, agyrta ille petit aciculam minimam, vel porcinam ſetam, eamque intrudit foraminulo minimo in dentem penetranti; arreptôque malleô dentem frangit, unde ſubitò, veluti hiſtrio quidam proſilit vermis vivus, illis ſimilis, qui è caſeô putreſcenti oriuntur. Statuebant inde Medici, causâ ab effectu & à poſteriori depromtâ, per iſtum canaliculum denti ſucceſſivè intruſas fuiſſe portiunculas cibi ac potûs, quæ ibi retentæ putredini lentæ, & hâc obſtetricante materiam vermi præbuerunt.

Pateſcit inde, cur omnia remedia, vel narcoſin, vel cauſam calidam, vel frigidam reſpicientia modò methodicè, modò ab aliis empyricè exhibita irriti fuerint effectûs; dum ſcilicet ſingula illa neutiquam extiterint pro palatô vermiculi, quippe qui nutrimentum à Naturâ ſibi, uti omnibus creaturis, promiſſum neceſſariò deſiderans, nec obtinens, ad furibundam indignationem per vices, famis juſſu, fuerit laceſſitus, usque dum dictô modô ac in ſuô genere generosè mori fuerit coactus.

OBSERVATIO CLXXV.
D. GABRIELIS CLAUDERI.
Rara in Geminis animorum & corporum ſimilitudo.

OBſervationum mearum hoc annô communicatarum nonnullæ mentionem faciunt inter miraculoſarum creaturarum myriades adhuc magis miraculoſæ ſtructuræ Hominis, vel ædificii Microcoſmici, ac in hâc ſummè miraculoſæ conceptionis, generationis ac partûs. Subjungere placet neutiquam minùs miraculoſam Geminorum (derer Zwillinge/) formationem, & quæ huic miraculosè ſuccedunt.

Hosce igitur ob nutrimenti identitatem non modò quoad figuram externam, ſed & internas animi operationes ſibi utplurimùm aſſimilari, in vulgus notum eſt quidem, rarum tamen & jucundum exhibeo teſtimonium: Viro magnifico naſcebantur Geminæ ſanæ; hæ ab incunabulis non modò, ſi conſideres ea, quæ ad externa ſpectant, formam, vocem, geſtûs, & centum alia, ſibi ſemper fuêre adeò conformes, ut etiam à Parentibus & domeſticis vix diſcerni invicem potuerint, ac ovum ovo vix ſimilius; ſed etiam quoad interna unanimes prodebant mentis effectûs, mirandamque ſanguinis ſympathiam, ut idem ferè ſemper ſenſerint, ſimul obambulaverint, imò eosdem morbos, non modò quidem variolas & morbillos, ſed & alios, v.g. vomitûs, obſtructiones meſenterii, tumultûs hypochondriorum, uteri, &c. non ſine omnium ſtupore fuerint paſſæ; accedit ſuaviſſima illa harmonia conjugialis, quam ſine delectabili riſu vix percipiet curioſus Lector; dum ſcilicet nubiles factæ, ac honeſtus juvenis unam in matrimonium decenter ambiverat Parentibus conſentientibus, altera ſororis ſponſo externis, iisque licitis ama-

amatoriis ceremoniis pari modô ire obviam allaborat. Poſtquam verò paulò poſt & altera idem cum Proco fatum experitur, hæ ambæ inter amaſios ſuos pudici amoris ebullitiones, methodis quidem honeſtis, reciprocè dividebant, alternabant, miſcebant, conjungebant. Cùm decem milliaribus à me diſtent, hactenus ob alia magis neceſſaria de ulteriore harum vivendi modô inquirere, non licuit. Num ſimul quoq; & unanimes Mundum ſint egreſſuræ, veluti ingreſſæ ac progreſſæ, dies docebit.

OBSERVATIO CLXXVI.
D. GABRIELIS CLAUDERI.
Excreſcentia carnoſa ſuper corneam oculi dextri tunicam.

SI ab aureô illô ſuſpiriô: *Orandum eſt, ut ſit mens ſana in corpore ſanô*, diſcedere nos Chriſtianos haud decet; ſanè rebus ſuis benè conſulit, qui ſubjungit: *Orandum eſt, oculi ut ſint ſani in corpore ſanô!* Viſu enim officiô ſuô non fungente, myriades miſeriarum Reipublicæ Microcoſmicæ inde ingruentes enumerari poſſent; DEO inſuper ac Proximo debitum debitè ſolvere impedimur. Lubet in Practicorum juniorum gratiam ac commodum proponere caſum tam per ſe rarum, quàm ratione remediorum oculo patienti adplicitorum ipſis utilem futurum: Viri generoſi ruri degentis Filio novienni corrivalis inter petulantiæ puerilis exercitia pulverem calcis vivæ pro domô exſtruendâ copioſè præſentis faciei ac oculis inſpergit; Oculi ſimilium impatientes ſtatim inde concipiunt inflammationem ac dolorem non parvum. Die ſequenti accerſitur ex Urbe vicinâ Chirurgus, qui locô lenientium ac mucilaginoſorum adhibendorum oculo præprimis dextro pejora patienti immittit oleum hepatis muſtelæ piſcis. (von Aalraupen/) Hoc in ſuffuſione ac aliis non modicum

dicum quidem ſolatii aliquando affert; Verùm uti hîc extra rhombum, præcipuè non recens, & rancorem ac acorem manifeſtè oſtendens adplicabatur; ita ſtatus quoque in deterius vergebat; propterea advocabatur quoque Medicus experientiſſimus, cum Chirurgô ſaniùs ſentiente. Quamvis autem ab his fuerint peracta cautè varia, quæ ratio ac medendi methodus dictitabant, nihilominùs carnoſa excreſcentia (ein Fleiſchfell/) è canthô oculi per tunicam corneam adeò ſeſe dilatabat, ut huic palpebram connexerit, imò & pupillam transierit, & per conſequens ſpiritûs hujus oculi viſivos feriari mandaverit. Medicus providus cum Chirurgô, aliisque in conſilium vocatis prognoſtico tandem ægrum relinquunt, ac Dn. Parenti, hoc malum ſine carnoſæ partis exciſione, quæ tamen in corpore tenellô ob ſuetum inflammationis, ulceriſque cancroſi inſecuturi ſummè dubii eventûs, tolli non poſſe, detegunt. Parentes, ne aliquid intermiſiſſe accuſari poſſent, aliunde auxilium quæſituri, mihi ac Joh. Hilſchero, ſolerti Chirurgo noſtro aulico Filiolum concredunt. Nos ſectionem modò dictam itidem magis noxiam, ac utilem judicantes, aliunde opem quærere non poteramus, quàm per medicamenta hanc carnem abſumentia; proinde applicuimus ſucceſſivè, vigili quidem mente ac manu varia; cùm dubius remediorum eventus certæ deſperationi ſit anteponendus. Quod interna attinet, & pro affluxu ſeri p.n. revellendo ac pro cauſæ ratione exhibui aliquoties pilulas leniter evacuantes; Pro maſsâ ſanguineâ verò depurandâ Eſſentiam Mumiæ & Elixir Propriet. alcalicum, Sal volatile oleoſum Succini, Pulveres Cinnabarinos cum Succinô, & alia. Externè verò, præter adhibita veſicatoria, ſternutatoriaque remediis inter dictorum uſum ita procedebatur: Aliquot diebus oculo Chirurgus indebat pulverem ſubtiliſſimum è conchis, additô modicô Pulveris Radicis Symphyti; ſimul circa oculi regionem illitâ Aquâ Ophthalmicâ cum Vitriolô albô, & Extractô Saturni, vel Minii. Poſt quatuor dies mediante ſpongiolâ

bacillo

bacillo alligatâ Chirurgus dictæ hujus aquæ portiunculâ ter in die cautiſſimè tangebat aliquam carnoſæ excreſcentiæ partem. Hâc aquâ aliquandiu ita continuatâ, tetigimus modò dictam carnem ſpongiolâ pauciſſimum Spiritûs Vitrioli, partim rurſus exſiccati, continente; Poſteà paulò liberiùs jam notatum Spiritum in lignô ſubtiliſſimô exſiccatum admovimus methodô jam deſcriptâ, ægrotô de dolorosâ ſenſatione non adeò conquerente. Ut neceſſaria medicamentorum varietas obſervetur, & alternatio, Chirurgus poſteà ſpongiolam vel lignum parcè humectavit lixiviô illô fortiſſimô, unde ſapo excoquitur, inſpiſſatô, eôque tenerrimè tetigit carnem immorigeram. Ne autem fortaſſis hæc corroſiva, licèt molliusculè indita, aliquam oculo parerent noxam, aliquando inſtillabatur parum lactis Virginis, quod dicitur, id eſt, aceti dulcis è lithargyriô. Poſtquam hæc ita ſex ſeptimanis, & quod excurrit, ſummè tædiosô labore & cautelâ fuêre tractata, affulſit ſpes optati effectûs nonnulla.

Antequam modò enarrata remedia oculo inſtillabantur, aliquoties priùs tentabamus, num inſtrumentô ſubtili caro hæc ſylveſtris poſſit elevari, & à tunicâ corneâ modeſtè ſeparari, & dein à factâ inciſione exſiccari, poſteaque plus ultra procedi; ſed oleum operamque perdebamus omnem; ideoque jam enumeratos liquores immittebamus ſucceſſivis & alternativis vicibus. Nihilominùs poſt frequentes hasce inſtillationes denuò tentabamus elevationem & ſeparationem carnis ſuperfluæ à tunicâ bis in die, mediante ſtylô ferreô ſubtili rotundô, non acutô; Cùm ſtylus hicce duro huic nodo non videretur ſufficiens cuneus, Chirurgus ei ſubſtituebat magis latum, nec tamen & hunc acutum; Hic aliquid pro votô ac ſcopo noſtrô feciſſe videbatur; plus ultra progrediendo, ei ſubſtituit Chirurgus ſtylum modicè acutum, illi quodammodò ſimilem, quô venæſectio peragitur, cautiſſimis tamen digitis admotum; Et hoc quidem ſucceſſu adeò felici, ut caro iſta tunicæ palpebram adnectens, ac pupillam operiens fuerit

ſeparata & elevata, exſiccationem, vel invita, promittens. Idem de parte illâ oculi canthum tegente, utpote craſſiore, non minùs ſperabamus; proinde nihil præter lac virginis inſtillavimus. Dictas hasce moleſtas inciſiunculas per ſex ad octo ſeptimanas dum adhuc continuavimus, pars quoque interior palpebræ à carne tunicæ penitùs fuit liberata, ut & bonâ ſui parte reliqua carnoſa portio corneam tegens, & exſiccata, poſteà facilè tollenda.

Poſt varios casûs, poſt tot diſcrimina rerum dum victoriam & triumphum inſtare nobis promittimus, Fati inclementiâ, ac nobis talia vix cogitantibus evenit, ut ægroto ſocius quidam accedens malitiâ puerili perſuaſerit clanculùm, ut tam diu tantas moleſtias à nobis toleratas ulteriùs perferre denegaret, quas hucusque præter ætatis ſuæ genium rariſſimâ patientiâ, blandis quidem verbis ac variis promiſſis à nobis ſtimulatus, ſuperaverat; propterea noxiâ capitis agitatione, ac impatienti corporis motu impediebat adeò felices manûs effectûs, meliora propediem promittentes. Cùm itaque tam immorigeram ob reluctationem ſtyli acumen oculo agitato applicare, ſine ejusdem vulneratione fuerit impoſſibile, poſt paucos dies denuò coaleſcere palpebra & cornea tunica mediante carne dictâ, ac omnia in pejus vergere cœperunt; proinde Generoſo Dn. Parenti infelici Filium infeliciorem non ſine inſigni cordoliô ac impatientiâ domum remiſimus. Poſt hæc Dn. Parens ſummè ſollicitus uni alterique plurimâ experientiâ aliàs ſeſe Orbi commendanti concredidit, qui varios liquores inſtillârunt; ſed eventu ſingula facta fruſtraneô, dum hæc ſcribo, ac infauſtô.

OBSER-

OBSERVATIO CLXXVII.
D. GABRIELIS CLAUDERI.
Mercurius è metallis & mineralibus copioſè ac facilè obtinendus.

INduſtrios rerum naturalium Scrutatores miris ſanè modis torſit & exagitavit, ſi quid aliud inter Creaturas humanis uſibus à Creatore ſummô deſtinatas mira illa creatura, Mercurius vivus; & quæ inde ſuccedunt, ex abditô Terræ ſinu prodeuntia. Si enim à re medicamentoſâ chymicâ exordiar, Hygéa noſtra vix aliud reperiet in ampliſſimô ſuô cornu copiæ, quod tam laudabili ſuperfluitate nobis & ægrotis admetiatur ſua auxilia, quàm dictus Mercurius vivus, & quæ inde componuntur; dum ſcilicet exhibet purgantia, ſudorifera, confortantia, purificantia, vulneraria, & quæ his analoga, & vicaria, tam interno, quàm externo uſui deſtinata. Si Medicamentis relictis progredior ad Alchymiam; In hujus aſſeclarum tantùm-non omnium ore crepat quotidiè Mercurius, dum alii in illô veram Lapidis Philoſophici materiam hærere credunt; alii ad minimum in metallorum arte transmutatoriâ felicem eventum ſibi promittunt; imò, quod non negandum, è plurimis talia tentantibus uni alteriqúe aliquando licet eſſe tam felici, ut, quod optat, obtineat, quod Theoph. Paracelſi, & aliorum exempla evincunt. Si perrexero ad alia vitæ genera, obſtupeſco ſanè, æquâ mente ventilans, quantisquantis curioſorum artificum mechanicorum, ac variorum aliorum turmis operam ſuam exhibeat ille idem.

Cùm igitur Mercurius nativus, vel è ſcoriis mineralibus erutus tantæ ſit utilitatis, variorum ſeculorum tempore tam Chymiatri, quàm Alchymici innumeris modis animos ac corpora fatigârunt, ut è ſubſtantiis metallorum, mineralium, ac ſimilium rerum Mercurialem ſepararent, atque exaltarent pu-

ritatem. Factum autem illud eſt, utplurimùm ſine operantis deſideriô neutiquam reſpondente; Et hoc quidem adeò frequenter, ut primi ſubſellii quidam Medici minimè dubitaverint, anxiè quæſitos iſtos Mercurios planè pro non-Entibus venditare. Verùm enimverò ſeculô hocce noſtrô, rerum eruditarum promocondô fertiliſſimô, per multiplicem experientiam nullis rationibus theoreticis refutabilem aut infringendam poſſibilitas hæc adeò inclaruit, ut cogamur exclamare: Quantum eſt, quod ignorârunt Anteceſſores noſtri, ad alia in Arte noſtrâ prudenter ac benè gerenda, excolenda, noviterque inventa amplificanda ſatis lyncei, ſagaciſſimi, ſuâque laude ideò digniſſimi. Similia diverſa ſpecimina oculis noſtris non tantùm exponunt hodiè Libri Chymicorum impreſſi; ſed & variis privatim innotuerunt, è centum ſaltem unicus prodeat, nimirum Dn. D. Wedelius, Jenenſis ille Phoſphorus, qui Mercurii Saturni poſſibilitatem improvisò inventam Ephemeridum noſtrarum Leopoldinar. Decuriæ II Anno II. inſeruit; Cui adſentiunt plures curioſi alii, ultimis hisce annis, profitentes, Mercurificationem hancce tam tædioſis laboribus, tam inſignibus ſumtibus diu à multis fruſtrà quæſitam, imò pro impoſſibili habitam facilè ac levibus enchiriſibus è quocunque metallô ac minerali poſſibilem demonſtrari poſſe. In horum fidem adnectere cogor, Amicum Medicum, jam propoſita vera eſſe, ſanctâ fide mihi aſſeverâſſe, imò diverſorum Mercuriorum ſpecimina oculis meis avidis obtuliſſe; unde audebam petere, velit modum parandi fidei ac curioſitati meæ concredere; ſed hoc reſponſi reponebat: Modus, Mercurios è metallis & mineralibus in copiâ eliciendi, à Comite quodam philochymicô magnô, eâ mihi conditione communicatus eſt, ut nulli unquam, nedum Filio meo detegerem; fidemque juramenti locô, ut confirmem, coëgit, quod & Ego rei huic avidiſſimè inhians præſtiti; quod hucusque pluries dolui; aliàs ſanè Candori Tuo paratiſſimus eſſem in detegendô hoc arcanô; ſi modò arcanum eſt appellan-

landum; ſiquidem methodus parandi eſt minimi laboris, minimorum ſumtuum; Copiam Mercurii ita parati offero, quantum hujus deſideras; ſiquidem diverſos horum diverſis uſibus deſtino; Verùm mors inopina paulò pòſt Eundem plurimis meditationibus ac laboribus conſumtum Curioſo Orbi eripiebat. Gratulamur proinde tempori præſenti, quòd arbores noſtræ chymicæ ſuperioribus ſeculis ſucceſſivè ac lentè neceſſariis radicibus poſitis, jam flores & fructus protrudant incomparabiles; Divinam Sapientiam humilimè rogitantes, velit porrò pro Nominis ſui gloriâ ac Proximi commodô fertiliores ac illuſtriores reddere, ut inventis inventa addamus, neque eadem poſteà aliis invideamus; ſed veluti cœlitùs ea gratis accepimus, ita quoque gratis Publico reddere allaboremus.

OBSERVATIO CLXXVIII.
D. GABRIELIS CLAUDERI.
Speculorum confectio.

Cùm in præcedenti Obſervatione mentionem fecerim, Mercurium non modò Chimiatris, ſed etiam pluribus curioſorum artificum mechanicorum generibus communem exhibere materiam, placuit è largiſſimâ hâc farragine unicum producere; nimirum, quomodo mediante illô curioſisſimus, jucundiſſimus ac utiliſſimus labor, ſpeculorum confectionem intelligo, inſtituatur, & quidem ſine tædioſis ac gravibus moleſtiis; nihilominùs ingenioſus etiam Lector ſpeculum aut corporis aut mentis oculis adſpiciens ſtuporem ab hoc inventô uti exhilarante, ita mirabili ſibi extorſum fatebitur. Me quidem non latet, hoc opus multis artificibus ac Mercatoribus innotuiſſe; ſed ſibi ac ſuis lucelli gratiâ ac nummorum aucupiô arcanè reſervari; proinde eruditis rerum naturalium admiratoribus, quippe cum quibus mihi res eſt, hoc detego; unde nihil damni accedet reliquis;

ſemper enim animum eò intendi, ut nemo lædatur, econtra cuilibet ſuum tribuatur. Sequenti autem methodo procedat operator: Paretur folium aut lamina tenuis, Talerum craſſitie non planè æquans, è ſtannô purô, ſive ea ſit rotunda, ſive quadrangula, ſex- vel octangula, prout ſpeculum deſiderat oculus & manus opificis; Hæc optimè fricetur ac lævigetur cretâ ſubtiliſſimè pulveriſatâ, pro removendâ omni impuritate. Tunc dictæ laminæ illinatur Mercurius vivus, usquedum hæc molleſcat quaſi; poſteà imponatur eidem vitrum laminæ dictæ ſtanneæ figurâ ſimile, ut ita Mercurius ſit medium inter laminam ac vitrum; Hæc unita in declivi ponas aliquot diebus, ut Mercurius ſuperfluus exſtillet; vel modeſtâ compreſſione eum exprimas, vel effluere jubeas; Unde evenit, ut lamina vitro amicè & adcuratè uniatur, ac generetur fœtus ille pulcherrimus, delicatiſſimus. Hôc ita abſolutô nonnulli laminæ ſtanneæ inſpergunt arſenicum ſubtiliſſimè pulveriſatum pro commodiore exſiccatione; Poſteà ſpeculum immittatur tabulis ligneis, donec planè fuerit exſiccatum; & ſic obtines inventum, cui ipſa etiam invidia blandiri cogitur; de quô more ſuô, id eſt, elegantiſſimâ ingenioſitate loquitur incomparabilis Owenus:

Cuiq; ſuam reddo faciem, mihi reddere ſoli
Neſcia, nec vitâ prædita, nec facie.

[*Altenburgo A. 1689. d. 21. Januar. Noribergam miſſa.*]

OBSERVATIO CLXXIX.

D. FRIDERICI WILHELMI CLAUDERI.

Debitus pulſum inveſtigandi locus.

PUlſum in diverſis quidem corporis partibus, nimirum ubi arteriæ carne craſſiori muſculosâ non ſunt tectæ, percipi poſſe, & Medicinæ Tyronibus notiſſimum eſt.

Soli-

Solitus tamen ac uſualis locus eſt in interiore manuum Carpi parte; aliquoties tamen obſervavi Pulſum ibidem fruſtrà inquiri; è contrà in ſuperiore vel exteriore Carpi parte, vel manu externâ, aut etiam ejusdem lateribus manifeſtò percipi, cùm majores vaſorum rami ſitu ſuô variè ludant. Proinde cautè hâc in re eſt procedendum, nec in conſuetô Carpi locô Pulſus ſolummodò quærendus, ſed providè & accuratè tangendo, ulterius progrediendum; aliàs illudunt ægrotantis ſanitati, & ab aliis aliquando intervenientibus illuduntur improvidi Medici, juxta Tulpii monitum Obſervat. Medic. lib. 3. cap. 45.

OBSERVATIO CLXXX.
D. FRIDERICI WILHELMI CLAUDERI.
Pulsûs per triginta ſex horas ante obitum ceſſatio.

PUlſum indicare, quomodo Balſamus vitalis calor innatus & Spiritûs ſanguinis, hujusq́ue circulatio, ac per conſequens ipſa vita ſit diſpoſita, notum etiam eſt lippis ac tonſoribus; Hinc quandocunque Pulſus apud ægrotos magis magisq́ue fit debilis, ac tandem planè ceſſat, certa præſtò eſt ejusdem pediſſequa, mors, vulgari, eâq́ue per rationem & experientiam confirmatâ opinione. Quamvis autem è Pulſus diſpoſitione virium, imò vitæ cynoſurâm dictô modô hauſerint & adhuc hauriant Medici methodici; nihilominùs hactenus obſervavit horum unus alterq́ue, plenam ejus ad certum temporis ſpatium, abſentiam; veluti aliàs evolante è corpore Animâ accidere ſolet. Idem & ego teſtari poſſum caſu ſequenti: Vidua quadraginta octo annorum novo conjugio, liberorumq́ue generationi inhians, menſtruum fluxum more illi ætati utplurimùm communi jam per duos annos deſinen-

nentem, denuò promovere conatur; hinc ab Empiricâ internis & externis, neſcio quibus, irritô tamen effectu utitur; ſuccedente contumaci alvi obſtructione, flatuosâ ventris tenſione poſteà vomitu mucosô, & tandem iliacâ paſſione, & quidem tantâ cruditatum corruptione, ut & ſoli ructûs aliquando ſine vomitu excrementitiô comite emiſſi totum conclave fœtore ferè intolerabili replerent. Accerſitus tandem ego pro revulſione pugnavi (quantum quidem per virium proſtrationem, anxietatemq́ue cordis, ob putredinem inſignem ſanguini & cordi communicatam, licuit) Clyſteribus acribus, additô Electuariô Hieræ Picræ cum Agaricô, Felle Tauri inſpiſſatô, Nitrô antimoniatô ſtimulatis; quibus quidem obtinui, ut alvus aperta reddita mucum educeret; nihilominùs Maſſa ſanguinea jam dum adeò erat corrupta, ut vires magis magisq́ue deficerent, licèt volatilibus Alcalibus, Balſamicis ac Confortantibus ſimul ſuccurrerim. Hôc in ſtatu lethali duobus ultimis ante obitum diebus, obſervavi Pulſum planè ceſſantem; cùm tamen mens usq; ad mortem optimè conſtaret.

OBSERVATIO CLXXXI.
D. FRIDERICI WILHELMI CLAUDERI.

Purulenta variolarum materia criticè per urinam excreta.

ARchæus noſter miras ac diverſas ſibi eligit pro Microcoſmi Oeconomia ſartum tectum ſervandâ vias; ſic vidi puerum quinquennem variolis ſatis largè corruptum ſine violentâ malignitatis admixtione aut periculoſis ſymptomatibus per Urinam aliquot diebus excreviſſe purulentam materiam veram, ſuccedente ſanitate optatâ. Variolarum autem tempore nullô uſus eſt remediô, quam

Eſſentia alexipharmaca Venerandi Domini Soceri D. Gabr. Clauderi, quæ potiſſimùm conſtat Sale volatili ac fixô, tam per ſudorem, quàm diureſin aliquando operante, prout Archæus vias excretorias magis aptas invenit. Credibile eſt, materiam hanc variolarum excretam ab externô corporis habitu ad vias urinarias neutiquam eſſe retractam; ſed potiùs viſcera interna eâdem fuiſſe conſpurcatâ, quarum ſimiles hiſtorias varii ſuppeditant Practici, ut ſic pus exitu uti commodiore, ita proximiore fuerit protruſum.

OBSERVATIO CLXXXII.
D. FRIDERICI WILHELMI CLAUDERI.
Cervus Venatorem modô ſubitaneô & rarô occidens.

EX obſervatione beati Domini Parentis mei hæc adnectere impræſentiarum lubet: Cùm Sereniſſimus Princeps Fridericus Wilhelmus, Dux Saxoniæ, Lineæ Altenburgenſis, piæ memoriæ, quondam in Ducatu Hennebergicô tempore Ægidii conſuetô venationem Cervorum, œſtrô libidinis inter ſe æſtuantium inſtitueret, accidit, ut Venator quidam Cervo, œſtrô ejusmodi flagrantiſſimô obviam venerit, qui Venatorem ſubitò cornubus excipiens ſtatim ad arborem proceram & grandem collidit, adeò, ut intra ſpatium ſex horarum cum ſubitaneâ virium proſtratione, ſudore frigidô, ſingultu ac denique loquelæ amiſſione inſperatò vitam cum morte commutaverit. Poſtquam igitur cauſam violentæ iſtius mortis in partibus corporis externis invenire, non licuerit, cùm ſaltem leve vulnus in parte muſculosâ cruris circa femur ab apice cornu Cervi inflictum apparuerit, potiùs interna ob vehementem in regione umbilicali, dolorem ſuſpicata, quapropter juſſu Sereniſſimi Ducis, Dominus Parens

cum Chirurgô aulicô occiſi abdomen more ſolitô aperuerunt, & perluſtratis inteſtinis, è tenuibus, Duodenum ac Ileon, è craſſis autem, Colon diverſis in locis læſos reperêrunt, ut quinque groſſi-formia ac rotunda in conſpectum venerint foramina. Tandem in dictô abdomine circa lienem, ventriculum ac Pancreas ſanguinis extravaſati quantitas inventa, ibidem ex vehementi iſta percuſſione nonnulla vaſa ſanguifera dilacerata fuiſſe, manifeſtô indiciô teſtabatur.

OBSERVATIO CLXXXIII.
D. FRIDERICI WILHELMI CLAUDERI.
Pinguedo ſine ſanitatis damnô aliquot annis per Urinam ac Vomitum excreta.

ZAcutus Luſitanus, Prax. Med. admiranda lib. 2. obſervat. 49. meminit cujusdam natione Germani, qui ob malum hæreditarium quadraginta annorum ſpatiô ſine omni valetudinis diſpendiô aut incommodô materiam ſabuloſam ac granulatam inſtar Seminis Sinapi cum Urinâ reddebat. Quemadmodum igitur ſabulum iſtud ac arenulæ præſertim in hypochondriacis & ſcorbuticis non ſunt infrequentes, ita nuperrimè in Praxi occurrit Mulier triginta quinque annorum, hypochondriacis quoque ſymptomatibus ac cruditatibus ex viſcerum dyſcraſiâ aliàs obnoxia, quæ aliquando per octo dies continuos fruſta pinguedinis, avellanarum & juglandium magnitudine, ſine dolore, anxietate, colliquatione aut ſimili ſymptomate, imò ſine omni incommodô per urinam excreverat; adhibitis autem variis remediis acrimoniam & limoſitatem ſanguinis corrigentibus iterum talismodi excretio ceſſavit. Parili ratione Virum quendam

valdè corpulentum, qui ob mucum ſummè viſcidum in ſtomachô non ritè digeſtum & fermentum ejus naturale enervantem vomitu afficiebatur frequenti, mediante quô ſimul per vices multa pinguedinis fruſta, magnitudinem ovorum excedentia, cum ſummâ euphoriâ ac nullâ ſanitatis læſione rejicere cogebatur.

SCHOLIUM.

Cùm in haud admodùm diſſimili Caſu ante annum Clariſs. Parentis mei conſilium expetitum fuerit, ejusdem brevem ſubjungere delineationem liceat. Referebatur ſcilicet Annô 1688. Menſ. Februar. Dominum M. S. Decanum in Monaſterio W. ab aliquot jam annis, tum per os, tum alvum, materiam albicantem, eamque κάτω duriorem, & majorem, fabæ ſæpiùs mole, ac ferè ſemper qualibet alvi excretione, per triennium vel quatriennium; minorem autem ἄνω, capituli acus majoris magnitudine, facili ſcreatu, jam per decennium; tum ante, tum inter, & poſt ſumtum cibum ejicere; quæ contrita fœteat, cæterùm ſebo ſit ſimilis; nonnullis purulentam materiam videri, à pulmonibus vel aliunde ortam. Ante novem menſes gravi pleuritide laborâſſe ægrum, pure tandem copiosè exſcreato &c. urinam laudabilis eſſe coloris, in qua tamen cum filamentis arenulæ ſubſideant. Reſponſum fuit, ventriculum, & reliqua concoctioni alimentorum, ſeparationi chyli ac depurationi ſanguinis dicata viſcera eſſe affecta, inprimis verò ſerum acore præternaturali videri depravatum, quod cùm perenni ſcaturigine per ductum pancreaticum, & infinitas penè in œſophago, ventriculo & inteſtinis hærentes glandulas excernatur, partes pingues cum cibis adſumtas, atque à debili ventriculo, vitioſoque ejus fermento, non ſatis cum reliquis ciborum balſamicis & gelatinoſis partibus conquaſſatas & ſubactas, quaſi præcipitet & coaguler, & hinc vel cum fecibus alvinis, vel ſi in œſophago concreverint, (quanquam etiam ex ventriculo fortè expelli queant,)

 per

per ſcreatum illæ expellantur. Non eſſe purulentam, ſed pinguem ſubſtantiam, ejusdem liquefactione ſuper ignem & inflammabilitate doceri; fœtorem autem conjunctum à partium ciborum corruptorum admixtione oriri; quam itaque excretionem poſt uſum ciborum pinguium, copioſiorem eſſe credibile eſt. Cæterùm adfectum, quia altè radicatum, curatu etiam difficilem eſſe; cui præter diætam laudabilem, ad morbificas impuritates blandè educendas, & viſcera corroboranda, Vini medicati laxativi &c. & Tragææ uſu obviam primò ire liceat, curæ ulterioris modo in poſterum decernendo. Sed felicem dicta remedia ſucceſſum habuiſſe, Menſe Septembri literis ſuis expoſuit Dn. Patiens, ab animi tamen commotione ac ira pruritum in artubus oriri, & dictam materiam denuò excerni; unde remediorum continuatio commendata; qualem verò hæc effectum dederit, hactenus non innotuit.

[L. Schröck, L. f.]

OBSERVATIO CLXXXIV.
D. FRIDERICI WILHELMI CLAUDERI.
Abortus certô tempore & ſeptimanâ ſæpè accidens.

ABortus omnibus ac ſingulis menſibus apud mulieres, uterum gerentes, contingere, plena ſunt Medicorum præclariſſimorum Scripta; ſic abortus unîus menſis mentionem facit Ferdinand. Epiphanius Hiſtor. Medic. 50. Hieronymus Mercurialis Tom. 4. Medic. Conſultat. conſil. 42. de abortu periodicô idem laudatus Hieron. Mercurialis Med. Conſult. Tom. I. Conſil. 57. literis caſum conſignavit. Et licet propterea jam actum agere videar, lubet tamen ſequen-

ſequentem addere Obſervationem: Matrona nempe complexionis aliàs laudabilis, bonôque corporis habitu prædita, ac regulas diætæ ſummè obſervans intra ſpatium ſex annorum, abortum circa finem tertii menſis & ſtatô tempore, imò ſeptimanâ, octies patitur. In ſpem itaque ac deſiderium prolis, nihil unquam, quæ ad ſanitatem conſervandam requirantur, intermiſit, dum nimirum medicamentis tonum viſcerum corroborantibus, Maſſam ſanguineam purificantibus, præ cæteris autem nervinis ac uterum reſpicientibus uteretur, ſed omnia in caſſum adhibita. Cauſam hujus multivarii & ſtatum ſemper tempus obſervantis abortûs ſi inveſtigare mihi licet, ſtatuo, illum ex nativâ uteri anguſtiâ ac p. n. denſitate & ad extendendum ineptitudine à primâ conformatione ortum traxiſſe, dum nimirum Embryo in dies majus ſumens incrementum, uterus ob fibrarum nimiam conſtrictionem ſufficienter dilatari haud valeat, quapropter amicabilis ille hoſpes diverſorium ſuum ſponte relinquere cogitur.

[*Altenburgo A. 1689. d. 21. Januar. Noribergam miſſæ.*]

OBSERVATIO CLXXXV.
D. JACOBI WOLFFII.
Materia tophacea cum alvi excrementis ejecta.

Quandoquidem experientiæ reſpondet tritum illud: *Nihil dici, quod non dictum ſit priùs;* bènè etiam ſpero interpretaturum Lect. Ben. ſi non inaudita planè à me obſervata hoc locô proponantur. Cùm autem Anno 1671. & 1672. Praxin Medicam exercerem Numburgi propè Salam auriferum ſiti, bis obſervavi à pueris, & alterô quidem ſeptem, alterô verò novem annorum, tophaceam materiam cum ſcybalis alvi redditam. Prior verò ille puer,

atrophiam ab ulcere ſinuoſo cruris contrahens, morti parere tenebatur; cui hiſtoriæ ſimul addo, quòd vulgus ulceri dicto junctum dolorem, & moleſtiam præſidiis medicis invincibilem, incantationi (perperàm meô judiciô) tribuerit: cujusmodi erroris plura teſtimonia & exempla proximè ex meo *Scrutinio Amuletorum* innoteſcent. Alter ille puer atrophiâ pariter, aliisque ſymptomatibus laborans meâ curatione ſanitati reſtituebatur; cujus excretam materiam, inſtar comminuti lateris, & quidem modò rubrô, modò fuſcô atque albicante colore præditam, ad oſtendendum, aſſervo. Neſcio verò, utrum facilè Spir. Vitriol. vel Tinct. Mart. Solaris, ex Haſſiaca Minera Martis parata, vel alia ſimilia medicamenta aſſumta in corpore poſſint facilè redire in Vitrioli formam, veluti Medicus quispiam Vitriolaceis infenſus, aliquando ſubſumebat penè de materia iſtiusmodi, quòd originem illius cauſæ agnoſcere poſſit. Verùm nec à priori, nec poſteriori in tophacea materia utraque dicta ſuſpicionem de Vitrioli origine deprehendi. Nolo hoc locô etiam ſuſpicari calculos dictos originem ſuam in veſicula fellis nactos fuiſſe, cùm ipſorum color rubicundus potiſſimus, & reliquus non adeò de flavo vel nativo colore veſiculæ iſtius teſtetur; niſi excipiamus, quòd in inteſtinis latens aliquandiu iſta ſaburra colorem alium varium adſciverit, aut in puero iſto bilis non adeò eminentem colorem flavum continuerit. Cæterùm cui volupe eſt plura reſcire de iis, qui calculos per alvum excreverunt, & quidem ſatis magnos interdum, ei ſatis fiet legendo *Rhodium Cent. 2. Obſerv. 74. p. 105.* De puella calculicaca agit etiam *Exc. Joh. Jac. Harderus in Apiario Obſerv. med. 80. p. 309.* Quod calculi ejusmodi colicæ cauſam præbuerint, innoteſcit ex *Poterii Cent. I. Obſerv. 82. p. 71. & Cent. 2. Obſerv. 56. p. 157.* De calculis per alvum pariter excretis adi sîs *Miſcellan. noſtræ Academ. Leopoldino-Cæſar. Nat. Cur. Dec. I. An. II. Obſervat. 89. p. 163. & Ann. 9. p. 234. & 294.* item *Diſput. futuram de lapicidina Microcoſmi abdominis* Nobiliſs. Conterranei atque Collegæ

noſtri

noſtri *Georg. Franci*, uti & *Moroni Directorium Medicum* (*tit. Calculi*) à beati noſtri Collegæ *Seb. Schefferi* hæredibus auctum expectandum. Jungi his etiam poſſunt de eadem materia agentes *Thom. Bartholinus in Domo Anatomic. p. 52. Caſp. Bartholinus de lapid. Nephritic. p. 15. & 17. Henr. Roonhuyſen* in Heil-Curen *p. 121. & 122. Joh. Georg.* Schiel *in Bibliotheca enucl. p. 150. Theoph. Bonetus Anatom. Pract. f. 901.* & *Exc. Joh. Dan. Major de cancris petrefact. p. 100. & ſeq.*

OBSERVATIO CLXXXVI.
D. JACOBI WOLFFII.
Odontalgia ranunculô nemoroſô curata.

PLebejorum remedia non ſemper eſſe ſpernenda, ſana ratio oppidò ſuadet aliis æquè, ac Medicis; Plebeji enim traditione Majorum ſuorum ſæpè, vel ſuâ vel Medicorum experientiâ, nacta poſſident. Imò ſimplicium medicamentorum quorundam uſum certiùs communicant, quia majori peritiâ deſtituti ſimplicibus magis quàm compoſitis inhiant illi, veluti quidem Medicis arrident magis poſtrema. Proinde autoritas in Medicina nequaquam idoli locô captanda vel colenda eſt; illa enim cana & vana, non adeò, nec à Viro magis quàm verô profluens locum meretur; attendendum inſimul eſt, non Quis, ſed quid quis dicat. Priſcô enim illô innotuit monitô:

Quandoq; eſt olitor verba opportuna locutus.

Sed de his aliis in locis plura communicamus.

Cùm Numburgi adhuc degerem, veluti paulò ante innui, vir quispiam ſæpiùs gloriam deportabat à curatione odontalgiæ, & quidem gravidarum inprimis. Dederat quippe iis herbam quampiam inciſam & madefactam brachio illi imponendam, inſtar veſicatorii, quod brachium reſpondebat

κατ' ἴξιν, ſeu è directo lateri oris odontalgiam ſufferentis. Aſſeverabat inſimul ille vir, nunquam reverſurum, vel invaſurum ampliùs dolorem illum iſtam perſonam, quæ ſemel ab eodem malo dictâ ratione liberata ſit. Effectus vel uſus illius plantæ felix, atque crebrò à mulierculis nec non gravidis inprimis dilaudatus, mihi deſiderium indagandi vegetabile illud indidit, quod vir ille admodùm celabat; id tamen ranunculi nemoroſi herbam exiſtere tandem cognovi, atque ſimiliter aliquoties in uſum non fruſtraneum admiſi, vel ſuaſi malô iſtô afflictis. Non ſolùm autem recens illa planta leviter tuſa, verùm etiam quovis annô collecta & arida aſſervata, atque poſteà inciſa vel leviter contrita & madefacta Spiritu Vini, ſive Aquâ pro cauſtico uſu medente dicto inſervit; ſi nimirum ſemel, aut bis unico in loco carnoſo, groſſum circiter ſuô ſpaciô æquante, alligetur mediante faſciolâ. Nota atque uſitata ſunt alioquin ſimilia veſicatoria contra idem malum dentium commendata, de quorum ſalubri effectu conſtat. Minùs autem tuta, cumprimis in gravidarum dicta curatione, cenſeo cantharides, propter mictum cruentum, & alia genitalium vel urinæ excernendæ dicatarum partium metuenda mala; de quibus, licet nonnulli ſubdubitent, nos tamen alium in locum commodiorem plura aliorum atque noſtra teſtimonia, & quidem experientiâ neutiquam deſtituta, differemus. Nihil denique jam de veſicatoriorum, in odontalgia commendatorum, ætiologia operationis jam movebo, ſed ſolùm curioſis iſtam ad indagandum commendabo.

OBSER-

OBSERVATIO CLXXXVII.
D. JACOBI WOLFFII.
Hydropicæ poſt Paracenteſin anatome.

NIcolai Tregers operarii uxor in ſuburbio Altenburgi d. 7. Junii 1678. defuncta eſt, quæ pertæſa vitæ, & lymphâ turgidi ſui abdominis, hoc ipſum cultrô ſe aperturam pluries anteà minata erat, niſi chirurgicum auxilium decenti paracenteſi ſe tempori liberaret à cataclyſmo ſuffocationem minante. Proinde triduô ante obitum (dubiô curationis eventu prædictô, aliisque animæ atque corporis ſalutem concernentibus non neglectis) me præſente adhibita fuit à Chirurgo more decenti paracenteſis. Abſolutâ illâ operatione diſtinctis vicibus & interſtitiis temporis derivabatur amurca vel lympha ex abdomine xvj. libras medicas circiter adimplens; niſi mulier illa, ſubitam anhelans curationem, noctu abſentibus ac metuentibus nobis, prohibitum aquilegis munus intempeſtivè repetierit. Poſt ſectionem autem, brevi recenſendam, libram tantùm iſtius lymphæ relictæ in abdomine contentam vidimus; quam portionem tamen cum priori illa ex corpore educta, plures libras conſtituturam ante paracenteſin crediriſſem. In abdomine defunctæ aperto deprehendi lienem planè cartilaginoſum & albicantem, palmam minorem, ſive octo annorum pueri circiter longitudine, latitudine atque craſſitie ſuâ æquantem: hinc viva illa adhuc mulier ſub cartilagine enſiformi, & retrorſum verſus ordinarium lienis ſitum, tactu ſenſibilem obſervabat & accuſabat duritiem. Lienis autem hactenus dicti duritiem ſuſpicor lymphaticorum vaſorum obſtructioni atque ruptioni ut & conſequenter aſciti illi anſam dediſſe. Præterea in detecto abdomine folliculus fellis amplus, locô bilis, aquâ limpidâ repletus, & dimidia pars ſuperior ſiniſtra hepatis decolor ap-

parebat. Porrò inteſtina erant cibô potuque largô repleta, quia quinque dierum ſpatiô præterlapsô alvus immemor ſui officii excernendi fuerat. Dehinc omenti penè nihil conſpiciebatur, præter filamenta perpauca, telarum aranearum inſtar inteſtinis incumbentia. Utrum etiam mulier illà viva adhuc ideò frigus indicatum aliquale perpeſſa fuerit (veluti hujusmodi conditionem aliàs abſenti omento quippiam fermè tribuunt autores) aſſerere non audeo. An rectiùs ſerum fortaſſis vaſis ac limitibus ſuis ejectum frigus illud citiùs excitârit, curioſi ſcrutentur. Deinceps peritonæum & abdominis muſculi liveſcebant, præcipuè circa pubis regionem, intra quos muſculos & cutim itidem locô pinguedinis mucoſa & pellucida materia, inſtar gelatinæ pellucidæ continebatur. Intereà qui plura exempla de liene cartilaginoſo appetit, hæc reperiet in *Miſcellan. Acad. Leopoldino-Cæſar. Nat. Cur. Dec. II. Ann. II. p. 457.* Cui addatur *Joh. Helvvigius Obſ. Phyſic. Medic. 97. cum Scholio* Splendidiſſimi noſtræ Academiæ modò laudatæ Eph. Directoris *Luc. Schröckii p. 286.* Quoad paracenteſin verò dictam hæc adhuc addo, quòd exiguæ ſpei videatur illa in aſcite inveterato, ſiquidem corruptio iſtiusmodi partium à ſero ſtagnante ſive cachexia orta, vix amplam ſpem curationis pollicetur; taceo quòd lymphatica vaſa rupta, & quidem plura ſimul, non facilè conſolidare aut obſtruere decenter quis polleat: hinc etiam illâ paracenteſi æquè, ac aliâ curatione, incrementa prioris mali vel ſeri evacuati, nemo facilè devitabit. Refractaria itidem, licèt non impoſſibilis, videtur evacuatio lymphæ per inteſtinorum, quoscunque etiam, meatus reſorbendæ. Evacuationem autem ejusmodi opportunam, aliorum æquè ac meâ experientiâ didici; quod negotium quibusdam ſubſumptionem non impoſſibilem ſuggerit de tranſitu chyli per meſeraicas venas ſimul poſſibili, qui chylus verò propter purpurei roris copiam non ita deprehendi poſſit. Reminiſcor autem bis à me Altenburgi curati hydropis ejusmodi, in quo ſcrotum unà cum pene

duo-

duorum puerorum, magnoperè lymphâ expletum erat; & quidem in primo tredecim annorum, coqui cujuſpiam filio, adhibui Antimonium leviter detonatum cum Syrupo quopiam mixtum, & aliquoties in die ſumptum, unde largas excretiones varias corporis ille paſſus (nimirum per alvum præcipuè, veſicam urinariam, & ſpiracula cutis, ſub forma ſudoris &c.) aliquot dierum ſpaciô liberatus eſt à ſuo morbo. Alter puer ſeptem annorum in Orphanotrophio Altenb. ſimiliter convaleſcebat, præter ſpem viduarum in dicta domo ſimul commorantium; arbitrabantur quippe mitiùs ac citiùs illum ſine medicamentis vitæ renunciaturum. Dabam autem dicto puero purgans Electuarium, priori iſtiusmodi dictâ materiâ quadantenus, vel catharticô pulvere (ſimili penè illi noto Comitis de Warwich ſive Cornachini) inſtructum, pluries in die ſumendum; hinc ſedibus pedetentim concitatis atque continuatis aſcites ille ſeceſſit.

OBSERVATIO CLXXXVIII.
D. JACOBI WOLFFII.
In Hydropica Paracenteſis fruſtra penè tentata.

NOn abſimilem planè priori hiſtoriam medicam obſervavi etiam Altenburgi Anno 1679. d. 6. Septembris in Xenodochio ante portam piſcinarum, in mendici conjuge, paulò anteà benedictione Sacerdotis ipſi maritata; cùm diu anteà ſine hac cum marito vagabundo adſcito illa venalem vocem cum ſchedis & cantilenis (miracula vel mendaciuncula &c. continentibus in nundinis & foris urbium) expoſuerat, pro ruſticorum, & plebejorum obtinendis nummis & pœnitentia. In hac muliere Aſcite & Anaſarcâ laborante cujuſpiam Medici atque Amici mei directione admittebatur in abdomine circa umbilicum paracen-

 teſis,

teſis, ſed irritâ intentione; nihil enim lymphæ ex ſolito canaliculo vel inſtrumento eburneo in abdomen immiſſo emanabat, nec flatus erumpentes obſervabantur illô atque ſubſequentibus aliquot diebus; hinc remotô inſtrumentô dictô vulnusculum iſtud iterum conſolidabatur. Dum autem priora illa fiebant, tumor abdominis quadantenus reſidebat, & mulier promptiùs poſteà reſpirabat. Verùm non longè poſthæc tumor ille ſimilis priori (non minùs ſemper excedens) repetebat abdomen, quem comitabatur iterum difficilis reſpiratio, angor præcordiorum, virium languor in dies major, atque dextri brachii & faciei macies. Tandem noctem illam, quam excepit proximus ipſius dies emortualis, inquietam dormiendo transegit, ejulatus edidit, ac evomuit copioſum ſqualorem vel humorem cum ſanguine commixtum, ac fœtentem. Poſterô deinde die à morte artus apparebant flaccidi ac mobiles, nec rigidi vel frigidi, uti in aliis equidem funeribus communiter licet obſervare. Viſcera defunctæ plurima videbantur integra, videlicet cor, hepar cum veſicula fellis, item lien, pancreas, renes, uterus &c. exceptâ pulmonis dextrâ parte, quæ ſcirrhoſa quadantenus exiſtebat. Inteſtina magis, quàm ſolent communiter, tenuia atque humore repleta conſpiciebantur; omentum verò fuſcum, vel luridum, corruptum ac penè conſumtum ſe repræſentabat. Prætereà inteſtinis adhærebant ſparſim carunculæ, quæ apertæ fundebant ichorem. In cavitate abdominis continebantur libræ ſeptem circiter lymphæ, & in thoracis concavo ejusdem tres & dimidia circiter libræ. Porrò muſculi abdominis & pinguedo iis interſerta exiſtebat mucoſa, livida atque decolor. In pericardio, cor paulò majus ac flaccidum cingente, largior copia lymphæ flaveſcentis ac ſalſi reperiebatur, ovi ſimilis erat illi in abdomine contentæ. Denique in ventriculo punicei ſive nigricantis penè humoris copia proſtabat, qui cruoris vel congrumati ſanguinis (ſed admodùm comminuti, inſtar pulveris) innatantis indicia præbebat. Epimetri locô

addo

addo huic obſervationi, quòd doctum Medicorum στοχασμὸν atque peritiam admodùm adaugeat ſectio defunctorum cautè inſtituta; Cautam verò ideò attingo vel ſuadeo, ne quis pro aliorum ſanitate quærenda vel conſervanda, aliove fine obtinendo, ſuam amittat ſanitatem, aut mortem inveniat vel acceleret; atque ita ſimul rationem illius aliqualem reddat, quô quis dicit: *Raró vidi Medicum ſenem.* Prudentes interim Medicos non fugere confido, quantum diſtet ab illo ſtatu defunctorum, conditio vivorum hominum, & partium illorum functio naturalis.

OBSERVATIO CLXXXIX.

D. JACOBI WOLFFII.

Epilepſiam excitantes lumbrici.

QUòd vermes hominum medelæ inſerviant, illorum doctores in quibusdam ſubindè exiſtant, ut & μάστιγες ſive flagella (ſicuti nomen iſtiusmodi morbis ſacra pagina impertit) paucos ignorare credo. Priora illa duo expoſitioni Medicæ alii, atque morali relinquens, poſtremum ſolùm attingam quadantenus in ſequentibus. Nolo autem in præſenti examinare integram putredinis animatæ doctrinam, atque pathologiam licentiùs illi à quibusdam ſuperſtructam: dum ubivis ii, vel in omnibus humoribus naturalibus, & nondum corruptis, pullitiem verminoſam ineſſe inculcant. Verùm vereor, ne iidem nimiùm indulgeant ſuo genio & præconceptæ opinioni, comparandæ quaſi cum verme, maniâ ſive melancholiâ quâdam: quatenus illorum mens defixa & immobilis quaſi oberrat circa objectum vel opinionem quampiam irritam ſemel conceptam. Proinde doctrina vel opinio iſta vermibus nimiùm indulgens, forſitan ad imitationem aliorum Autorum, non malè σκωληκομανία dici poſſet. Qui verò Microſcopiis aliàs in

doctrina iſta fundanda nimiùm fidunt, videant an tutò id fiat! Siqui dein humores vel liquores varii, ſoli, ſive fermentationi cumprimis expoſiti, palpô quopiam offerunt oculis corpuſcula variè conſtituta, commota, majora & vermes mentientia; atque ideò ſanè contemplatio illa eſt admodùm fallax. Negandum interim non eſt in corpore hominum ac brutorum ſæpè commiſeratione dignam ludere tragœdiam vermes: veluti Altenburgi obſervavi in puella quapiam gibboſa tredecim annorum ab ipſius matre (cui bibacitas Germanicum nomen affinxerat vel affixerat) ad me ducta. Natam ſuam verò mater novem annos epilepſiâ conflictatam, nulliſque medicamentis (à variis commiſerantibus, & illuſtribus etiam perſonis) datis, liberari potuiſſe conquerebatur. Cùm verò, inter alia puellæ ſymptomata, ſiti mederi conarer alumine uſtô in potum ordinarium immergendo, non longè poſt illius uſum mater ad me reverſa eſt, ac retulit, epilepſiam remiſiſſe, magnamque vermium copiam cum nido eorum (dem Wurm-Stocke) excreviſſe ſuam filiam, unde neſcio quæ mala nova vel vitæ jacturam, à vulgo perſuaſa metuebat. Verùm mulierem curarum vacuam & eodem priori ac pluribus aliis medicamentis inſtructam pro continuando uſu cœptô dimiſi. Dictum iſtiuſmodi alumen poſteà etiam crebriùs, nec vanâ intentione pro vermibus expellendis, cum potu ordinario miſcendum, dedi puerulis, quod æquè commodè, & inſciis penè iis citra nauſeam ſuggeri potuit, ac Tinct. Martis Solaris, de qua paulò poſt dicturus ſum. Cæterùm de epilepſia à vermibus, tum in hominibus, tum in cane obſervata, adi & audi sîs *Theoph. Bonetum in Anatomia practic. l. 1. ſect. 13. f. 542.* Quomodo convulſionem efficiant dicti vermes, videatur *l. a. f. 251. 255. & 270.* quo in loco ultimo mira ſymptomata illi parere dicuntur. Jungantur de hac materia citatis locis *Miſcell. Acad. Leopoldino-Cæſar. Nat. Cur. Dec. II. Ann. I. Obſerv. 120. p. 306. Grulingius Cent. 3 Obſerv. 74. p. 63.* aliiq; plures.

OBSER-

OBSERVATIO CXC.

D. JACOBI WOLFFII.

Tinctura Martis Solaris ternâ experientiâ diſtinctâ, fortuitâ ſalubris obſervata.

INter alia Medicinæ noſtræ adinveniendæ vel confirmandæ adminicula, caſu vel experientiâ inſperatâ innoteſcentia medicamenta vel curationes multum eidem contulerunt. Dixerim proinde ferè de Schola Medica ubivis obvia, in qua nimirum Medicus erudiri poteſt:

— — *Semper tibi pendeat hamus,*
Quô minimè credis gurgite piſcis * *erit!* (* *experientia*)

Ab hac fortuita Medici experientia etiam τὸ θεῖον non ſemper exulat, de quo utroque jam modò attacto pleniùs alio loco & tempore imposterùm acturus ſum. (1.) In vigiliis vel inquieto ſomno noctu aliquandiu mihi moleſto Numburgi aliquando proficuam obſervavi Tincturam dictam Martis Solarem (ex Minera Martis Haſſiaca forſitan nota paratam) quam in præparatione, cùm per filtrum inprimis flueret, ſæpiùs deguſtabam; hinc enim levamen dicti mei mali inſperatò perſentiſcebam. (2.) Altenburgi ruſtico cuipiam contra teſticuli alterius tumorem ſubindè revertentem ac dolentem, inter alia externa ſimul præſcripta, dabam eandem Tincturam in potu ordinario uſurpandam, & aliquot dies continuandam, poſt cujus uſum abſolutum ruſticus facetus revertens me alloquebatur his verbis: Domine Doctor, putas ne me cibos fortaſſis averſari, ſanè ego ruſticorum, vel illorum more, qui trituram in horreis exercent, cibos egregiè aſſumo, & aſſumtos illos digero; hinc non opus habeo iſtiusmodi medicamentô ὀρέξιν vel vorandi aviditatem concitante, vix enim ſtomacho

cho meo latranti aut eſurienti cibis largiter porrectis ſatisfacere poſſum. Proindè ſi ampliùs mihi uſurpandum hoc medicamentum deſtinas, opus eſt, ut manticam pane refertam mihi unà concedas propter urgentem cauſam indicatam; atque id citra meam intentionem eveniebat. (3.) Cùm Jenam ante aliquot annos concederem, ac mulierem clinicam febre tertianâ plures ſeptimanas hactenus laboraſſe, & nondum liberatam, ſed inter alia ſymptomata inveteratô vomitu moleſtô, & proſtratô ciborum appetitu laborantem conſpicerem, porrexi eidem Tincturam Martis ſæpiùs dictam, & quidem deſtinatô eô conſiliô, quô modô anteà fortuitò quaſi, vel citra meam intentionem effectus iſte ſecutus erat. Et ecce febris brevi pòſt remittebat, nec minùs ventriculum deſerebant dicta illa urgentia mala. Poſthæc crebriùs in potu dedi eandem Tincturam haud timidâ parcâve manu, ſed ad ℥ß—℥j. infantibus & puerulis, qui febribus mitibus & calore inprimis laborârunt, aut lumbricis vexati fuerunt; quô medicamentô vel ſolô admiſsô illi ſubindè convaluerunt. Atque eò commodiùs illud exiſtit medicamentum, quia in potu citra magnum vel ingratum ſaporem puerulis, averſantibus facilè reliqua medicamenta, clanculùm ſuggeri poteſt. Cereviſia quippe dulcem quadantenus & leniter adſtrictorium ſaporem, ac turbidum colorem acquirit, hinc puerulis meliùs etiam in vaſis denſis, nec pellucidis, hoc modô medicatum potum propinamus. Addo demum his etiam hoc, quòd imperiti, vel ignari effectus hujus medicamenti ſtupeant, & varia mala gravia in corpore illorum latentia ſubindè accuſent, dum facilè alvi excrementa nigra, ab uſurpantibus iſtam Tincturam, egeri vident; ſed gnaris hujus rei medicis nulla admiratio ex dictis oritur.

OBSER-

OBSERVATIO CXCI.

D. JACOBI WOLFFII.

Cortici noto febrifugo Chinæ-Chinæ, alia ſubſtitui poſſe putatur.

DIximus paulò antè Scholam Medicam ubivis patere, quod confirmari etiam videtur hoc, quia ubivis Medici periti (præcipuè ſimplicium medicamentorum facultatis & Chymiæ) nôrunt medicamenta ſufficientia quibuscunque domandis morbis adinvenire, atque præparare. Nihil hôc locô movebimus de eô, quòd omnis regio ſit inſtructa iis medicamentis, quæ ſuis morbis inquilinis vel obviis curandis inſerviunt ac ſufficiunt; ſi quis tamen hæc in dubium vocat ipſi facile iſtud eximet, aut defectum ſupplebit dictum illud, & ſedulò medicinæ tyronibus inculcandum therapevtices egregium adminiculum. Inclaruit hactenus notitia & uſus corticis Peruviani vel Chinæ-Chinæ, qui cortex eximium auxilium in febribus paſſim hactenus præſtitit. Diverſum judicium dictum medicamentum etiam (uti ſolet alioqui in ſimilibus) nactum eſt; ubi quidam nimium, & quidem ſine diſcrimine circumſtantiarum, alii minimum ipſi tribuerunt. Verùm peccant utrinque, qui medicamento illi æquè, ac purgantibus, vomitoriis, venæſectioni, herbæ Thée &c. nimium laudis addunt, vel adimunt, circumſtantias neceſſarias non attendentes. Hallucinantur, qui dictis præſidiis therapevticis & Thée præcipuè hodiè adeò abutuntur, aut nimium ipſi tribuunt; hi quoque reſponſi locô ferè aufferunt illud certâ ratione haud difficulter ad Deam iſtam medicam herbam Thée (& cum venia quapiam fortaſſis Poëtarum) applicandum ex *Ovveno:*

Ægrotant Medici, fraudantur Jure periti,
Deſcendunt multi ad {*Tartara* / *triſtia*} *Theelogi.*

Qui verò ſalubrem dicti corticis Chinæ uſum propterea carbone atrô notant, quia febres videntur auctæ magis quandoque redire, ſi ſemel anteà ceſſaverunt quadantenus; Enormiter ſanè hi ceſpitant, dum id, quod timiditati Medici, inſufficienti doſi & interrupto uſui (alioquin continuando) rectiùs competit, legitimô uſurpandi modô perperàm tribuunt. Eadem gravamina contra alia etiam medicamenta, egregia ſæpè obſervata, eructant quidam ægroti pariter ac Medici, propter modò dictas rationes malè expoſitas, de quo nos fortaſſis aliquando pleniùs diſſeremus. Sufficit autem, ſi in medicamentis novis modica priùs experientia compareat, cui negotio Medicus attentas aures vel animum præbeat, & iſthæc decenti modô in uſum medicum, paulò ante dictum (ab aliquibus malè neglectum) adhibeat. Inter gravamina quorundam contra corticem Chinæ prolata, dicitur ideò minùs tutus illius uſus, quòd ſemel ſolùm datas non eradicet ſemper febrim funditùs, quin potiùs, illa fortior revertatur, nec curationi integræ cortex inſerviat. Proh! ſemel verò exhibitam & inviſibilem penè, ſive parcâ manu porrectam doſin; veluti ad hoc prius etiam jam ante reſponſum fuit. Non impoſſibilis verò videtur integra curatio febrium in continuato ipſius uſu requieſcere. Qui præterea verò corruptionem vel aromatariorum malitiam aliaque ſimilia plura (uti in aliis, ita etiam) in hoc exotico cortice verentur, non malè antevertent iſta, induſtriâ curiosâ paulò ſuperiùs indicatâ, atque etiamnum commendandâ; quæ ſi non feriabitur ampliùs in noſtris inquilinis medicamentis indagandis, aut ritè & curioſè præparandis, certè infinitis iſtis medicamentis exoticis (non raro effœtis, fœtidis & carioſis, carôque pretiô redimendis) perbenè carere poterimus. Sic in radicibus Tormentillæ, Biſtortæ & arborum quarundam vulgarium corticibus vim febrifugam (propter vim adſtrictoriam & amaricantem quæſitam) inveni certantem penè cum cortice Chinæ; quâ de re experientia uberior conſulenda atque commendanda eſt.

eſt. Hujusmodi ſedula verò inquilinorum medicamentorum indagatio Symbolo noſtræ Academiæ Leopoldino-Cæſareæ eſt conformis, quô exprimitur: *Nunquam otioſus!* Dictum illud adminiculum facilè etiam eò rediget materiam medicam exoticam in noſtris Pharmacopoliis, quæ â Barbaris & Orientalibus Medicinæ inventoribus nobis tradita atque commendata fuit, ut vel nomen etiam medicamentorum multorum & cognitio ignota æquè impoſterum noſtris Europæis Medicis futura ſit, ac incipit fermè uſus illorum quorundam fieri in Therapevtica; de quibus nos aliquando in Pharmacopoliorum conſideratione plura monituri ſumus. Ad illam verò felicem peritiam, nos Germanos apprimè decentem, ſine dubio curioſum ſimplicium medicamentorum ſcrutinium & Chymiæ ſtudium fores pandit; ceu demum hoc, quod â fronte noſtri diſcurſus commonefecimus, iterum ſuademus.

OBSERVATIO CXCII.
D. JACOBI WOLFFII.
Mulieris ſtomacace & arthritis à vacca collecta.

DE contagio morborum non contemnenda eſt quæſtio: An brutorum morbi æquè in homines eôdem charactere tranſire poſſint? Veluti hujus affirmatio & negatio non omni caret fundamentô; Notum quippe eſt, quòd in ſymbola habentia facilis ſit tranſitus, hoc eſt, inter quæ ſympathica quaſi harmonia ſive mutuus reſpectus intercedit, adeò ut contagio in ſimilia pecora citiùs abeat, quàm diſtinctæ ſpeciei exiſtentia; quod etiam experientia non obſcurè comprobare videtur. Dictam ob rationem ſuffragium fortè meretur *Zwelfferi (in Pharmacop. Regia pag. 226.)* monitum, quòd propter ſymbolum quoddam febrilis

 mate-

materiæ magis, quàm corporis integra & bona conſtitutio pabulum vel augmentum ſuum colligat ex juſculis carnium, quæ alioquin pro nutritione & refectione vulgò adeò commendantur. Hinc autor ille vegetabilia & alia, dictæ conditioni magis contraria, citiùs admittit. Adſtruunt ex adverſo alii, morbos contagioſos brutorum etiam invadere homines, & vice verſâ horum morbos dictas beſtias; quod quadantenus ex loco *Zwelfferi* adducto non impoſſibile itidem videtur. Nequaquam enim præſentiam, commercium vel uſum morbidorum brutorum, eorumque partium tutum ſemper renunciare audeo: id autem, quod rariùs fit propter dictas paulò ante & alias rationes, impoſſibile planè, aut ab experientia, ſive conjectura diſſonum minùs ſtatuendum eſt. In peſte præcipuè, vel lue brutorum ſuſpecta attentionem & cautionem hoc negotium meretur, cùm nusquam tuta fides homini in eadem peſte quærenda, vel invenienda ſit. Retulit mihi fide digna perſona, in peſte proxima ante aliquot annos Dreſdam angente, felem contraxiſſe bubonem peſtilentem, & inquietudine vel rabie quâpiam, aliisque indiciis aut ſymptomatibus peſtilentibus evidentibus, dolorem atque luem iſtam à ſe ſuſceptam indicaſſe, nec non brevi occubuiſſe. Propterea quoque tempore peſtis vagabundarum beſtiarum domeſticarum præſentia non eſſe toleranda videtur; ſiquidem eædem infinitis modis ex infectis locis, in domus etiam clauſas per volatum milleve meatus contagii vel fomitis peſtilentis particulam etiamſi tantillam, quoquô modô contractam reportare poſſunt, à quibus illæſis apparentibus vel exiſtentibus poſtmodum homines, inſcii omnis culpæ, propter ſymbolum dictum facilè contagium tyranni iſtius morborum concipiunt. Imò hujus opinionis amplior probatio, videlicet quòd brutorum rabies & alia mala in homines derivari poſſint, patebit ex ſcrutinio noſtro Amuletorum inter periapta peſti oppoſita. Meretur hâc de materiâ etiam legi *Nath. Hodges in Loimologia p. 68. & ſeq.* qui, referens virum quempiam

piam morbum & mortem contraxiſſe ab anhelitu equi fœtidiſſimo hauſto, non tamen arbitratur peſtem vel alios morbos à brutis in homines poſſe tranſire. Contrarium huic poſtremæ, & anteà quadantenus impugnatæ opinioni, ſuggeſſit mihi ante decennium Altenburgi obſervatio ſequens: Non procul à dicta urbe in pago Zſchernitz ruſtica quæpiam ſuas vaccas tres ægrotare obſervavit, atque eas doloribus vehementibus laborare ex obſervato tremore pedum ſubitaneô, retractione ſive motu variarum partium collegit, denteſque vacillare & excidere ex ore, nec non vaccas omninò perire obſervavit. Inter alia verò media curationis vel ritè adhibitæ veterinariæ villica iſta os cujuspiam vaccæ aperiens, exploratura communis iſtius morbi conditionem, hinc ingratum halitum prorumpentem ore & vultu ſuô excepit, unde ferè in momento illo eadem mulier arthritidem vagam atque ſtomacacen, diu poſthæc affligentem & perſeverantem contraxit, & apud me de dicta calamitate poſt tres fermè menſes ab actione illa conqueſta eſt. Varia medicamenta miſera iſta intereà ab Agyrtis pariter, ac peritis Medicis nacta, per anni quadrantem uſurpaverat, varia itidem molimina cum vaccis contra faſcinum ſuſpectum peregerat, ſed omnia hactenus irrita ſe obſervâſſe indicabat; hanc tamen non longè poſteà, decocti cujuſpiam inprimis continuatô uſu, ſanitati priſtinæ reſtituebam.

OBSERVATIO CXCIII.

D. JACOBI WOLFFII.

Hæmorrhagia umbilicalium vaſorum in recens natis lethalis.

NOn poſſum non ſalutaris moniti ergò præmiſſis annectere, & obſtetricibus ac matribus modò factis à puerperio commendare cautionem ex ſequentibus emer-

emergentem, quia recens nati alioquin (quæ jactura eſt maxima) ſacrô Baptiſmatis lavacrô cum vita facilè privari poſſunt, non ſine plurium culpâ latâ. Non procul ab Altenburgo Anno 1672. D. M. I. P. natus fuit infans ſatis firmus ac vitalis, qui more ſolitô, poſt tractationem ab obſtetrice ritè peractam, faſciis atque pulvillis involutus quieti commiſſus fuit. En verò poſt longiùs aliquantò tempus, revolutus paulîſper involucris iſtis, undique ſanguis effluens conſpectus, & infans penitùs poſteà detectus vitâ privatus fuit obſervatus, quia inſperatò, & nemine opinante ex corpuſculô ipſius ſanguis prorupit intra ligaturam aliquantò remotiorem in vaſis umbilicalibus inſtitutam. Idem illud dictum penè accidit Altenburgi d. 8. Octobris 1678. in filiola nuper nata; poſt obſtetricis enim operationes legitimè peractas, ſtragulis & lectulo, mediantibus faſciis, illa involuta, & penes fornacem poſita fuit, proximô die ad ſacri Baptiſmatis lavacrum promovenda. Monuit verò ſingulari (& fortaſſis divinô) inſtinctu mota Matrona quæpiam pia, & alioquin puerorum tractatione erudita, ut infans iſta probè obſervaretur, ne periculum paterentur vaſa umbilicalia; cui deſiderio vel præcepto tandem mulierculæ reliquæ (nihil planè mali ominantes) annuerunt. Verùm ſimiliter, propter cauſam anteà dictam, hanc recens natam detectam ſanguine circumfuſam, valdè languentem, vitamque ipſius admodùm vacillantem deprehenderunt; unde parentes coacti fuerunt noctu accerſere Sacramentum Baptiſmatis. Hoc licèt rariùs contingat, attentionem tamen meretur; ſuaderem itaque, ut recens natorum vaſa umbilicalia & quidem diſtinctis in locis bis aut ter ligarentur, præcipuè etiam prope umbilicum; ne ſemel ſolùm vaſa iſta in parte extrema ligata, rupta forſan in medio poſteà ſanguinem cum vita emittant. Imò linteola munda ſicca, & ſubindè repetita vel ſola, vel pulvere quôpiam mox dicendô, conſperſa circa vaſa iſta volvi poſſent, quò citiùs exſiccarentur eadem vaſa, pro metu dicto meliùs declinando.

Inſpe-

Inſpectione crebrâ atque curatâ itidem magisque indiget nuper natus, & nondum quidem Baptiſmatis ſacrâ undâ regeneratus, quàm denati funus, qualis corporis exanimis tamen ſæpè major cura habetur, quàm animati illius & animæ ipſius. Imò opus foret, ut obſtetrices inter alia etiam ſtypticum pulverem: ex Terra ſigillata, Cornu Cervi uſto, Ceruſſa, Rad. Tormentillæ &c. vel fungum Chirurgorum iſtiusmodi pro neceſſitate in promptu haberent.

OBSERVATIO CXCIV.
D. JACOBI WOLFFII.
Pluvia ſulphurea.

LUbet adhuc præmiſſis hactenus Obſervationibus quampiam Phyſicam annectere, & quidem de pluvia, cui crocus vel pulvis ſulphuri ſimilis admixtus fuit; qualem ego Altenburgi itidem obſervavi, & quidem Anno 1670. in Majo aliquoties, inprimis d. 12. illius Menſis, major copia dicti pulveris innatabat lacunis in plateis vel campis à pluvia collectis atque conſpicuis. Similis materia Anno 1679. d. 31. Maji, & Anno 1681. d. 1. & 5. Maji à me fuit obſervata, poſt imbres, in locis ejusmodi brevi abhinc indicatis. Nam immeritò verò quæritur de dictæ materiæ cum pluvia decidentis origine? utut non diffitear verum ſulphur vel in aëre ab exhalationibus terræ oriri, vel ipſius ſulphuris ſubſtantiam, ſub pulveris forma, ex locis natalibus vel fœtis illius in ſublime ſive aërem vehi poſſe, quæ poſteà pulveris dicti inſtar poſt imbres appareat, vel flammam facilè concipiens, poſteà incendiis ſive fœtore ſuô ſe prodat: veluti peccatores enormes & indurati pluviam ejusmodi (Deô vindice ita dirigente) internecinam expertos novimus, ex ſacris, ac profanis literis & libris id conteſtantibus. Loca priora ex Sacris illud confirmantia quivis facilè colligere valebit;

lebit; conſignavit autem poſthæc pluviam ſulphuream obſervatam bis in Menſe Majo Anno 1629. Wittebergæ *Reinelius in Chronico Curienſi M. S.* Similiter ex *Chronico Lipſienſi* patet Lipſiæ Anno 1621. d. 20. Maji talismodi pluviam lapſam fuiſſe annotatam. Plura de talismodi pluvia petentur ex *Prætorii* von der blauen Seide *p. F. Daniele Beckero* vom Blut- und Schwefel-Regen/ & alius Autor vom Schwefel-Regen zu Stralſund *edit. 1597.* Prolixitatis vitandæ gratiâ plura teſtimonia de ſimili pluviâ jam prætereo. Nobis itidem jam non licet in illa, ſive ſimilia teſtimonia alia & relationes accuratiùs inquirere, utrùm veri ſulphuris, ſive alius materiæ vel pulveris originem agnoverit crebriùs indicata pluvia. Inter alios verò Autores *Agricola de ſubterran. lib. 5.* facit mentionem pluviæ, cui terra flava fuit admixta; qualem pluviam ſimiliter ab ochra certis in locis obſervari poſſe ſuſpicamur, ac rubram quidem aliàs in certis locis à terra rubra oriundam. Rubram autem pluviam, à minerarum rubra tinctura ſurſum elata oriri, adſtruit *Achilles* von Erdbeben *§. 17.* Verùm ut ad noſtram in initio indicatam, & crebrò cumprimis in Majo tam ab aliis, quàm à nobis obſervatam pluviam revertamur, hujus cauſam & materiam præcipuè conjicimus in pini arboris turiones, eô tempore inprimis hujusmodi crocum vel pulverem ſulphureum continentes ac in aërem ſpargentes; etiamſi aliàs arbores, flores, vel vegetabilia itidem talismodi materiem continere noverimus. Alioquin verò nucamenta quarundam arborum, lycopodium, flores ſambuci, tiliæ, & ſimilium arborum æquè, ac plantarum quarundam flores continent ejusmodi ſulphureum pulverem, qui, ceu diximus, aëri commixtus poſteà, & citiùs cum pluvia delabi poteſt, quàm graviora alioquin non ignota, aut ſemina varia hortos ſeminantia, & dominis inviſas ſpontèque provenientes plantas in viridariis ſæpè obtrudentia; de qua materia aliô tempore pleniùs in peculiari diſſertatione agemus. Suadet inter alia nobis etiam hoc, ut originem pulveris illius pinetis tribuamus,

buamus, quia confinibus in illorum locis dicto tempore major copia illius croci aquæ iſti pluviali collectæ vel ſtagnanti commixta fuit à me obſervata. Quod aſſertum, vel conjectura an applauſum mereatur, alii curioſi in locis iſtiusmodi, à pinetis non admodùm diſſitis, dictô tempore indagare haud difficulter poterunt. Collectus præterea iſte pulvis ex lacunis cum ſpuma quâpiam innatans atque exſiccatus igni vel candelæ accenſæ inſperſus ſimilia ferè indicia, atque pini iſte crocus, oſtendit. Cæterùm de croco illo pini nihil ampliùs hôc locô addam, quem nonnulli ex turionibus maturè decerptis & arefactis collectum pro pectoris affectibus &c. dilaudant.

[Jenâ 1689. d. 22. Januar. Noribergam miſſa.]

SCHOLIUM.

CONjectura hæc de pluvia ſulphurea pulviſculo tenuiſſimo ſive antheræ pini &c. adſcripta, aliorumque authoritate non minùs confirmata, cùm luce ſuâ radiet, an tamen præter hanc, verè etiam ſulphurea contigerit, non immeritò quæritur? Quam licet Nob. D. Author minimè neget, eſſe tamen alios, qui ſoli iſti pulveri flavo, Menſe Majo usque ad medium Junium, à florentibus pinis & abietibus deciduo, illam tribuunt, invenio, cum quo nempe ſulphur illud pluviale exactè conveniat, nec aliô quàm dictô tempore pluvias iſtas delapſas hiſtoriæ memorent. Aſt ſpecioſam hanc opinionem duobus exemplis dubiam facere, & pluvias verè ſulphureas, vel ab iſto vegetabili pulvere diverſas ex aêre decidiſſe, oſtendere libet; quorum utrumque licet itidem Menſe Majô obſervatum fuerit, cùm tamen pulvis ille ex aëre depluens, ſulphur à dicto reſinoſo piceo pulvere planè diſcrepans oſtenderit, temporis illa convenientia nihil contra hiſtoriæ veritatem concludere valet. Prioris exempli notitiam ſuppeditat *Ol. Wormius*, Medicus & Profeſſor Regius Hafnienſis quondam clariſſimus,

lib. 1. Muſei ſui ſect. 1. cap. 11. ubi ſulphuris ſibi genus eſſe teſtatur, quod Anno 1646. d. 16. Maji Hafniæ ex aëre decidit cum pluvia ingenti totam urbem inundante, quod colore, odore, & aliis indiciis verum ſulphur retulit. Alterius celeberrimus etiam Hafnienſium Medicus & Profeſſor, *D. Simon Paulli* in *Comm. de abuſu Tabac. & h. Thée* mentionem facit, in Norwagia nempe Anno 1665. d. 19. Maji, inſolenti tempeſtate, tonitru horrendo & denſis nimbis ſulphur redolentibus intermiſtis, pulverem ſimillimum ſulphuri cœlô delapſum eſſe, qui in igne fœtentem ſpiravit fumum, & cum ſpiritu terebinthinæ liquorem dedit Balſamum ſulphuris odore ſimilantem. Neque poſſe tale quid contingere, rationum momenta aliqua deſunt, inprimis ſi montes aliaque loca ſulphure ardentia conſideremus, qualem famoſum ignivomum montem, Heclam dictum, Islandia exhibet, quem ſulphuris eſſe feracem, *Wormius l. c.* quoque memorat. Et hôc ipsô incendiô ſulphuris particulas haud paucas elevari quis neget? quales in agro Puteolano, in loco, quem Vulcani forum, vulgariter Solfatara vocant, hinc inde ſaxorum igniferorum hiatui adhærentes vidi & collegi. Tales itaque ubi copiosè aëri ſeſe immiſcuerunt, ventorum impulſu ibi conglomeratæ, halituoſisque nubium corpuſculis intricatæ ac ventorum impetu abreptæ, tandem pondere ſuô unà cum nubium condenſatis guttulis in terram deſcendere cur nequeant, haud video.

[*L. Schröck, L. f.*]

OBSER-

OBSERVATIO CXCV.

D. GÜNTHERI CHRISTOPHORI SCHELHAMMERI.

Piſtaciæ Germinatio.

DOctrinam de germinatione plantarum, (naturæ opere) ad naturalem Philoſophiam pertinere, vulgò notum, nec multis id oſtendi opus. Eam igitur etiam à nobis excoli par eſt, animisq́ue curioſis conveniens. Conſtat autem ferè, ut reliqua natura, oculorum fide, cui idoneas deinde cauſas ingeniorum acumen adinvenit. At verò, quemadmodum cuncta germinent ſemina, nemo facilè mortalium percenſere unquam poterit: neceſſum tamen foret, ſi quis ſcientiæ leges implere, & de his certa & univerſalia condere velit. Neque excedere humanæ mentis induſtriam tantum opus, ſi plures conferre labores conſtituant, Ariſtotelis exemplô conſtat, qui in Animalium hiſtoria tenenda vel ſolus non contemnendos fecit progreſſus; Nos jam igitur quid in Piſtacia, nobiliſſimi arboris fructu cernere licuerit, exponemus, nam reliqua nucum genera, majorumq́ue ſeminum rationem alii paſſim, Laurembergius cumprimis, vir ad hæc ſtudia natus, additis etiam iconibus, declararunt; ſed qui hanc noſtram viderit, pinxeritq́ue, adhuc quidem reperi neminem, cùm digna res ſit, quæ è tenebris eruatur, multum enim abit cæterorum ejus generis germinandi ratione. Nam cùm reliquarum nucum, majorumq́ue ſeminum germina, quæ ex oculo vel feneſtella, dehiſcente ſemine, erumpunt, nucis carni, tanquam placentæ, vel matrici ſuæ unicô umbilicali funiculô nectantur, Piſtacia geminum ſortita eſt, quo plantam recens enatam, veluti duabus anſis ex nuce exſertis, mediam continet, eô modô, quô ad vivum hîc à me delineata cernitur. Nutrimentum per eas, ut in cæteris quoque, trahi, haud

dubium reor, donec radices ex trunco altiùs terram ſubeuntes plures emittat, eum in modum, quem Figura XXXV. oſtendit.

Aliquot nuces terræ gremio mandaveram, quarum aliæ plantam nullam edebant, aliis edita, ad altitudinem aliquam aſſurgens, non multô poſt tempore exareſcebat. Scire avidus, quid mali iſtis contigerit, è terra erui, nucis carnem intùs corruptam deprehendi, (forſan nimiô humore) maximam partem nigricantem, & neſcio quibus vermiculis ſcatentem, exilibus, teretibus, filamenta tenuiſſima referentibus: dixeris Lumbricorum minimum genus, niſi candicantes fuiſſent toti, argumento, ex ipſa nucis medulla vel natos vel nutritos: Quorum prius, ſi univocæ generationis patroniis videtur incredibile, rogatos velim, ut mihi explicent, quomodo, & ex quo ſemine hîc ſint coorti, qui ſui ſimile nullibi oſtendunt genus: id ſanè diſcuperem ab iis edoceri.

His in germinantibus ita perſpectis, ſubiit animum cupiditas, etiam integras revocare ad examen, & qualem includant ſeminalem plantulam, inveſtigare. Per medium igitur fiſſis, ſatis conſpicuam inhærere vidimus, quæ parte inferiore non inhærebat utero ſuo, id eſt nucis carni, ſed ab eo prorſus erat liberata, ſuperius autem inflexum caput ſub corticem illum internum duplicem, qui nuci arctiùs adjacet recondebat, ubi ita ſe ſubducebat oculis, ut ne Microſcopio quidem ejus terminum liceret aſſequi.

Non eſſe nudam, ſed velamentô ſeu propriô cortice gaudere, (qui corticem arboris futuræ fortaſſis conſtituit) admotô cultellô patuit; Eô, beneficiô ejusdem reſciſsô, duplex apparuit cauda, quam Figura XXXVI. Pictor artificiosè, bonâque fide expreſſit. Caudam appello, quia inferior eſt in nuce pars, antequam ſata, turgeſcat, quæ fortè, ubi ex ejus hiatu evaſit, fit caput; alterâ parte terram, alterâ aërem petens, hâc caudicem, illâ radicem conſtituens. Quod, etſi ſatis exploratum non habeo, ſi tamen ita non ſit, cui uſui duplex

facta

facta ſit, non intelligo. Unam talem reperi, qualem Figura XXXVII. exponit oculis: monſtroſa ne ſit, an germinationem, intùs agitatam corruperit natura, aut deficiente humore deſeruerit, non dixerim, adeoque, quid inde colligendum, perſpicacioribus animis conjectandum relinquo.

Fig. XXXV. XXXVI. XXXVII.

OBSERVATIO CXCVI.

D. GÜNTHERI CHRISTOPHORI SCHELHAMMERI.

Epilepſiam à Tabaci fumo foveri.

EPileptici cujusdam gravia ſymptomata, & à me uſurpata adverſus eum morbum auxilia præteritô annô chartis conſignata transmiſi, ubi addideram, me ſpe teneri haut levi, futurum ut hoc mali, ſi non ceſſet penitus, comprimi tamen poſſit, & frangi. Expectationi huic meæ in tantum jam reſpondit eventus, ut ſalvum eſſe liceat, modo libeat viro. Comperi enim poſteà, eum tabaci fumum impensè amare, eique nimium quantum indulgere: à quo, ſi ex præſcripto ſibi temperat, ab affectu incolumis, rectè valet, ubi repetit antiquam conſuetudinem, malo ſubindè tentatur. Ne autem ex hac ſola id colligerem, alia ſeſe mox obtulit conſimilis obſervatio. Pagus eſt, trium ferè horarum ſpatio ab hoc Lyceo diſtans, nomen ipſi eſt Schwanenfeld / Caupo hujus pagi eôdem laborabat ſonticô morbô, nec minùs hoc Nicotianæ Spiritu delectabatur, eôdem prorſus rei eventu. Poſtquam enim Medici diſſuaſu ipſi valedixiſſet, ex eo ſtatim tempore nihil ampliùs ab hoſte infenſiſſimo ſibi metuebat, ſed per plures jam annos ſanus degebat. Ex quibus ſanè apparet, fumo benedicti hujus occidui orbis doni haut levem intercedere cum morbo comitiali neceſſitudinem, & cerebro,

mentis ſedi eſſe inimicum. Cujus quidem rei in promtu etiam eſt ratio, Narcotica enim vi quâ pollet, ſpiritus obruit. Non tamen niſi imbecillis ac ægrè habentibus circa has partes nocet, quia reſiſtunt majori virtute inſtructi & numeroſiores ſpiritus, nam illa narcoſeos vis non adeò magna eſt. Hinc qui capitis partibus & ſpiritibus ſunt fortioribus in mediis fumorum iſtorum nubibus intactum ſervare ſolent ingenium, imò graviſſima negotia rectiùs aliquando, quàm extra illas penſitare. An quia nobilioribus & magis igneis ac velocibus remora objicitur? Omnis enim ejusmodi virtus Narcotica ſpiritus ferocia tumultuantes premit, ex ſe mites verò ac debiles opprimit ac peſſundat. Cavendum igitur eſt Practicis, ne omnibus ex æquo epilepticis Opiata propinare, (quod facere nonnullos novimus) ſatagant, non enim niſi robuſtis, ſi modò ullis, conveniunt.

OBSERVATIO CXCVII.

D. GÜNTHERI CHRISTOPHORI SCHELHAMMERI.

Alia de Epilepſia obſervatio.

NOta ſunt exempla, paſſimque celebrantur eorum, quibus ex aliqua corporis parte aſcendit ad cerebrum neſcio quis vapor, quod, utprimùm eſt factum, illicò paroxyſmô epilepticô corripiuntur. At quibus è cerebro in partes inferiores deſcenderit tale quid, non invenio notatos. Id verò etiam fieri, (adeò cauſa non deeſt) experientia me reddit certiorem, Vir quadragenario major erat, cui ſolebat contingere. Quoties enim inſtabat affectus, percipiebat è cerebro aliquid in brachium abire, idque nunciabat iis, qui erant unà. Hôc factô, incipiebat primò integris adhuc ſenſibus, ſcienti & videnti brachium moveri, ex quo mox reliquo corpori communicata mali materia ipſo pro

more concidente, caput ipſum, aliæque etiam partes miſerrimô ſpectaculô concutiebantur.

OBSERVATIO CXCVIII.

D. GÜNTHERI CHRISTOPHORI SCHELHAMMERI.

Sputi rejectio matutina copioſa, admodùm moleſta, ab eodem tabaco.

COgnatus meus, Jurium ſtudiô operam navans, ſingulô mane, è lecto ſurgens, tanta ſalivalis humoris copia os inundari ſentiebat, ut illi rejiciendo integra ſæpè hora vix ſufficeret: quin inſtar fonticuli manabat, & cùm ea res admodùm ipſi eſſet moleſta, petiit ut ſibi conſulerem. Petito annuens, varia quæ animus ſuggerebat in remedium rari affectus adhibui, ſed fruſtra omnia. Idem & aliis contigiſſe quos conſuluerat plurimos, Medicis, referebat. Hic poſt biennium nuper ad nos reviſens, referebat, ſe ab illo incommodo jam eſſe liberatum, nullius medicaminis beneficiô, ſed quia tabaci fumum, quem tum jugiter, me inſcio, ſugere ſolebat, vitare ceperit. Ego verò, ut in comperto res eſſet, ſollicitationibus inducebam, ut eô veſpere admitteret antiquum hoſpitem: alterô mane confeſtim urgens ſaliva inſtabat, id quod aliquoties jam ſibi ex ejusdem uſû repetito contigiſſe referebat, ob eamque cauſam ſe in perpetuum Herbæ Benedictæ valedixiſſe. Ratio tam inſoliti affectus paulò obſcurior ut videatur, reperitur tamen facilè. Acrimoniam enim huic fumo eſſe, quæ titillando & irritando glandulas in ore ad humoris profuſionem invitat, omnibus eſt notum. Quem effectum in hoc juvene latiùs extenderunt, quoniam ſemel irritatæ glandulæ propter εὐαισθησίαν, etiam ceſſante cauſâ, ſenſum moleſtiæ retinuêre, pari prorſus modô, ut in hy-

per-

percatharſi glandulæ inteſtinales & pancreas, quod magna eſt glandula. Per ſomnum autem, uti ejusmodi fluxus alii ſiſtuntur, ita & hic ſaliva erumpere non potuit, expergefacto igitur, in glandulis per noctem congregata, confertim profluxit.

OBSERVATIO CXCIX.

D. GÜNTHERI CHRISTOPHORI SCHELHAMMERI.

Hæmorrhagiæ ſpontaneæ internæ & externæ notabilis obſervatio.

IN elegantiſſimo, nec minùs erudito *J. Wepferi opuſculo, de Loco affecto Apoplexiæ pag. 230.* Gemina extat ſpontaneæ hæmorrhagiæ hiſtoria, cui, etſi ſubjungat Vir doctiſſimus: *Scio ſimilia apud Auctores Medicos legi*, cùm tamen non adeò frequentia extent, quod ſciam, exempla, non omninò luſurum operam putavi, ſi aliis binis rem ſatis aliàs miram confirmaverim:

Vir quidam eximius, annorum circiter quinquaginta, ſummâ ingenii vi, adeoque ſanguine haut dubiè puriore & fervidiore, cum amicis genio indulgens, ad menſam ſedebat, cùm de improviſo ex minimi digiti articulo, quô metacarpo adhæret, aperta, ut credo, arteria, ſanguis proſilit ſpontè, ad binarum ulnarum altitudinem adſcendens, non ſecùs ac ſi cultelli acie pertuſa fuiſſet vena: cùm aliquandiu unà cum ſodalibus hoc ita ſpectâſſet, ſubitô iterum ſpontè ſubſtitit, nullô relictô apertæ cutis veſtigiô.

Alterum majoris momenti videtur. Annus currit jam tertius, cùm ad ægrum vocatus fui, qui modò ſanus, cum cæteris nundinis noſtris hoſpes advenerat. Affectum cùm inquiro, narrat, quotannis ſibi magnum in latere ſiniſtro tumorem ſenſim oriri, eâ regione, quæ vulgò lienis eſſe putatur: externè

ternè tactu eſſe perceptibilem, pugnæ magnitudinem æquare. Ubi ad ſummum pervenerit, rumpi ſine mora, & in ſtomachum ingentem ſanguinis copiam vomitu excernendam effundere, ita ut non ſemel ad jv. vel v. librarum pondus adſcendat. Ex eo ſe ita debilitari, ut decumbere habeat neceſſum, & medicamentis vehementer irritatum ventriculum placare, ac proſtratis viribus ſuccurrere. Ubi evacuatus eſt ſanguis, confeſtim evaneſcere omnem tumorem, ſed ſenſim iterum collectô ſanguine ſe rurſus prodere, donec antiquô ritu exoneretur. Luculentum hoc exemplum eſt Hæmorrhagiæ ſpontaneæ internæ, ut prius illud externa, ut commentarii locô eſſe poſſit ad Wepferi verba quibus orditur narrationem ſuam: *Vaſa ſanguifera*, inquiens, *tam intùs recondita, quàm externum habitum perreptantia non rarò citra cauſam externam & violentam ſuâ ſponte aperiri.* Priori ſimile exemplum unum eſt apud Schenkium Obſervat. III, 37. poſterioris aliquot III, 99. & apud Dodonæum unum Obſ. 26. qui in ægroto poſt mortem diſſecto, lienem corruptum invenit, dignus qui conſulatur.

OBSERVATIO CC.

D. GÜNTHERI CHRISTOPHORI SCHELHAMMERI.

De

Terra Catechu.

ANnus eſt & quod excurrit, quod ad privatos uſus affuſo ſic dicto Vini Spiritu, ex Terra Catechu liquorem adſtringentem, Tincturam vocant, mihi paraveram. In ſcrinio ſepoſitum cùm inde repeterem nuper, ut conſueto more effunderem aliquid ægroto in uſum trahendum, (ardentiſſimô erat æſtatis tempore) nihil ampliùs liquoris, ſed concretum in perfectam gelatinam medicamen-

tum offendi. Quod argumento eſt, vel gummoſo & glutinoſo ſucco maſſam hanc vix ſatis cognitam, eſſe compactam, vel quæ in eam concreſcunt, talem in ſe occultatum habere. Utrô ſe res habeat modô, illud hôc experimentô palàm fit, præſtans hanc Terram eſſe adſtringens, & ſanguini acriori potiſſimùm ſiſtendo aptam, cùm non terreis tantùm & acerbis, ſed glutinoſis etiam conſtet, qualia cæteris de eo genere plurimùm ſunt præferenda, prout hoc ſolidiore diſciplinâ imbutis Medicis abundè eſt notum.

OBSERVATIO CCI.

D. GÜNTHERI CHRISTOPHORI SCHELHAMMERI.

Mus in vertiginem actus.

DOctiſſimus *Lovverus Transactionibus Philoſophicis Anglicanis Anni LXVII, n. 32.* inſeruit disquiſitionem de morbo oculorum ſolis equis familiari. Nemo igitur vertet mihi vitio, ſi ad illius exemplum morbum qui muri contigit noſtris Ephemeridibus inſeram. Pertinent autem hæc ad hiſtoriam animalium, in qua & illud foret recenſendum, quibus morbis quælibet vivant obnoxia. Etſi de Plantarum morbis agunt omnes Botanici, cur non liceat, imò oporteat etiam animalium referre? Vigeſimo octavo Septembris, cùm diluculô Muſéum ingrederer, in medio pavimento murem conſpicio minorem, qui ſe ibi continebat, terram intuens. Miratus timidiſſimum animal præſentiam meam ferre, accedo propiùs: nihil movetur, expecto quid futurum ſit: mox ille celeri curſu in circulum rotari incipit, cujus centrum vix pedem ac circumferentia diſtabat dimidium, idq́ue aliquandiu, modò iterum conſiſtit, nihil movens præter caput, quod tremulus motus agitabat; modò rurſum diſcurrit, irrequietô rotatus ambitu, ſemper deſcribens gyrum exactiſſimum;

mum; ſed nunc majorem paulò, nunc minorem. Id ſpectaculum durabat per bihorium ferè, quô elapſo, ſenſim parieti adrepens, & ſubindè circuitus quosdam conficiens, minùs tamen frequentes, peractâ tandem tragœdiâ & ceſſante affectu, ſeſe in latibulum condidit.

Patiuntur ergò & bruta morbos ſingula ſuos, ſibiq́ue in illo genere proximos. Neque enim eundem hunc eſſe cùm verâ vertigine quisquam putaverit, quod & Loweri de equis relatio teſtatur; Oves tamen etiam circumagi ſimili impetu, notum eſt Opilionibus ruſticisve, funeſtô magis exitu, plerumque enim pereunt. Sed & ſues ignis ſacer corripit (ita appellare liceat ad exemplum Hippocratis, cùm ſubulet etiam hunc, ut morbum ſacrum Hippocratis antiquitas, incantamentis expellendum credant) cui, nî confeſtim obſiſtat, actum eſt, intra duodecim horas vel citiùs pereunt, poſt mortem candentis prunæ inſtar rubente omni parte affectâ, prout hoc aliquoties cum admiratione ſpectavimus.

[A. 1689. d. 25. Jan. Helmſtadio Noribergam miſſa.]

OBSERVATIO CCII.

D. JOHANNIS BENEDICTI GRÜNDELII.

Arenæ copioſæ per alvum excretæ.

CAlculos & arenas in omnibus ferè humani corporis partibus generari poſſe, paſſim atteſtantur hiſtoriæ Medicæ; Addam, quod ego hôc menſe Januariô in Senatore quodam quinquaginta annorum arthriticis & colicis doloribus ſæpiùs vexato, in vicina civitate Feiſtritz obſervavi. Senſit bonus iſte vir ſæpiùs dolores ventris atrociſſimos, quos adſtantes à flatibus exortos exiſtimabant, in quem finem etiam applicati ſunt clyſteres, aliæque inunctiones anodynæ adhibitæ, unde alvus aperta, & dolores aliquo-

modo ſublati; dum itaque quâdam vice in fecum alvinarum excretione duritiem quandam ſentiret, excrementa curavit aquâ dilui, ubi integrum manipulum arenularum flavarum invenit, datus poſtmodùm ei eſt ab Empirico Balſamus Sulphuris terebinthinatus, qui cum urina nihil niſi materiam viſcidam, per alvum autem rurſus easdem arenulas copiosè protruſit. Nuper dum per hanc civitatem proficiſcerer, magna quantitas harum arenularum oſtenſa eſt. Exiſtimo hunc affectum in viro iſto à parentibus arthriticis & nephriticis natô multùm foveri & augeri à vinis noſtratibus, tartarô & acidô crudô copiosè ſcatentibus, minùs diureticis, ſæpiùsque incolis malum arthriticum, colicum & nephriticum producentibus.

OBSERVATIO CCIII.

D. JOHANNIS BENEDICTI GRÜNDELII.

Venenum morſu canis rabidi inductum, & poſt octo annos in puella excitatum.

NOvi puellam civilem, dum Viennæ frequentarem Collegium Medicum, quæ ſextô ætatis annô in pede à cane rabido fuerat morſa, vulnus cùm leve erat, nec ullum malignitatis vel rabiei ſignum appareret, curabant domeſtici per remedia vulgaria, & etiam citò cicatricem inducebant; Puella iſta octo integris annis optimè valuit. Tandem decimô quartô ætatis annô Variolis epidemicè tunc graſſantibus corripitur, antequam autem illæ in cute ſe manifeſtant, variis cruciatur ſymptomatibus; jam delirat, modò inſtar canis latrat, (quod mirum dum & ipſi canes rabidi latratum omittunt.) Aquam autem coctam & omnia liqui-

liquida, imò & aquam deſtillatam pro pulveribus alexipharmacis ſumendis ſummè fugit. Adhibentur varia remedia in forma Boli ex Oculis cancri, radice Cynorrhod. compoſita, & medicamentis ordinariis variolas expellentibus admixta, immerſio autem aquæ in hydrophobia aliàs uſitata hîc omittitur, ne naturæ motus à centro ad peripheriam impediatur. Tandem præter omnium ſpem, Variolis perfectè jam protruſis, præfata ſymptomata ceſſant, & medicamentis ulteriùs continuatis ex integro convaluit.

[*An. 1689. d. 28. Januar. Marpurgo Styr. Auguſtam Vind. miſſa.*]

OBSERVATIO CCIV.

D. JOHANNIS CONRADI PEYERI.

Mulieris gravidæ anatome.

GRavidarum mulierum cadavera diſſecare raro contingit, non quòd minùs illæ ſint morbis ac morti obnoxiæ, ſed quòd Medici ſæpiùs prohibentur à propinquis, inani perſuaſione crudelitatis. Multò enimverò inhumanius eſt, id negare hominum precibus ad inquiſitionem penitiſſimam naturæ, quod ſubtrahere nequeunt ambitioni vermium. Hactenus ergò bis tantùm gravidarum mulierum diſſectioni interfui, primùm Baſileæ M DC LXXXI, quam hiſtoriam ſodalis doctiſſimus mihiq; amiciſſimus Pœon in Apiario Obſerv. XI. memoriæ prodidit, deinde hîc Scaphuſiæ auctumnô M DC LXXXVIII. Nimirum vinitoris admodùm juvenis conjux, non procera, ſed craſſa & toroſis artubus, cùm celebs antè fuiſſet, initô matrimoniô mox concepit quadragenaria major. Appropinquante verò partûs tempore in hydropem incidit. Inde femora inprimis & extremi pedes vehementer intumuerunt, ut digitorum veſtigia iis altè hærerent impreſſa. Acceſſit etiam præcordiorum anguſtia,

& ex intervallo difficilis anhelitus. Urina reddebatur pauca, ultimôque menſe lotio ſimile quid tumidis pudendis ſemper emanavit. Embryonis motum ſentire adhuc ſibi viſa eſt quatriduo antequam moreretur. Medicamenta adhibita ſunt cum pauco levamine. Tandem ſuperveniente orthopnœâ & mirâ cordis anxietate cum pulſu intermittente ac inæquali, imminenteque ventri exulcerato gangrænâ, noctu exſpiravit. Ferebatur maritus atrox ac immitis uxorem, dum viveret & valeret, rudius exagitaſſe & interdum accepiſſe verberibus; quæ cauſa fuit, ut cadaver ad inſpectandum magis expeteretur, etiam à neceſſariis defunctæ. Abdomen repletum erat mole partim uteri, partim aquâ, ut fieri aſcite conſuevit, non adeò tamen copioſa, quod uterus cavum ejus maximè impleviſſet, quamobrem ſæpè quærentem audivimus ægram ſe vereri, ut venter tantâ extenſione medius crepet. Pars etiam ſeri in pectore & pericardio ſtagnavit. Pulmones hinc inde putridi & corrupti cum tuberculis, alicubi adnati ac affixi pleuræ, ut crebrô uſu venit. Cordis dexter ventriculus cum auricula ſpectabatur ingenti polypô fartus & impeditus, albô, compactô, & tam firmô atque intricatô, ut vivente muliere gemitum & anguſtias excitâſſe ſummas cordis, & hydropem cohibitô ſanguinis itu & reditu auxiſſe prorſus ac confirmâſſe arbitremur. Pallidum porrò & durum hepar, bilis exigua. Lien, pancreas, ventriculus, & inteſtina, integra: turgida hæc tamen, ut ſolent, ventis. Potiſſimùm autem deſideriô ferebamur colluſtrandi uterum, & quæ continebat ſingula. Notavimus igitur illius ſubſtantiam non quò magis extenditur à conceptione creſcente fœtu, hoc tenuiorem reddi, ſed craſſam planè, amplam, ac robuſtam inveniri etiam extremis menſibus inſtante partu, quô dilatata atque expanſa omnia creduntur. Alicubi craſſities ejus transverſum digitum æquavit, ad fundum præcipuè, & ad cervicem. In lateribus paulò tenuior apparuit, attamen robuſtus omninò, ac non carneus modò, ſed etiam tendinoſus, ut his in

locis

locis fibræ carneæ uteri fulcimentum aliquod habere videantur, ad firmius ſeſe contrahendum in enixu: cujusmodi ſtructuram comparem oſtendunt quorundam animalium ventriculi. Placenta non fundo adhæſit uteri, verùm lateri ejus, quod inteſtinum rectum & os ſacrum reſpicit. Facilè prætereà ſeparabatur ab utero & illa ipſa & chorium omne, citra cruoris effuſionem. Inter chorium & amnium membranam intermediam deprehendimus tenuiſſimam; aſt nihil penitùs humoris. Amnios humorem continebat circa fœtum, familiarem puta alimoniam embryonibus. Infans ipſe fœminei ſexûs, omnibus numeris perfectus, & partui proximus, capite jacebat ad os uteri inclinatô, pedibus ſurſum verſus ventrem ſuum contractis, & complicatis brachiis. Funiculus umbilicalis collum ambiebat. Curavi ocyùs tubulô in urethram demiſsô explorari perviùsne ſit urachus, ut brutis eſſe conſtat, nec ne: at neque ſpiritum neque aquam magnâ licet contentione infuſam admiſit. Infantem autem jam aliquot diebus ante mortuum eſſe inde quodammodò cognovimus, quod decolor eſſet corporis habitus, & cuticula totô corpore abſcederet, abdomen denique plenum atrô cruore repertum ſit viſceribus luridis. Sanguinis forſan motus in matre nimium adſtrictus effecit, ut ſanguis etiam in fœtu conſiſteret, & teneris venis ruptis excideret in ventrem: niſi vis externa ab illato ictu & verberum repetitione ſimul infantem fortiùs perculerit læſeritque. Ovum, è quo genita eſt puella hæc, acceſſit è ſiniſtro matris teſticulo: nam in eo vidimus manifeſtum cicatricis veſtigium, non foveam inanem, ſed contractam carnem exiguam duram & flaveſcentem, quæ ovum ſeparaverat atque expulerat. Tuba quoque illius lateris amplior ac magis rubra erat, & patentior craſſiorque ſiniſtra. Quodſi perpetuum id eſſet, pluribusque exemplis ſimilibus comprobatum, vel frequentiùs ſaltem idem accideret; confirmaretur aſſertum Hippocratis, à ſiniſtris uteri partibus fœmellas eſſe, mares potiùs à dextris. Veruntamen ſunt apud

nos

nos aliquot mulieres admodùm fertiles atque fœcundæ, quæ puellas tantùm pariunt, ſunt pariter quæ tantùm mares: nec ſcitur, an ova ex uno duntaxat eodemque ovario ſive teſte ſecedant, vel ex utroque. Verùm de his judicium nemo certum ferat, niſi omnis generis experimenta abundè perceperit, qualia literis conſignare aut Ephemeridibus tradere neque inutile prorſus, neque incurioſum aut ſupervacaneum exiſtimo. Illud denique ſilentiô hîc minimè prætereundum, vincula, quibus oſſa pubis invicem connectuntur, mulieri huic gravidæ tam laxa fuiſſe & remiſſa, quantumvis quadragenariæ, ut cultrô facillimè diſſolverentur. Hoc ſingulari omninô providentia divina fieri credendum eſt, ne in enixu oſſa iſthæc Marpeſiæ cautis inſtar partui reſiſtant, ſed quantum fieri poteſt citra laxationem recedentia patefactis viis exitum infantis adjuvent atque promoveant. Quæ cùm ita ſint, & non nobis tantùm ſed aliis quoque autoribus probata, quis non miretur peculiari diſputatione de partu difficili M DC LXXX. Heidelbergæ habitâ ſolenni ſententiam hanc iterum iterumque rejici atque explodi? Nec ferendum in eadem diſputatione Cap. III. ad oſſa pubis perperàm diſtrahi & confutari, quæ Adr. Spigelius præcellens Medicus & Anatomicus quondam Patavii celeberrimus, de ore interno uteri, non de oſſibus pubis, veriſſima & noſtræ quoque experientiæ multiplici congruentia aſſeruerat. Quod hîc obiter monere volui, ne qui aliorum infidis ſcriptis ſe in errorem abripi patiantur.

OBSERVATIO CCV.

D. JOHANNIS CONRADI PEYERI.

Perioſteum oſſeum.

Cùm nuper è macello caro bubula mihi allata eſſet, eam alterius ſpectaculi causâ conſiderans atque contrectans adverti os, quod è carne prominebat (erat autem portio

portio femoris) perioſteô carere; itaque diligentiùs inquirendo membranam ipſam in os degenerâſſe comperi: eamque membranam oſſeam fruſtillatim ſeparare ac auferre potui. Id ætati potiùs quàm morbo tribuendum eſſe putavi; nam percocta licet caro tenax erat. Per ætatem verò etiam arterias & venas oſſeam duritiem obſervatum eſt contraxiſſe.

OBSERVATIO CCVI.
D. JOHANNIS CONRADI PEYERI.
Hydatides in venis.

IN hepate mactati porci adhuc calente cùm venam portæ hâc hyeme contuerer attentiùs, exit repentè ex oſtio ejus cum pauco ſanguine hydatis molliſſima, propemodùm amygdali formâ & magnitudine, pellucidâ prorſus, & membranâ tam ſubtili conſtans, ut vix ſint ſubtiliores & magis perſpicui lymphæ ductus. Alicubi tamen in ſuperficie apparuit veſtigium quoddam craſſum, & flavum, exilius ſemine milii. Id arbitror radicem aut umbilicum quaſi hydatidis hujus fuiſſe, quô venæ portæ intùs tanquam matrici adhæſit, & per quem lympham tantùm ſubtiliſſimam hauſit. Videtur hæc obſervatio confirmare lymphæ potiſſimam ſcaturiginem è membranoſis partibus. In hominum venis tamen hydatides nondum reperi.

[*A. 1689. d. 7. Febr. Scaphuſiâ Auguſtam Vindel. miſſæ.*]

OBSERVATIO CCVII.
D. PETRI ROMMELII.
Anevriſma magnum, nullis remediis cedens, ſpontè tandem evaneſcens.

NOn Monſtra ſolùm, verùm etiam *Miracula* in Medicina contingere; illud, tanquam axioma medicum tyronibus inculcatur, hoc verò ſimul cum illo, etiam

ab iis non diffitebitur, qui vel mediocriter ſaltim in lectione obſervationum, ab inſignibus Practicis adnotatarum verſati ſunt. Nec enim pro deſperatis habiti, planè derelinquendi ſunt; cùm nullus morbus adeò gravis & periculoſus ſit, ex quo non unus evaſerit, & alter reconvaluerit; Neque etiam ullus adeò ſalutaris, levis ac parvi momenti, qui non aliquem trucidârit & vitâ privaverit; unde, ſicut talis non contemnendus nec parvipendendus eſt, ita etiam pro incurabilibus habitis, nihilominùs manus medica eſt admovenda.

In Tumorum p.n. claſſe, exceptis Anthracibus ac Bubonibus peſtilentialibus (qui tamen multoties, peſte laborantibus, quando prorumpunt, roboris naturæ & futuræ ſanitatis ſignum præbere ſolent;) vix reperitur Tumorum ſpecies, quæ majus periculum, & vitæ ipſius ſummum diſcrimen adferat, quàm Anevriſma, h. e. Tumor à læſis arteriæ alicujus tunicis, (non jam prolixi erimus, utrum ex duabus, juxta veteres, aut tribus vel quatuor conſtent tunicis juxta modernos Anatomiæ Proceres,) exortus; præſertim ſi Chirurgum in hoc tumorum genere tractando & percurando imperitum, nactus fuerit. Tot tantaque hujus rei tragici caſus & exempla paſſim apud Auctores proſtant, ut iis prolixè recenſendis facilè ſuperſedere poſſe exiſtimemus. Ex infinito ferè numero ſufficiet nominâſſe *Paræum*, *Fabritium Hildanum*, *Fabritium ab Aquapendente*, *Schenckium*, *Scultetum*, *Bartholinum*, *Barbettum & Dekerum*, *Ephemerides Academ. Nat. Curioſ. &c.*

Ante paucos Annos hujus rei funeſtum exemplum in homine ruſtico hîc Ulmæ vidimus, cui, imprudenter apertô anevriſmate à Venæſectione infelici ſubortô, non obſtante ampliùs arte & ope chirurgicâ, miſerè pereundum fuit.

Ante triennium civis honeſtus Ulmenſis, Limprecht Oſtertag / vir vegetus & conſiſtentis ætatis, tempore vernô, venam brachii dextri more receptô, tundendam Chirurgo lætè ac hilariter exporrigit; Vini enim Cyathum, poſt levem priùs fa-

ctam

ctam deambulationem ebiberat : ſed infelix admodùm uterque, & Chirurgus, & Venæſectionem patiens, hic ſuſtinendo quæ ſequebantur gravia ſymptomata; ille, venæ locô, arteriam vulnerando, fuit : ſtatim enim vix factâ plagâ, liquor purpureus, ſpirituum animæque domicilium, maximô cum impetu proſiliit, ita ut vix ligatura (hanc enim Chirurgus visô ſaltante quaſi ſanguine maturabat,) fortior licèt facta, impetum compeſcere potuerit, quin de novo, non obſtantibus faſciis duplicatis proruperit, Chirurgumque ſimul cum patiente, in non exiguum timorem & ſtuporem conjecerit: Hic enim tum ob metum proprium, à conſternatione illius auctum, tum etiam ob ſanguinem profuſum, ſpiritusque deperditos, animô deficere cœpit. Chirurgus præter fortem ligaturam & conſtrictionem dolorificam, melioris conſilii neſcius, præſertim primis diebus nihil adhibet remedii, interim patiens ab hâc, maximum totius brachii perſentit dolorem & tumorem, ut propriô demum Marte Oleô Liliorum alborum & ſimilibus, dolorem intolerabilem demulcere & lenire, non quidem ſine ſucceſſu, tentârit. Hinc indies in brachio, eo in loco, in quo inciſio facta fuerat, tumorem mollem & digitis cedentem, ſtatim verò, remotis digitis retrogredientem, ſuccreſcere & augmentum capere obſervavit, (non obſtantibus adplicitis, neſcio quibus, remediis) qui tandem ovum anſerinum non ſolùm æquabat, ſed magnitudine ſuperabat, colore, reliquo cutis colori planè ſimili permanente, pulſus in eodem non ſolùm digitis percipiebatur, ſed etiam oculis conſpiciebatur, non minùs etiam ſonus & fluctuatio intra tumorem, auribus percipiebatur, ita ut omnia perfecti anevriſmatis ſigna diagnoſtica obſervarentur, & pro tali, ſimulque inſanabili, ob magnitudinem & temporis diuturnitatem, deinceps à juratis Chirurgiæ Magiſtris judicatum fuerit: Per integrum enim annum varia à variis fuerunt adhibita remedia, Venæſectio, purgatio, ſacculi herbis, floribus, ſeminibus &c. referti, fotus, epithemata, emplaſtra &c.

nihilq́ue ferè eorum omiſſum fuit, quod aliquô modô, malo huic compeſcendo conducibile videbatur, incaſſum tamen omnia, præterquam quod brachium exin majus robur (nam per plures menſes valdè debilitatum fuit, ut vix panem minorem manu tenere, conſuetos verò etiam leviſſimos labores, nullatenus peragere potis fuerit) majoremq́ue agilitatem, denuò acquiſiverit. Unde ſumptuum ulterius impendendorum, pertæſus patiens, (quinquaginta enim Imperialibus infelix hæc Venæſectio hactenus conſtiterat) & quia res deſperata & non, niſi cum vita ejus terminatura ab omnibus ferè, quos conſilii causâ conveniebat, declararetur, faſcias, fomenta, emplaſtra, & quicquid hujus farinæ hactenus uſurpatum fuerat, juſtô ut ipſi videbatur Zelô, abjecit, mortem, vitæ morboſæ (quia *non vivere, ſed valere, veram reputabat vitam)* præferens, ad labores ſuos hactenus prohibitos & ſuſpenſos poſtliminiò quaſi redire, intermiſſaq́ue longô tempore conſueta munia denuò obire, ſicq́ue miſeræ vitæ eò citius colophonem imponere ſatagens, medicamentis omnibus valedixit, potiùs labore, quàm mœrore & languore perire, fataq́ue ſua abſolvere maluit, ex Seneca enim nondum didicerat; *Scelus eſſe, occidere, vel mortem oppetere, etiam ubi mori remedium eſt.* Sed audiamus ſucceſſum; quò celerius enim morti obviam ire conſtituit, eò magis mors ipſa, ipſum fugere quaſi, viſa eſt, ita ut ex eo, quô fatum accelerare præſumſerat, ſanitatem & novam quaſi vitam adeptus fuerit; rectè enim Medicorum Cicero, Celſus ſcripſit: *Sæpè quos ratio non reſtituit, temeritas adjuvat.* Vix enim aliquot ſeptimanis præterlapſis, inopinatò & aliud quaſi agens, obſervavit, anevriſmatis tumorem, tractu temporis forſan, medicamentorum inſuper, ut credo adſtringentium & ſiccantium uſu, aliquô modô duriorem redditam, non ampliùs priorem magnitudinem obtinere, ſed nonnihil decreviſſe; hoc calcar ei addidit, frequentioribus laboribus (qui copioſum ſudorem, cui aliàs obnoxius erat, provocarent) corpus & inprimis brachia

chia exercere, laboribusque quaſi totum ſeſe mancipare: Quô factô, de ſeptimana in ſeptimanam, anevriſma paulatim detumeſcere, tandemque omninò evaneſcere, nullis concomitantibus doloribus aliisve ſymptomatibus obſervatum eſt, maximo cum patientis gaudio, nec minori omnium admiratione, ita, ut jam ab omni malo prorſus immunis ſit, nec veſtigium anevriſmatis vel tumoris, neque in brachio, neque alia in corporis parte ampliùs compareat, quin potiùs optimâ & integrâ valetudine ab anno jam dimidio feliciter & optatè fruatur. Anevriſmate non omninò adhuc abſumptô, per jocum, in loco, librandis ponderibus gravioribus deſtinato, à bajulis, vires brachii ſui periclitari juſſus, tam temerarius fuit, ut dimidii centenarii pondus, manu dextrâ non ſolùm arripuerit, bilanci magnæ publicæ, & hinc denuò ſcamnô ei deſtinatô impoſuerit, verùm etiam hinc inde ſine noxa quidem, non tamen ſine admiratione adſtantium, & ſuppreſsô timore jocantium, portârit. Lætus jam & ſanus omnia ſua negotia perficit, DEOque ſubindè pro tam clementi & beneficâ, miraculosè quaſi redditâ incolumitate & divinô auxiliô dicit gratias, plenisque decantat buccis, hujus enim benedictioni inprimis & copioſo, laboribus indefeſſis procurato ſudori, reſtitutionem ſuam, & quidem rectè adſcribit.

Ex hoc caſu diſcere poſſumus, ſæpiſſimè evenire, ut remedia, quæ plurimis aliis profuerunt, in hoc vel illo ad votum non ſuccedant, ut agnoſcant ægri ſimul & Medici; *non propriè eſſe remedia, quæ languores ſanant, ſed ſolam miſericordiam & benedictionem divinam.*

OBSERVATIO CCVIII.
D. PETRI ROMMELII.
Anevriſma aliud feliciter curatum.

PRiori Obſervationi, anevriſmatis deſperati, ſpontè tamen ſanati, non ingratum fore autumo, aliam methodicè curati anevriſmatis ſubnectere.

Juvenis doctiſſimus D. M. J. C. M. viginti trium annorum Anno 1687. Majali tempore, ad ſanguinis copiam minuendam, venam dextri brachii, medianam dictam, lancettâ incidi ſibi curat, cujus apertio, à Chirurgo Artis ſuæ haud imperito dextrè, & ut decet, perficitur, nullaque inter effluendum pulſatio, vel ſaltus ſanguinis animadvertitur: Eôdem poſt Venæſectionem celebratam die tamen, quia Muſis ſacrificare ipſi interdicabatur, tempus fallendi gratiâ in horto cum domeſticis & familiaribus, currendo, ſaliendo, corpus & brachia hinc inde violentiùs movendo, otium fugare, hisque exercitiis appetitum ad cœnam procurare volens; ſequenti die conis ludendo, brachiumque defatigando, per bihorium & ultra, idem facit; tertiò à Venæſectionis die, tuberculum priùs non animadverſum, eo in loco, ubi vena aperta fuerat, animadvertit, dubio procul propter vehementiorem corporis & brachii motum indeque cauſatam majorem ſanguinis efferveſcentiam, ob arteriæ tunicarum dilatationem oriundum; quia tamen dolorificum non erat, id floccifaciebat, & per plures dies periculi neſcius, negligebat: Cùm verò ſubindè incrementum ſumeret, Chirurgo affini, ille mihi, monſtrat & indicat, ſtatimque ob colorem à cute reliqua non variantem, pulſum digitis & oculis perceptibilem, fluctuationem & ſonum, tumorisque, factâ digitis compreſſione, retroceſſionem, remotis verò illis momentaneum reditum, anevriſma eſſe pronunciabat, & quidem rectè, magnitudine ovum columbinum ſi non ſuperabat, certè æquabat.

De

De periculo quod ſubeſſet monitus & certior factus Dn. patiens, anxiè medelam expetiit: Statim igitur ne majus incrementum ſumeret, exporrectô brachiô, ſanguinem iterata digitorum compreſſione, canali ſuo anguſtiori, quaſi intruſimus, influxumque arteriâ compreſsâ impedivimus, anevriſmati laminam plumbeam, decenti magnitudine & craſſitie factam ſuperpoſuimus, emplaſtrô inſuper contra fracturas munivimus, faſciiſque probè conſtrinximus, & quæ fieri ratio & Ars ſuadebat ritè & methodicè peregimus, ſimulque juxta diætæ convenientis obſervationem, quietem imperavimus: quibus obſervatis effectum, ut aliquot ſeptimanarum ſpatiô, tumor omnis ablatus, tunicæ laxatæ & expanſæ in priſtinum ſuum ſtatum reſtitutæ fuerint, & Dn. patiens ab omni majoris mali metu liber evaſerit. Nihilominùs tamen, majoris ſecuritatis ergò, ligaturam & compreſſionem cum plumbo &c. continuare juſſimus, quod etiam per trimeſtre ſpatium diligenter obſervatum, atque effectum eſt, ut hactenus planè ſanus omniſque mali expers vixerit. Principiis igitur obſtandum (licet etiam hîc principium neglectum fuerit) rarò enim Medicina paratur, cùm mala per longas invaluêre moras.

Diſcant ex hoc Venæſectionis amatores, poſt ſanguinem venâ ſectâ emiſſum, nullum violentum motum, aut corporis exercitium eſſe faciendum; ſed potiùs quieti & aliis, absque corporis nimiâ agitatione & exæſtuatione fientibus recreationibus, eſſe ſtudendum. Sed ſurdis narratur fabula. Conf. cum hac noſtra, Obſervationem D. Burneti, in Theſ. Med. Pract. Tom. I. p. 54. de Illuſtriſſima & Excellentiſs. Dn. Comitiſſa à Dhona &c. &c.

OBSER-

OBSERVATIO CCIX.

D. PETRI ROMMELII.

Fœtus, absque funiculo umbilicali, editus.

VIx dici poteſt, quantæ nugæ, quotque fabulæ ſuperſtitioſæ atque anilia deliramenta, ab obſtetricibus, aliisque credulis mulieribus de umbilico ſeu funiculô umbilicali, fœtuum recens in lucem editorum, alantur, aliisque etiam, ut firmiter credant, perſuadere conentur. Et utinam ſolùm obſtetrices obſtetricantesque aliæ ex fece plebeja oriundæ mulierculæ, ad ſuperſtitiones & fabuloſas narrationes præ aliis valdè proclives & aptæ natæ, hæc talia crederent, & non etiam alias illuſtriores & quibus de meliori luto finxit præcordia Titan, immò etiam grandi-ſimulque vaniloquos quosdam, ſibi ipſis (ſi Diis placet) de magna ſcientia & eruditione Medicâ præ aliis gratulantes, reverà tamen imaginarios & imperitos Medicos dicam, an Thraſones Medicaſtros, hæc ſuperſtitionis lues ſeu contagium inquinaviſſet. Credunt enim & procaciter ſatis aliis perſuadere adlaborant, ex hoc funiculo, ejusque ut vocantur nodis ſive varicibus, certiſſima futuræ fœcunditatis aut ſterilitatis haberi poſſe ſigna, item de numero & multitudine procreandorum liberorum, de prolium ſubſequuturarum ſexu, quem ex colore rubro vel albo præſagiri poſſe contendunt; item, an brevi vel longo intervallo ſit ſequuturum novum puerperium; an unicum ſaltem fœtum, an verò gemellos proximè ſequente conceptione ſit geſtatura gravida, quod ex varicum majore vel minore ab invicem diſtantiâ vel vicinitate divinare, vel etiam ex nodorum abſentiâ, de omnimoda ſterilitate hariolari, inſuperque de umbilici reſciſſi & exſiccati citiore vel tardiore, ſpontaneô tamen caſu, vitæ longioris vel brevioris futuræ,

turæ, certum augurium capere ſatagunt ; cùm tamen hæc omnia nullum ſolidum habeant fundamentum ; licèt interdum caſu potiùs ita, æquè ac cum aliis ſuperſtitionibus fieri amat, contigiſſe, concedendum ſit ; quæ autem caſu tantùm fiunt, ſunt, ut in Scholis loqui ſolet, extra ſemper & frequenter, unaque hirundo nullum ver facit, nec unum alterumve exemplum regulam conſtituit: Ut jam taceam anilem fabulam, de colis longitudine vel brevitate futura, prout nimirum vaſorum umbilicalium reſectio propior vel remotior ab obſtetrice inſtituta fuerit: item infantes vel etiam adultos, quibus inſciis umbilici portio exſiccata ad devorandum fuit propinata, vel ſerico incluſa amuleti inſtar collo ad geſtandum adpenſa, docilitate, imaginariâ felicitate, & à periculis præſervatione, viſus itidem, ſi infantes per umbilici exſiccati cavitatem, tanquam per tubum opticum perſpiciunt, majori acie, &c.

Communis apud mulieres eſt ſententia, (cui adhucdum nonnulli Medici, non ſatis, ut mihi videtur, de Nutritione fœtûs in utero, & quomodo fiat, informati, adſtipulantur:) Embryonem per vaſa umbilicalia & quidem ſolùm nutriri; cùm tamen rem aliter ſe habere, Hippocrates, Galenus, Plutarchus, Ariſtoteles, Harvejus, univerſusque ferè Anatomicorum præſertim recentiorum Chorus, tradat, ſequensque Obſervatio manifeſtè, doceat & demonſtret.

Anno 1680. d. 3. Aprilis ad Joh. Gerſtenii, lanionis uxorem neo-puerperam, & jamjam juſtô partûs tempore puellam enixam, ob ſecundinarum, ut cauſſabatur retardationem vocatus fui, quamvis res adhuc integra, puerpera viribus minimè exhauſta, & pro renata ſana ac robuſta erat: Quia tamen inopinatum & nunquam anteà obſervatum Phænomenon obſtetricem & adſtantes mulieres, non minùs etiam obſtetricum anteſignanam & Directricem (Oberhändige Frauen) in adjutorium ante partum vocatam, maximè perterruiſſet inque ſtuporem rapuiſſet, eò ardentius meam præ-

ſententiam, conſilium ſimulac epicriſin ſuper hanc rem efflagitarunt.

Puella recens edita, viva & vegeta omninò, quoad membra omnia perfecta & ſana, à ſordibus modò per aquam mundata mihi oſtendebatur, cui nullus ex abdomine, ut aliàs fieri conſuevit, procedebat funiculus, ſed umbilicum inſtar infantis plurium jam menſium ſanum habebat, præterquam quod proceſſus parvus inſtar vermiculi, longitudinem articuli digiti minimi non attingens, prominebat, planè impervius & occluſus, neque cruorem, ſaniem aut ſanguinem, etiam compreſſus fundens, ita ut à longo jam tempore occluſum fuiſſe & coaluiſſe credendum fuerit. Non parvam fateor mihi movit admirationem ac delectationem hæc inſpectio & examinatio. Intereà autem dum hæc miror & examino, ſimulque adſtantibus, quomodo fœtus in utero non ſolùm per umbilicum, ſed imprimis adultior factus, potiſſimùm per os nutriatur, explico; opportunè à puerpera etiam placenta uterina ſana & integra mediocris magnitudinis feliciter excluditur; quâ ritè examinatâ, funiculus umbilicalis quidem decenti longitudine ex placenta propendens noſtro conſpectui ſeſe obtulit, ſed longè tenuior, nec rugoſa, & vix calamum ſcriptorium craſſitie æmulans, in extremitate verò, quâ umbilicum ſpectare conveniebat, ſtramineam craſſitiem haud æquans & omninò ferè lumbricum mentiens, non minùs ac infantis ipſius umbilicus planè cæcus & imperforatus, nec veſtigium unquam præſentis alicujus aperturæ monſtrans. Præſentibus perterritis vix perſuadere potui, nihil hîc miraculi, portenti, vel monſtroſi aliquid ſubeſſe, ſed potiùs providæ & hîc etiam ludentis naturæ, principaliter verò DEI, admirandam hominis, anguſtiſſimis adhuc uteri cancellis incluſi, nutritionem nobis oſtendere volentis opus eſſe. Conferatur cum hac noſtra obſervatione, etiam Cornelii Stalpartii van der Wiel Obſ. rarior. Cent. Poſter. Part. I. Obſ. 32. p. 327. ſeqq. item Act. Lipſ. erudit. A. 1686. Menſ. Decembr. p. 617.

Ex

Ex hac Obſervatione liquet, non omnia, aliàs etiam certiſſima fœtûs in utero mortui haberi ſolita ſigna, perpetuæ eſſe veritatis: Paræus enim lib. de Hom. Generat. cap. 25. f. m. 639. item Bauhinus in Præfat. ad Tract. Franciſci Roſſeti de Partu Cæſareo, & cum his omnes alii, præter alia pro certiſſimo fœtûs mortui venditant ſigno: ſi ſecundinas ante infantem prodire contigerit; quod tamen in hujusmodi caſu, absq; vitæ infantis periculo accidere poſſe opinor.

OBSERVATIO CCX.

D. PETRI ROMMELII.

Hermaphroditus vitulinus, pedibus cervinis præditus.

ANno 1684. ab Illuſtri & Generoſo Dn. Barone de Bernhauſen &c. ob valetudinem quâ tum vexabatur adverſam, Ulmâ evocatus, quæ agenda ad reſtitutionem Generoſi Dn. ægroti videbantur peregi, domumque repetere volenti, ante abitum juſſu Dn. Baronis, â famulis vitulus aliquot ſeptimanarum monſtratus fuit, cujus ſexus planè dubius erat. Vulvâ enim atque pene, non quidem analogô ſaltim, ſed reverà tali ſuperbiebat, verumque Hermaphroditum ſeu Androgynum in ſuo genere referebat. Quod ulterius in hoc vitulo notatu dignum videbatur, erant pedes, non bubulis, ſed prorſus cervinis pedibus ſimiles; unde Illuſtr. & Generoſ. Dn. Baro, Venator illius, aliique ſuſpicati ſunt, bovem in ſylvis proximis paſcentem, à cervo ſalaciore compreſſam & imprægnatam, cervinisque pedibus vitulum fuiſſe inſignitum; Sexûs verò duplicitatem à Natura vel ludente, vel aberrante proveniſſe. Hic vitulus deinde me neſciô mactatus & inter famulitium diſtributus fuit, quod ſi mihi (ut quidem promiſſio facta erat) indicatum fuiſſet, curioſiùs in hanc

rem inquiſiviſſem, & præter externam à me jam factam inſpectionem, etiam interiora rimatus eſſem.

OBSERVATIO CCXI.
D. PETRI ROMMELII.
Crapula & vomitus, non niſi eâdem numero horâ, quâ crapula coeperat, deſinens.

NObilis quidam civis D. J. S. pluries jam expertus eſt, poſt crapulam, (cui tamen deditus minimè eſt, ſcit enim: *Non facere ad longam crapula multa diem:* **Daß hundert trincken ſich zu todt / eh einer ſtirbt aus Durſtes-Noth**) ſe non ſolùm, quod etiam aliis commune quaſi ſymptoma eſſe ſolet, cephalalgiâ vexari, ſed etiam vomitu & conatu evomendi ſatis pertinaciter moleſtari, nec ab hisce ſymptomatibus liberari poſſe, niſi priùs excretâ per vomitum bile, quam æruginoſam forſan adpellarent Medicinæ antiquioris Proceres. Quod maximè autem notandum, bilioſa hæc excretio non accidit, non obſtantibus repetitis vomitionibus, iteratisque conatibus, niſi elapsô demùm viginti quatuor horarum ſpatiô, ea ſcilicet numero & ordine hora, quâ pridiè crapulam contraxerat: Finitâ enim hâc periodô & ejectô per vomitum hoſte intrinſecô, & cephalalgia & vomitus, omnisque vomendi conatus ſimul evaneſcunt, & patiens ab omnibus à crapula cauſatis & oriundis moleſtiis prorſus liberatur.

OBSER-

OBSERVATIO CCXII.
D. PETRI ROMMELII.
Oſſium mollities & flexibilitas.

Oſſa totius corporis fundamenta & ſtabilimenta eſſe, Anatomiæ tyrones nôrunt; & quia totius machinæ microcoſmicæ ſuſtentacula eſſe debent, durior quàm aliis corporis partibus, à natura polydædala, ſubſtantia ipſis conceſſa eſt; quanquam eorum durities plurimùm variet, & ratione ſoliditatis (nolim tamen hîc ſoliditatis vocabulum in ſtrictiore ſignificatione ſumi, quia ſic nullum os ſolidum dici poteſt) magna inveniatur eorum differentia, tum ratione ſexûs & ætatis, quàm etiam ratione morborum, & locorum in eodem ſubjecto diverſitatem. Sed non ſolùm inſtar fundamenti ob ſuam naturalem duritiem ſeſe habent, ſed etiam ad motum & ingreſſum ſerviunt, ne inſtar ſerpentum, & reptilium, quæ oſſibus carent, repere cogatur animal. Ornatum etiam non parvum, rectè diſpoſita toti corpori ratione ſitûs & figuræ præbent: Si enim debitâ duritie deſtituuntur, nullô columnarum munere fungi poſſunt, nec animal ritè ingredi ſeque loco movere poteſt, ſed potiùs collabitur & inſtar globi, deformem totius corporis conglobationem patitur, quale malum pictor ille inſignis, apud Nicolaum Tulpium lib. 1 Obſerv. 18. p. m. 38. ſeq. ſagax aliàs, ob ſuorum oſſium mollitiem & flexibilitatem (quæ tamen imaginaria ſaltim erat) metuebat. Nonnunquam tamen tali mollitie deprehenduntur, ut homo ad omnes actiones, ad quas peragendas oſſium cooperatio requiritur, præſertim inceſſum motumque voluntarium, planè ineptus evadat. Exempla oſſium ceræ inſtar p. n. mollium & tractabilium, præter Ruellium, Hollerium, & jam Marcellus Donatus, Fernelius lib. 2. de Abdit. Rer. Cauſ. f. m. 69. Petrus Foreſtus lib. 17. Oſerv. 15. fol. m. 120. enarrant, ex lue Venereâ nonnunquam oſſa mol-

lia, carioſa, & facilè diſſolubilia evadunt; monſtroſum omninò eſt hominem ἀνόςεον naſci, cujusmodi pueruli absque oſſibus Hippocrates mentionem facit. Fœtûs monſtroſi, flexilis & exoſſis meminit Georg. Hieron. Velſchius, Hecatoſt. I. Obſervat. 8. p. 101. Pueruli item ſine oſſibus coagulatis geniti, Philippus Grülingius Centur. 5. Obſervat. 66. pag. 59. Excellentiſsmo D. D. Th. Bartholino, Briſtoliæ in Anglia monſtratus fuit puer, qui oſſibus in artubus deſtituebatur, ita ut brachia & manus inſtar chirothecæ circumvolvi potuerint, vid. Act. Haffn. Vol. 5. p. 275. Conf. & Barthol. Hiſt. Anat. Cent. 6. Obſ. 40. p. 263; legi quoq; meretur Actor. Haffnienſium Vol. 3. Obſ. 24 p. 38. ſeqq.

Cùm Anno 1664. nundinarum aliarumque occupationum gratiâ Venetiis morabar, ſimulque ne omne planè tempus inutiliter conſumerem, cum Excellentiſſimo D. D. Ant. Serrati, Florentino, Practico haud infelici & experientiſſimo, Fautore meô magnô, videndi & diſcendi causâ, patientes ejus, cum ipſo viſitabam; accedit ut durantibus nundinis, præter alia varia & curioſa, viderim hominem, ob ſtaturam Nano ſimiliorem, largiter pro temporis, conſuetudinis & regionis ratione barbatum; qui ſolutâ certâ pecuniâ, omnium ſe exponi oculis & examini patiebatur, quique ob oſſium ceream quaſi mollitiem, nec ſtare nec ambulare potuit, ſed ſedentariam ducere vitam cogebatur: Pedes & brachia ejus ita flexibilia erant, ut pro lubitu ea tractare propriis manibus & inſtar lori quocunque voluerim, aliquoties contorquere potuerim, ſine omni patientis incommodo, vel dolore; cæterùm pro ſua quidem conditione, optimè valebat, comedebat, & dormiebat. Cùm ab Italo quodam, me præſente, interrogaretur: Utrum (quia benè mutoniatus erat) etiam tentationes carnales habeat, & an aliquando cum muliere rem habuerit? Subridendo reſpondit: *Signore, mentre non ſete Prete ò mio confeſſionario, non credo d' eſſermi obligato, di riſponderui ſopra la voſtra queſtione:* h. e. Domine, cùm non ſis

neque

neque Sacerdos, neque Confeſſionarius meus, ad reſponſionem nullô modô me obligatum eſſe cenſeo.

Quid valeat in mollificandis ſeu frangendis oſſibus Gramen Oſſifragum Norvagicum ex D. Simone Paulli, item Barthol. Act. Haffnienſ. Volum. 2. p. 126. & 232. item Volum. 4. pag. 99. Ephemeridib. Erud. Gallic. &c. notum eſt. Arcanum ad mollificanda oſſa, ebur, ova &c. detegitur in Act. Haffn. Th. Barth. Volum. 2. Obſ. 123. p. 313. Aqua etiam oſſa emolliens ſingularis ibidem deſcribitur.

Conferatur pariter Papini Novus Digeſtor, ſive machina pro emolliendis oſſibus inventa, vel Actor. Lipſienſ. An. 1682. & An. 1688. &c.

OBSERVATIO CCXIII.

D. PETRI ROMMELII.

Fluxus menſtruus immodicus, Febre Tertianá ſuperveniente curatus.

MOrbum alii morbo ſupervenientem, priorem tollere morbum, adeò novum non eſt, plurimaque hujus rei exempla hinc inde colligi poſſent; Quemadmodum enim febris cita nimis curatio, variorum interdum morborum cauſa exiſtere poteſt; itidem Experientiâ teſte; ita etiam non ſemel aliorum affectuum & ſymptomatum gravium medicatrix exſtitit, docente ipsô Coo in Aphoriſm. &c. Hydropem, Volvulum, hypochondriorum dolorem, dolorem capitis, repentinam mutitatem, convulſionem, ſtertorem &c. ſuperveniente febre ſanari. Sic Excell. D. D. Hannemannus, apud Bartholinum in Actis Medico-Philoſophicis Haffnienſibus Volum. 2. Obſerv. 102. p. 249. obſervavit puerum calculô graviſſimè laborantem, peſte epidemicè tunc graſſante correptum, poſt peſtis curationem ſimul à calculo fuiſſe liberatum, nec ampliùs poſthac calculi ſym-

ſymptomata paſſum eſſe; quia ita judicante Magnô Bartholinô, febris peſtilentialis materiam calculi, quæ illâ ætate fluidior adhuc exiſtebat, abſumere potuit.

Johannis Jacobi, Fabri lignarii conjux conſiſtentis ætatis, ante aliquot annos, nimiô & immodicô menſium laborabat fluxu, qui ſex integris ſeptimanis, nullis domeſticis & evporiſtis, mulieribus noſtratibus in hujusmodi affectibus familiaribus, nec etiam tandem & poſtliminio quaſi à Medico efflagitatis remediis compeſci potuit, in muliere aliàs viragine & Diætam, quæque ad hanc pertinent parùm obſervante: Poſtquam verò ſeptima demum ſeptimana febre tertianâ correpta fuit, fluxus immodicus ſenſim remittere cœpit & octidui ſpatio prorſus ab hoc maximè moleſtô affectu liberata eſt; febris calore & æſtu humores exſiccante, nimiam ſeroſitatem & fluiditatem corrigente, & per Diaphoreſin abſumente; ab utroque affectu jam per aliquot annos libera & immunis vivit, menſtruaq; ordinariè fluunt.

OBSERVATIO CCXIV.
D. PETRI ROMMELII.
Uvulæ, non animadverſa amiſſio, eamq; concomitantia incommoda.

UVula, ſive in glandularum, ſive muſculorum referatur numerum, (ut nonnulli volunt) quantæ ſit & neceſſitatis & utilitatis, tam ad articulatè loquendum, (ut non immeritò inde vocis plectrum audiat) quàm deglutiendum, ab iis diſci poteſt, quibus vel à veneno venereo eroſa, vel ob inflammationem, catarrhum acrem, ulcus, aliumve caſum ablata eſt: Difficilimè enim ferè omnes hi deglutiunt, præſertim ſi deglutienda ſint liquida; parique difficultate loquuntur, ita ut vix & difficulter admodùm intelligi queant. Dixi ferè omnes, quia Magnus Bartholinus paſſim

in

in ſuis Scriptis teſtatur; uvulam absque vocis diſpendio abſcindi poſſe &c.

Præteritô vere An. 1688. ad me venit mulier ruſtica, magis ſceleton animatum, quàm verum hominem referens, ægerrimè incedebat ob ſummam corporis debilitatem, cutisq́ue vix oſſibus adhærebat: obſtupui quaſi, ob tam miſerandum ſpectaculum, ſuamq́ue miſeriam explicare juſſi: Unde lachrymis abſterſis narrare cœpit, ſe ab aliquot jam menſibus, ob, ſi non prorſus denegatam, ſummè tamen difficilem deglutitionem, nihil ferè comedere, minusq́ue bibere potuiſſe, etſi appetitus, ad cibum & potum capiendum ſubindè viguerit; inde eveniſſe, ut quæ aliàs evſarca & ſatis robuſta erat, indies magis magisq́ue emaciata atque debilitata fuerit. Cauſam difficillimæ hujus deglutitionis rejecit in hauſtum aquæ frigidæ, meſſis tempore, corpore ob laborem valdè calefactô & æſtuante aſſumptum; ab eo enim tempore ſe malè habere cœpiſſe, præter deglutiendi difficultatem & faucium dolorem, etiam raucedinem & tandem loquendi moleſtiam vocemq; clangoſam ſuperveniſſe.

Primô ſtatim intuitu hecticâ ipſam laborare phthiſinq́ue conjunctam eſſe præter externam contemplationem, ex relatis conjecturavi; quia tamen neque tuſſis, neque ſanguinolenta aut purulenta exſpuitio, nullumq́ue prætereà aſthma & anhelitûs difficultas aderat, aliam ſubeſſe cauſam ſuſpicans, ulterius examen inſtitui, obq́ue vocem raucam faucium, prægreſſum dolorem, de malo venereo contracto cogitare cœpi, proinde os, palatum, & fauces inſpexi, ſtatimq́ue columellæ ſive gurgulionis defectum animadverti, & non paulùm in ſuſpicione morbi Gallici confirmatus fui, cujus tamen nullum aliud ſignum indicativum obſervare potui, mulier inſuper per omnia ſacra juravit, ſe ab hac lue tam in conſcientia quàm in corpore prorſus eſſe liberam, nullamq́ue cauſam excogitare poſſe, unde tale virus etiam per ſomnium contrahere potuiſſet, à pluribus quidem ſeptimanis à balneatore pa-

gano, cujus curæ ob deglutitionem vitiatam ſe, jubente maritô, ſubmittere conſtituerat, poſtquam uvulæ defectum animadverteret, ceu morbô Gallicô laboraret, diffamatam fuiſſe, proindeque illius promiſſam valetudinis & uvulæ amiſſæ reſtitutionem repudiâſſe: Interrogata quomodo igitur gargareonem amiſerit? Sanctè conteſtata eſt, ſe nihil planè de modo poſſe dicere; præter dolorem faucium enim & quidem non adeò magnum, & ſputum copioſius interdum, ſe planè nihil ſenſiſſe; & nî balneator, abſentiam ejus, ſimulac amiſſæ partis reſtaurationem, per ſingularem curandi methodum, pro qua duodecim Imperiales poſcebat, indicâſſet, nihil ſe de hujus partis amiſſione ſciviſſe.

Tandem re accuratiùs conſiderata, ob defectum aliorum ſignorum, quæ virus venereum latens prodere poſſent; judicavi, ab aquæ frigidioris potione, corpore à labore æſtuante aſſumpta, fauces, imprimis verò ob impeditum ſanguinis motum, coagulatamque à frigida lympham, motuique ineptam redditam, gargareonem ſeu uvulam inflammatam, inde exulceratam, & hinc ſenſim ab acredine catarrhi eroſam & cum ſputo ejectam fuiſſe; eò magis, cùm non deſint exempla, quibus ab acribus & ſalſis catarrhis, hæc pars abſumpta & eroſa fuerit, conf. Miſcell. Acad. Nat. Curioſ. Decur. II. Ann. V. Medicamenta igitur convenientia viſa præſcripſi, temeritatem & jactantiam balneatoris deteſtatus ſum, omnemque curationis ſpem in fruitione juſculorum & ciborum optimè nutrientium & evchymorum poſitam eſſe dixi, modumque pro meliori deglutiendi facultate docui, nempe ut eſculenta probè priùs maſticata, faucibus ope digitorum altiùs immittat, potum verò ex canali itidem profundiùs immiſsô hauriat; ut etiam loquela promptiùs ſuccedat, & meliùs intelligatur, inter loquendum nares digitis aliquantulùm comprimere juſſi, quibus per aliquot ſeptimanas obſervatis, meliùs habere cœpit, nec ſucceſſu caruit medicamentorum uſurpatio, & præceptorum obſervatio, vires enim ſenſim rediêre

menſe

menſes etiam denuò fluere cœperunt, & pro re natâ ſat commodè loquitur, ſuaq; negotia & munia ruſtica, absq; luis ſuſpicione peragit.

OBSERVATIO CCXV.
D. PETRI ROMMELII.
Singularis inter maritum ejusque uxorem Idioſyncraſia.

VIx numerabilia, ab inſignibus Autoribus obſervata, rariorum Sym- & Antipathiarum exempla, ubique ferè adnotata, reperiuntur; Ex infinitis verò ſolùm nominare libet Ephemerides Acad. Nat. Curioſ. Bartholini, Acta Medico-Philoſoph. Haffnienſia, &c. Oldenburgii Acta Anglica; Ephemerides Gallicas; Henricum ab Heer; Hermannum Grube; David. Lipſii Diſſert. de Antipath. ſingularibus; de Saint Romain Phyſicam, Scholaſticis tricis liberatam &c. Non ingratum fore confido ſingulare idioſyncraſias à me obſervatum exemplum, hîc adnotâſſe. Civis cujusdam noſtratis honeſti & conſpicui uxor, quoties accidit, ut maritus negotiorum expediundorum gratiâ, vel aliàs, diverſorium, vel etiam amicum domi viſitat, præterque inſtitutum & propoſitum ad bibendum invitatus vel perſuaſus, nolens volens ſe inebriat, (Bibo enim non eſt, & non ex eorum numero, qui ſe inebriandi occaſionem quærunt, ſed vir apprimè modeſtus & frugalis) &, quod ipſi tunc familiare eſt, ob crapulam evomit; tum uxor domi, rei & vomitionis hujus prorſus neſcia primò nauſeam ſentit, poſteà verò ob ſingularem ventriculi cum mariti ventriculo, neſcio an dicam Sym- vel Antipathiam, itidem vomit, & non minùs quàm maritus ipſe affligitur, licèt planè neſciat, ubi maritus ſit, utrum bibat nec ne, inſuper nihil vel cibi vel potus, vel aliud quid, quod vomitum ciere poſſit, adſumſerit, imò vacuô ſto-

 machô

machô hoc aliquando ſibi accidiſſe comperta eſt. Hoc pro ſigno pathognomonico certiſſimo habet, ſi illa præter rationem ad vomendum inſtigatur, maritum, etiam extra urbem profectum, & alibi morantem, crapulâ & vomitu moleſtari: quod etiam examen ſubſequens, & temporis collatio, verum fuiſſe, ſæpiſſimè comprobavit.

OBSERVATIO CCXVI.
D. PETRI ROMMELII.
Errores in Medicina quandoque ſalutares.

ERrores in Medicina vel ab ignorantibus adſtantibus & miniſtrantibus, vel aliàs etiam apud ægros commiſſos non rarò evaſiſſe ſalutares, experientia ipſa, pluribus exemplis teſtari poteſt. Ante aliquot annos Illuſtris cujusdam & Generoſi Liberi Baronis filiolæ ſexenni, ſemper ferè valetudinariæ & debili, tunc primùm ad illam curandam vocatus, præter alia medicamina etiam infuſum blandè purgans, tribus vicibus per tres dies ſubſequentes exhibendum, ordinavi: fœmina, cui ægrotantis filiolæ cura demandata erat, præceptorum vel oblita, vel ſuô ut plerumque ab hoc ſexu fieri conſuevit, ſenſu abundans, medicamentum, quod tribus partitis vicibus præbere juſſi, unicâ vice ſimul ac ſemel, circa veſperam exhibet; poſt cujus aſſumtionem valdè purgari cœpit Illuſtris puella, ita ut in ſummo vitæ periculo conſtituta, ab omnibus crederetur, & tanquam jam mortua, ab Illuſtriſſimis parentibus deploraretur. Denuò vocatus, commiſſum errorem à parentibus ipſis facilè deprehenſum, intellexi, & idonea remedia adhibui, ea per DEI gratiam felicitate, ut paucarum dierum ſpatio, filiola in integrum fuerit reſtituta, & quæ anteà valetudinaria admodùm & morboſa erat, dehinc ob validiorem purgationem, vel ſi mavis hypercatharſin,

ſin, jam ab omni morboſâ diſpoſitione, libera ſit, & in hodiernum usque diem, ſummô cum Illuſtrium parentum gaudiô & ſolatiô, optimâ ſanitate fruatur, quam D. T. O. M. etiam in poſterum ipſi largiri velit.

Ante triennium mulieri cachecticæ inter alia medicamenta etiam Spir. Sal. Armoniaci Zwölfferianum præſcripſi, ſingulisque diebus bis, gutt. vij. vel viij. in vehiculo ad hoc ordinato, vel juſculô exhibere præcepi. Mulier ægrotæ ſerviens, mandatorum immemor, & ſchedula, quæ vitro adpenſa, & in qua etiam doſis & modus utendi notata erat, poſthabita, ℈iiij. Spiritûs dicti (tantum enim capiebat vitrum) ſimul ægræ præbuit, quæ quidem de dolore oris & faucium conqueſta, ſimulque juramentô conteſtata eſt, ſe tale medicamentum, nullô modô ampliùs aſſumturum eſſe. A meridie ad ipſam inviſens, invenio vitrum ſpiritu vacuum, & ſciſcitans, errorem commiſſum cum indignatione experior, nihil tamen coram ægrota dicere auſus ſum, ne errorem extendendo, vel ægrotanti, ob majoris mali metum, vel etiam mulieri præbenti obeſſem; illa enim hanc, per teſtamentum hæredem conſtituerat; ſciebam enim, hoc magis ex inſcitia & negligentia quàm nocendi animô factum eſſe. Mulieri intereà ægrotanti, perſuadere non potui, ut eâ die quicquam medicamentorum adſumeret, quin & juſcula præſertim hordeacea, exhiberi juſſa adſumere, moremque gerere noluit. Nihil tamen obfuit hoc in doſi excedens præbium, quin potiùs non parùm profuiſſe credendum: nam urina, quæ hactenus admodùm parcè fluxerat, hinc copioſior matulæ reddebatur; obſtructiones remittere, hydrops inſtans evaneſcere, ægraque indies meliùs habere cœpit, & præter ſenectutis conſueta incommoda, vix aliquid aliud ampliùs perſenſit.

Puerperæ febricitanti & valdè debili, aliquando Aquam confortantem cum Confect. Alcherm. Lapid. Bezoarticis &c. & ad dolorem capitis valdè moleſtum, urgente patiente Epi-

thema frontale ex Nucleis Perſic. Sem. Papav. & ſimilib. cum aquis convenientibus, præſcripſi; mulier ancillans, locô aquæ confortantis emulſionem anodynam ſucceſſivè exhibet, aquam verò confortantem Bezoarticam fronti & temporibus adplicat, optato ſucceſſu, dolores enim ſopiti & calor febrilis non parùm mitigatus inprimis frontale ſummè laudatum fuit, errorem quidem animadverti, & quia omnia rectè ſe habebant, ne debitâ reprehenſione factâ, ægrotæ obeſſem vel erranti mulieri, quia Medicum in omnibus circumſpectè agere decet, ſubticui.

Pſeudo-Pharmacopœus mulieri cuidam cephalalgiâ valdè excruciatæ, locô Spiritûs cephalici cujusdam, (quem ſuaſu mulicrcularum externè adplicare volebat) Aquam fortem porrigit; cujus aliquot guttæ, hinc inde capiti & vertici inſperſæ paulò poſt, non ſolùm faſcias crinales & tegmina lintea capitis, ſed cutim etiam ipſam cum pericranio, non absque doloribus & convulſionis periculo corroſerunt, ita ut per maritum me accerſere coacta, majoribusq́ue malis jam imminentibus ritè obviam ire neceſſum fuerit. Nihilominùs tamen voti ſui compos facta, & poſt hanc Aquæ fortis adhibitionem non ſolùm uvula ob catarrhum prolapſa ſive elongata potiùs, in priſtinum ſtatum redacta fuit, ſed etiam cephalalgia pertinax, continuò quaſi eam enecans omninò remiſit. Quomodo per Aquam fortem locô Aquæ Ceraſ. n. exhibitam, piſum jam germinans è corpore eliminatum fuerit, Ephemerid. Acad. Nat. Cur. Dec. II. An. II. Obſervat. 135. p. 301. referunt. Imprudentem Mercurii ſublimati in oculum inſperſionem, oculo fuiſſe ſalutarem, Dec. II. An. III. Obſ. 133. p. 269. & Felix Platerus narrant.

Sic recordor à fide digniſſimo mihi narratum eſſe, mulierem in partu difficili & laborioſo, cùm mentio fieret, Aquæ ſive Balſami Embryonis, quem vulgò Kinder-Balſam nominant, ex Pharmacopolio ad illum petendum miſiſſe; mulier miſſa, à Seplaſiario ſub nomine deß Kinder-Balſams/ unguentum

pedi-

pediculorum, eine Laus-Salbe / (quod ita à plebejis urbanitatis gratiâ nominari ſolet) quia fortaſsè nullius alterius Balſami præter hujus notitiam habebat, petit & accipit, ſtatimque parturienti portionem haud exiguam ad devorandum exhibet, quam ægerrimè deglutit, de ingratiſſimo hujus medicaminis ſapore conquerens, ingeminans, ſe Ulmæ apud heram ſuam, longè aliud balſamum, liquidum ſcilicet & inſtar aquæ limpidum in uſum trahi obſervâſſe, ſed non audiebatur. Nihilominùs tamen, DEO benedicente, paulò poſt feliciter enixa eſt, errorque ob ſynonymiam commiſſus detectus fuit.

Plurima hujusmodi exempla allegari poſſent, ſi operæ pretium exiſtimaretur, ſed ex his videri poteſt, non omnes in medicina errores eſſe noxios, quanquam caſus & fortuna ſint extra ſemper & frequenter & quilibet, medicinam exercens cautè & conſideratè agere debeat, cùm de corio humano non temerè ſit ludendum, licèt *interdum temeritas reſtituat, quos ratio reſtituere nequivit.*

[Ulmâ 1689. d. 10. Febr. Auguſtam Vind. miſſæ.]

OBSERVATIO CCXVII.
D. JOHANNIS de MURALTO.
Febris duplex tertiana.

JUvenis triginta circiter annorum, temperamenti ſanguinei, habitûs athletici ſub initium Auguſti Anni 1682. febre tertianâ duplici correptus, tum primùm non niſi ſymptomatibus ordinariis & contingere ſolitis afficiebatur, cùmque ætatis ſuæ vigore robuſtôque habitu præditus eſſet, extra periculi aleam ipſius res æſtimabantur, Venæſectio per illa morbi initia inſtituta eſt, enemataque quædam injecta ſunt; Verùm poſt quatuor aut quinque dies à morbo inflicto exaſperatis ſymptomatibus, dolore capitis, jactatione mentis & corporis

poris & quâdam oculorum hebetudine & inſtabilitate afficiebatur, pro iſtâ autem affectûs morboſi ingraveſcentiâ Medicus phlebotomiæ reiterationem conſulebat; cùm autem Patientis mater renuiſſet, omiſſa fuit, ſymptomataque indies exaſperata ſunt, ita quidem ut delirio correptus fuerit Patiens cum inſigni debilitate, convulſionesque atroces ſuperinductæ ſunt, ita ut immaniter per multos dies divexatus, decimô nonô morbi obierit.

SCHOLIUM.

ACuti affectûs citò ſua percurrunt tempora, promptaque ideò manuum operâ opus habent, opportunitas quoque ac delectus rerum ſumendarum admovendarum, faciendarum, educendarum ad convenienter medendum præceps eſt; propter morbi & naturæ cujusque ſtatum variamque peculiaris cujusque conditionem, ut minimis momentis maximæ fiant inclinationes vel in ſalutem vel in perniciem ægri, quod contigit in hoc Juvene, perperàm enim omiſsâ ſanguinis miſſione, quam ætas juvenilis, tempeſtas, habitus athleticus & febris indicabant, humores incenſi ſunt, factaque metaſtaſis humoris morbifici ab inferioribus ad ſuperiora, ex quo delirium ſuccrevit, demùmque genere nervosô-peccante humore pleniùs elutriatô convulſiones immanes ſuperinductæ ſunt; Hocce autem fatum ſanguinis miſſio pro morbi magnitudine viriumque modulô facta prævenire valebat, fervores enim compeſcit, humorum impetus cohibet, unde & refrigerium ſuccis conciliat, ex quo & natura pacatior facta noxia disgregat, vires collapſas colligit, parteque oneris levatâ, quod reliquum eſt, faciliùs vincit & ſuperat. Sed rides αἱμοφόβε, quaſi exhauſtis rivulis defæcatior fiat ſcaturigo, vel per canaliculos ripis inſtratos aquis ex parte decurrentibus alveus fluvialis fæculentiis turgidus expurgetur; ſed morare gradum nec tam difficile quàm putas experientiæ rationum momenta attexere. Liquores à corpore ſolido non differunt, niſi

niſi quòd diffluant ipſorum partes actuque moveantur, uti & contrà in ſolidis partes conſtituentes quieſcunt & à motu vindicantur, juxtaque invicem poſitæ perſtant & remorantur, uti & contrà in liquidis poroſitates inſignes intra ſe conſtituunt, quæ corporibus de novo admittendis, ſpatiisque vacuis adimplendis locum præbeant; ex hoc facilè intelligas liquorum commotionem ipſorum confuſionem inducere motuque turbamentum excitari, ſi ingruat tempeſtas, & quod ajunt, aperiantur cataractæ cœlorum, nonne turbidos ſtatim ac turgidos amnes & fluvios videre contingit, ipſosque nonniſi aquarum transcolatione per rivulos aut rimas ſolo inſtratas inclareſcere Lymphæque nitorem adipiſci; tam ſubitæ & frequentes moventur in microcoſmo tempeſtates ut nihil magis, diſſidia & rixæ quotidiè contingunt, ad pleonexiam quotidiè aſſurgit alveus ſanguinolentus, ingluvies ad iſtam alludit & progignit indeſinenter, rerum non-naturalium uſus intempeſtivus motus contra naturam in humoribus accerſunt, non igitur efficaciùs gravia mala, quæ inde emergunt anteverteś ſanguinis miſſione, more liquorum, qui efferveſcentes demptâ liquoris parte aut qui turgidi an turbidi demptâ plenitudine, utroque modô ſuos motus componunt, & ad temperiem reducuntur. Per humorum divortia motibus contra naturam inducta partes craſſiores in fundo deliteſcentes ſurſum rapiuntur, viciſſimque tenuiores fundum petunt, ſicque craſis evertitur, compoſitio demolitur, omnisque temperies ſternitur, verùm ſanguinis miſſione, tenuiores partes, quæ primos tragœdiæ motus inchoant choreasque ducunt, circumcisô motu, craſſiores ab amplexibus dimittunt, ſicque diruta craſis reſtituitur, partesque decompoſitæ priſtinum compoſitionis ſtatum recuperant. His autem rationibus adducti, omnium tum interiorum cùm exteriorum partium inflammationibus Venæſectione medemur, ſanguinis ſputô, incipienti tabi, ſanguinis vomitioni, & eruptioni, quæ ex naribus, utero, vel hæmorrhoide pleniùs erumpit; inſuper

carbunculis, furunculis, ſcabiei, quæque hujus conditionis & naturæ ex impurâ plenitudine emergunt. Illa nec non ſaluberrima eſt febribus omnibus, quas putreſcens humor accendit; ſed & partium affectûs quamplurimos, lethargum, vertiginem, apoplexiam, epilepſiam, paralyſin, phrenitidem, cordis παλμὸν, acres mordacesque oculorum fluxiones, vel præſentes miſſione ſanguinis curamus, vel impendentes, conſuetos aut anniverſarios, eadem antevertimus.

OBSERVATIO CCXVIII.
D. JOHANNIS de MURALTO.
De
Pleuritide.

MUlier quadraginta ſeptem annorum Cachectica per hyemem frigore incautè ſuſceptô pleuritide correpta fuit, ter fuit phlebotomata, enemataque injecta ſunt, doſinque ſpiritûs fuliginis bis aut ter exhibui, cùm à ſanguinis miſſione non levaretur, mirùm quàm levaminis ab iſto ſpiritu paſſim ægrotis acceſſerit, ſæpiùs quidem utor, non tamen niſi præmiſsâ phlebotomia. Interim cùm illa meliùs haberet, dolorque remiſiſſet, potionem purgantem eccoproticam exhibui, ſenſimq; ad ſanitatem perduxi.

SCHOLIUM.

PLeuritis omnium thoracis affectuum moleſtiſſimus & acutiſſimus morbus, à parte affectâ ſcilicet pleurâ membranâ coſtas ſuccingente nomen ſuſceptans, eſt inflammatio membranæ coſtás ſuccingentis, cum febre aſſiduâ, difficultate ſpirandi, dolore pungitivô, atque diſtendente, pulſu frequenti & inæquali, durô atque tensô; idque magis cùm muſculi meſopleurii inflammantur, tuſſi interdum initiô ſiccâ, mox

ferè

ferè humidâ, à cauſis internis & externis genita. Externæ ſunt, habitus, ætas, regio, anni tempeſtas, temperamentum in calidum vergens & inclinans, humorum excandeſcentia, crapula, frigus ſuſceptum; Internæ tantùm duæ ſunt, antecedens & conjuncta, antecedens nimirum affluxus humorum in pleuram, conjuncta verò ſanguis intra vaſcula coactus & ſtagnans phlogoſinque concipiens. Cujus affectus indicationes curativæ petuntur vel à materiâ fluente, quæ continenter per venas ad partem affectam curſum inflectit, cui revulſio, vel à fluxu & parti impactâ materiâ, in eaque morbum faciente, cui vacuatio & diſſipatio debetur. Ambæ hæ indicationes ut plurimùm conjunguntur, unâ enim eâdemque fideliâ per ſanguinis miſſionem cauſæ antecedenti & conjunctæ proſpicimus, ebullitio enim humorum compeſcitur, inanitisque vaſis materia impacta reſorbetur, demùmque ſi hocce ſolemni præſidiô humor morbificus non exhauriatur, ſpiritûs volatiles inprimis fuliginis unâ ſocialique operâ acidi prædominium in ſanguine deſtruunt, factumq; coagulum intra pleuræ vaſcula diſſolvunt.

OBSERVATIO CCXIX.
D. JOHANNIS de MURALTO.
Febris anomala.

THeologiæ Studioſus quidam, felicis quidem ingenii mihique amicitiæ vinculô nexus, ſtudiisque maximè intentus, cùm in Gallis degerem, ſub initium veris febre correptus fuit, quæ lentè accendebatur ſine typo particulari, pulſu à naturali non multùm recedente, capitis quodam gravamine & impedimentô, copioſis, aſſiduis fœtidisque ſudoribus ſtipata, intra quindecim autem aut viginti dies ægrè terminabatur, viresque difficulter redintegrabantur; Verùm ſub cujusdam malaciæ fide ad priſtina negotia ſe recepit Patiens, ipsô tamen quô aſſolebat ſpiritum nitore

nondum ſatis potitus, quaſi nubilô cœlô denuò ingruit tempeſtas, & poſt totidem dies, quibus decubuerat, iterum febre correptus lecto ſe commiſit, tuncque tertianâ intermittente, per quatuor paroxyſmos ſatis regulariter febricitabat, phlebotomiâ autem celebratâ, purgatâ camarinâ, applicatis amuletis, obortisque ſudoribus copioſis & fœtidis, aliquantulùm remiſit febris, verùm in ἀπυρεξίαν non deſiit, per duos enim menſes & dimidium febriculâ lecto affigebatur, pulſu inæquali & frequenti ſtipatâ, cum quodam capitis gravamine & ſtupore; poſt illud tempus è lecto decubituque exſurgens intra quidem cubiculum deambulare valebat, ne quidem tamen viribus nondum ſatis firmis extra cameram exire, ad priſtinaque negotia ſe recipere confidebat, quin imò utpote debilis & quâdam pectoris conſtrictione per vices recurrente affectus, cum quodam capitis gravamine mentisque caligine intra cubile remorari neceſſe habuit; hæcce autem pectoris conſtrictiones ſæpiùs recurrentes non ſolùm corpus, verùm & animum torquebant, ab ejusmodi enim paroxyſmis deterrebatur Patiens, pathematisque perdurabilis noxam jam contraxiſſe autumabat; epicraſticè fuit repurgatus, ſanguinisque miſſio è ſaphænâ inſtituta, ſemicupiumque per quindecim aut viginti dies ingreſſus eſt, hisce quamvis non perſanatus tamen alleviabatur, demùmque peregrinatione ſuſceptâ, à mutatione aëris meliùs habuit, diarrhœâque per aliquot dies obortâ à prædictis paroxyſmis liberatus eſt, planèque immunis evaſit.

SCHOLIUM.

AD iſtius affectus φάσεις enucleandas ſupponere licet ſanguinis maſſam ſtudiis & vitâ ſedentariâ, minùs eventilatô calore nativô, multa recrementa congeſſiſſe, & quod magis eſt eandem, ipsô quod tunc temporis ſparſerat cœlum miaſmate febrili, quô plurimos paſſim correptos videre licuit, tactum quoddam malignitatis genus contraxiſſe, quæ quidem

dem humoribus prædiſpoſitis inuſta motus febriles accivit, unde aperta febricitatio, quæ lenta quidem & vaga pro ratione humoris crudi, qui ſemel accenſus lentè quidem ſed diutiùs deflagrabat, proque uliginosâ viſcoſitate copioſos halitûs fuliginesque quovis de ſe dimittebat, unde viſcerum ſordes & recrementorum in caput ſuffuſio æſtimandæ; ſanguinis autem dyſcraſia aquoſior admixtis ſale & ſulphure improbo humores in fuſiones præcipitavit, unde copioſi fœtidique ſudores. Hæcce autem febris ægrè ideò ſolubilis evaſit, quòd ſanguis mixturâ heterogeneâ turgidus illicò partem in cerebrum & nervos intruſerit, ex quo morbus quaſi in receſſu latitans ipſius naturæ, tum medicaminum vires declinabat faciliùs. Recidivam autem ideò paſſus eſt, quòd reliquiæ morbi intra cerebri compagem aggeſtæ, morâ & ſtagnatione in fermentum abierint, quò inſpirati humores ſuccusque nutritius quotidiè adventans corruptelam contraxêre, unde efferveſcentia iterùm intra vaſa concitata eſt. Tertianæ autem typus per quatuor paroxyſmos recurrentis bilis admixtionem innuebat, utpote quæ alternis diebus moveatur, verùm deflagratô iſtô humore biliosô, ſanguis adhuc viſcidô ſqualore pleniùs elutriatus diu effervêre debuit, antequam tenaciùs adhærentes intricatosque noxios humores è ſinu ſuô expurgaverit, hinc febris, quam pro more longiùs excurrebat, nec intra certos durationis cancellos quod aſſolet terminabatur, ſtupor capitisque gravedo cerebrum recrementis narcoticis ſcatere arguebant, quibus ceu umbellulis interſperſis frangebatur mentis acies ſpiritibusque caligo offundebatur. Quædam autem portiones materiæ morbificæ intra cerebri confinia aggeſtæ intra propagines nerveas pectoris inſertas decurrentes, pectoris conſtrictionem inferebant, fermenteſcentes enim intra nervorum tubulos ſpirituumque curſum pervertentes pro tempore aëris reciprocationem cohibebant; hocce autem pathema, uti aſſolet in aſthmate convulſivo, mentem pavore percellit, quòd nullibi vitæ ſtamina

firmiùs jaciantur, quàm in ipſis pulmonibus, & quòd nutante directore naucleroque pavente, non ſine causâ expaveſcant alii timoreque concutiantur. Parte autem oneris levata natura, remediis methodicè inſtitutis, quod reliquum fuit novi aëris ceu pabuli grati acceſſu refocillata ſuperavit; diarrhœâque obortâ reliquiæ morbi exterminatæ ſunt, ſicque circumcisâ radice ſtipites exaruerunt priſtinamque ſanitatem recuperavit Patiens. Hic affectus fuit morbus ex decidentiâ, qui uti aſſolet in epidemicis, non niſi longô temporis tractu pravôque ſymptomatum apparatu ſuos terminos percurrere ſolet.

OBSERVATIO CCXX.

D. JOHANNIS de MURALTO.

Febris intermittens ab aëre paluſtri inducta.

MUltos olim vidêre licuit Helvetos ſervitio Comitis à Dona, cùm in Galliis degerem mancipatos, quos ex Helvetiâ Gallicâ uti & familiam integram ſecum deduxerat ad quoddam caſtellum apud Sebuſianos, ut inibi moraretur, omnes inquam illos ſervos totamque familiam febribus intermittentibus correptos, ſub initium æſtatis invadentibus, quæ vix ac ne vix perſanari potuerunt à Medicis loci utut ſedulò curationis ſcopum dirigentibus, quinimò multi obierunt, aliique non niſi poſt multa remedia dubiô eventu longisque intervallis reficiebantur, caſtellum autem, in quo commorabantur, intra paludem ſitum erat locaque vicina uliginoſa erant, aquæ crudæ & ponderoſæ, aërque nebuloſus.

SCHOLIUM.

TAnta eſt aëris ad conſervandam vitam humanam neceſſitas, ut non omnes homines modò, ſed & omnes ferè aliæ

aliæ ſpirantes creaturæ, vitam ſine ipſo ducere ad plura horæ minuta nequeant; ambientis itaque aëris alteratione (cui tam noſtra quàm omnia ferè alia corpora contigua ſunt) inſignem manifeſtamque partem ſumunt in obviis illis affectibus, quibus homines paſſim corripi contingit, quique inprimis valetudinariorum corporibus, verè & autumno, & in plerisque inſignioribus, ſubitisque tempeſtatum mutationibus accidunt, nec ſolùm pro vario ipſius elatere variisque rarefactionis condenſationisque modis ſanguinis craſis variè immutatur, variasque efferveſcentias inducit uti & morbos, verùm ſi quâ labe aſperſus, ſubindè idem vitium humoribus inurit, & pravitate, quâ afficitur, ipſos conſpurcat, cùm enim ſanguini occurſanti in pulmonibus intimè miſceatur, cum ipſo fermenteſcat & ad intima deducatur, non mirum, ſi eodem vitiô, quô ſit imbutus, ſanguinem inficiat, diatheſesque morbidas gravesque affectus & durabiles progignat. Cùm autem aër ſydericus æquè ac globo terreſtri contiguus ſit, pariter ab utroque qualitates mutuatur viresque contrahit, uti aër, quem reſpiramus, terræ vicinior quàm aſtrorum, ideò & longè majores ab iſtis quàm ab illâ alterationes ſuſcipere veroſimile videtur, magna itaque in morbos omnes vis eſt loci, quo circumfundimur per aërem, ὡς τῆς γῆς ὄχημα, expreſſas enim rerum omnium vires ſuſcipit ab exhalationibus, transmittitque, quæ unicuique regioni propriæ ſunt, ob infinitam propè varietatem genii ſingulis peculiaris; pro ventorum afflatu, montium ſylvarumque objectu diverſo, tum & aliâ atque aliâ ſoli, aquarum, foſſilium, plantarum naturâ; quorum omnium cùm uſus neceſſarius eſt, tum & expirationes aſſiduæ, tenuitate, benignitate, contrarietate, partes humores ſenſim afficiendo & immutando, variam hominum indolem ut & valetudinem, præſertim verò longas ægritudines, quales ſunt endemiæ, faciunt, fovent, dum cauſam præbent fixam permanentem, hinc videas unamquamque regionem uti privata commoda ſic & privatos ſuos morbos habere, ſic Hiſpa-

Hiſpaniam infeſtat ſtruma, Poloniam plica, Pariſinos calculus, Anglos ἀνάιτη ſive morbus exſiccans, qui prorſus idem eſt cum phthiſi, nec aliud eſt quam marcor pulmonis, ſic Balthici maris accolas ſcorbutus, ſic Narbonenſes carbunculi, Romanis Conſulibus ac purpuratis æquè fatales, ex transmigratione unius regionis in aliam morbos fruticari nihil magis notum, maximè ſi ab aëre puriore in uliginoſum fiat, pro tenore enim accenſionis, quam in præcordiis promovet, dyſcraſias parit; ſic ab aëre uliginoſo eventilatio humorum non ritè ſuccedit, ſpiritûs hebeſcunt, craſſecit ſanguis, tranſpiratio impeditur, morborum cauſæ progignuntur, ingensque pravorum affectuum penus exſurgit, quos debellare medicamentisque expugnare fermè inutile, quippe quæ non exhauriant cauſam, quæ quamdiu ſubſiſtit, auxilia alioquin proficua inania reddit: Hinc non paucos à causâ jugiter afficiente paſſim interire contigit, alios firmioris temperiei, quique forſan ab iſto novo pabulo non tantùm abludunt, non niſi tamen longô temporis tractu diſſidia antipathiasque componere, vixque ante aſſuefieri quàm morbô quôdam tributa perſolverint, multos demùm videre licet, qui nec ante jurgia amovêre planctusque ſuos compeſcere valebunt, quàm mollioribus aëris genium, quô defraudati ſunt, perquiſierint. In ſalubritate primas tenet aër nativus, quodam enim quaſi fœderis jure initô ægris ſymbola ſua erogat viresque ſalutariter prodit, utut extra patriam profecti, reduces Larium tutelâ à morbis ſæpiùs gravibus vindicentur, non raró tamen in ipſis focis graves dirique affectus ingruunt, qui præ ſuccorum acerbitate aliisque enormitatibus diuturnitatem pariunt, tuncque ſæpiùs nec proficit ad thermas, frictiones, lac, chalybem, ignem, cæteraque profligatæ valetudinis ſubſidia confugere, in eorum uſu perſeverare, eum mutare, ποικιλίαν ægris tunc jucundam juxta & utilem ſectando. Quid quæſo tunc Medico ſanctius ægroque gratius? quàm loci mutatione novique aëris ceu pabuli acceſſu dyſcraſias abrumpere humorumque

fero-

ferociam demulcere. Mutationem res omnes ſubeunt neceſſitate non majore quàm voluptate; Nova ſequi etiam prava, pro innata melioris, absque mutatione non aſſequendi, cupiditate ſemper juvat, plerumque verò & prodeſt, præſertim miſeris, quos plura manent futura bona. Nempe per omnia alia Medicus fruſtrà pugnat adverſus morbum, & ei ſe præbet ἀντίνοον, ſi contigerit locum fovere & ὁμονοεῖν τῷ πάθει. Non longa dies unquam non piger annus inſitum ab ortu mundi eum nocendi animum immutabunt, & priusquam talis vincatur contumacia, ægrum conſtantia viresque deficient. Quid reſtat igitur? niſi cauſas inimicas & non inſequuturas fugere, amicas ſequi ægrum opperientes, ipſisque loci mutatione obviam ire licebit. Concludendum itaque pari ratione, quæ ſæpiùs noxia ſit loci mutatio, eandem non rarò proficuam eſſe.

OBSERVATIO CCXXI.
D. JOHANNIS de MURALTO.
Cachexia cum pleuritide ſæpiùs recurrente.

NOn diu abhinc conſulebar pro quodam noſtrate, Lugduni apud Gallos commorante, taliaque obſervanda mihi per litteras referebat Medicus ordinarius, Gallus. Primò patientem à Patre cachectico oriundum, eandemque quoque ſortitum fuiſſe temperiem, quod indicabant fœdus ipſius faciei color, oris fœtor, gingivarumque quædam purulentia, puris fœtidi per aures effluxus jam à longo tempore, alvinæque excretiones bilioſæ putidæque ſæpiùs recurrentes, lienque tumefactus & induratus. 2. Non ſolùm conſpurcatæ à natalibus conſtitutionis tecmeria ſuperiùs recenſitis ſymptomatibus ſe prodere, verùm jam circiter à duobus annis quater aut quinquies, & pro quavis fermè

causâ evidenti ipſum febribus corripi, quæ ſubindè nidum ſuum mineramque morbi in pleuram congerentes periculoſas pleuritides inducerent, illamque exin' non in leve vitæ diſcrimen adigi. Itaque cùm jam varias recidivas paſſus eſſet, ipſum exactè in cauſas morbi inquiri expoſtulare ſcribebat, ut in poſterum, ſi quâ fieri poſſet, talia ſymptomata anteverteret, annum ætatis vigeſimum octavum agebat.

SCHOLIUM.

TAlem autem inſtituebat αἰτιολογίαν Medicus ordinarius, cui ſub finem noſtram adjungimus. Multiformi huic morbo luemque ſcorbuticam nonnihil referenti haud dubiè originem præbuit cachectici parentis ſemen; plerique enim morbi, uti alia per ſucceſſiones traduntur, jamque iſtius cachexiæ gentilitio jure pœnas luit, cujus inſons; Inter alias, quibus adhæſit iſta parentalis labes non ſine causâ contra lienem querelæ moventur, iſtud enim viſcus jecori oppoſitum tanquam ἀντίζυγον & nothum hepar mirâ naturæ providentiâ factum fuit, ut laboranti jecori ſubveniat ad ſanguinis confectionem aut ſaltem ipſius depurationem, hâc enim in jecore peractâ bilis ad veſiculam fertur, humor melancholicus ad lienem (ut Medici loquuntur) per ramum ſplenicum naturæ lege transmiſſus ulteriùs excoqui in hoc viſcere naturæ lege debuit, quâ ſubactione arteriarum motu exaltatus denuò per venas remeans totius maſſæ ſuccis vim ſuam & energiam impertiat, itaque in præſenti ægro eô defœcandi depurandique munere fruſtratus lien totius corporis œconomia perturbatur, quæ jugiter enim delegatæ fæces atrabilariæ ab iſtius viſceris infarctu excluduntur in ramos cœliacos, epigaſtricos & propinquiores, regurgitantes viſcerum κακοπραγίαν inducunt, unde frequens diarrhœa, ſi alicubi autem diutiùs incluſus detineatur iſte fæx melancholicus vel propriô Marte uti fœturâ Salino-ſulphureâ pollens, fermentatio inducitur, toti

maſſæ

maſſæ deinceps inducenda, unde febres frequentes pleuriticô ſymptomate propter materiæ morbificæ in pectus depoſitum inſignitæ, oris graveolentia, gingivarum putredo ejusdem cacopragiæ ichoroſæ exundantiâ producitur Quamvis autem iſtius nativæ pravæ diatheſis vitium in totum emendare ſupra hominem ſit, ipſius tamen ægri ſolatiô apprimè conferre valebit opera medica, in quem finem inſtitutâ idoneâ victûs lege totus medendi ſcopus in lienem referandum, ipſiusque enormitates emendandas collimare debet, ne ſcilicet in poſterum tam frequenter affectuum prædictorum cauſæ ſoboleſcant; nullumque in eum finem mihi videtur præſtantius remedium, quàm ſi aquas Santalbanenſes apud ipſum fontem hauriat, cautionibus in tali caſu ritè obſervatis. Quâ æger ad nos miſsâ prædicti affectus ἀιτιολογία noſtram expetebat ſententiam, quam ſic dedimus:

Viri Clariſſimi ſententiam in ſymptomatum ætiologiâ, non invitus amplector; nec enim dubito quin prava viſcerum & præcipuè lienis diatheſis, tartareum in iis fermentum cumulet, quô ſanguis non ſatis depuratus, fœculentus acidôque ſalſus evadat; hinc macies, laſſitudo, levis aliquando diarrhœa, levisque ϛομακάκη, hinc etiam pleuritides recurrentes à ſanguinis portione coagulatâ & in debilem pleuram reſtagnante. Cui malo utpote Chronico, longâ etiam manuum operâ opus eſt.

Colat igitur exactam victûs legem, eupeptis & euchymis utendo, à ſalſis & acidis, horariisq; fructibus abſtinendo.

Potus ſit vinum tenue oligophorum, purâ lymphâ contemperatum, nimia vitet exercitia, vigilias & animi pathemata, Solis æſtum & nocturnum rorem.

Alvum ſervet liberam, pomorum dulcium, prunorum non acidorum ſed præcipuè brinolenſium uſu, interdum Clyſteribus Chalaſticis, aut Ptiſanis laxantibus ex Foliis Orientalibus & Tartarô vitriolatô paratis.

At ſanè intra hujus menſis curriculum & ſi poſſit intra octiduum accedat ad hydropoſiam aquarum mineralium, quarum ope & alia viſcera infarctibus liberentur, corpusque univerſum impuris ſuccis ſalibusve per inteſtinorum, renum, cutisq; cribra depuretur.

Santalbanenſes quidem hoc in caſu minùs arrident ob Spiritum Mineralem acidum in iis luxuriantem, pectoris præcipuè hoſtem, hæmoptyſeosque non rarò parentem; Omnibus præferendæ ſunt Borbonienſes & Archimbalducæ, quæ mediocri copiâ Salis nitroſi onuſtæ, volatilisque Sulphuris Balſamo imprægnatæ, intentum omne noſtrum adimplere valebunt. Eas igitur adeat, præmiſſisque præmittendis, prout à præſentibus præſcribetur Medicis, ex diuturno earum potu felicem expectet exitum.

Tempore autem vernô proximô ſi ab iis benè habuerit, uſum earum iterare poterit. Tuncque ſi nihil obſtet, hydropoſiæ ſuccedat galactopoſia aſinina.

At per hyemem poſſet per intervalla uti juſculis medicatis, ex Decocto Cicer. rubror. Rad. Fragar. Filic. fem. & Petroſel. Capparibusque cum fruſto carnis vitulinæ, additô in diſſolutione Sale Martis ad ℈ß.

OBSERVATIO CCXXII.

D. JOHANNIS de MURALTO.

De

Pica.

MUlier tenuis habitûs triginta circiter annorum, bis circa quintum & ſextum geſtationis menſem abortierat, iterumq; gravida de talis eventûs avertendi ratione conſilium noſtrum expetebat, de ipſius ſtatu circa primos geſtationis menſes certior factus, non difficile fuit talis eventûs cauſam detegere, quippe primis ſuæ geſtationis menſibus

ſibus picam contrahebat, quâ multa abſurda uti terram carbonesque expetens ſtomachi cacopragiam ſibi accerſebat, quâ fœtus malignè nutritus enecaretur, uteroque ſtimulato ante debitum tempus foràs propelleretur. Itaque ut hujusce pravi ſymptomatis infauſtum prævenirem exitum, cauſam in ſtomachi illuviem à menſtruali ſuppreſſione illatam rejiciens, ipſam repurgari juſſi epicraſticè expurgatione ſequenti:

℞. Folior. Agrim. Pimpinell. ãã. M. j. Tamarindor. ℥ß. Flor. Cordial. ãã. P. 1. fiat Decoct. Colatur. infund. Senn. mundat. cum Aniſ. ʒiij. Rhabar. cum Santal. ʒj. Cinnam. ℈ß. expreſs. diſſol. Syrup. Roſar. ſolut. ℥j. miſce fiat potio.

Sub finem paſtûs ſumpſit cochlear Pulver. ſequentis:

℞. Pulver. Viperin. Sem. Fœnicul. dulc. Aniſ. ãã. ℥ß. Cortic. exterior. Citr. ſicc. & Cinnam. ãã. ʒiß. Caryophyllor. & mac. ãã. ʒß. omnia pulverizata æquali pondere Sacchari permiſceantur.

Hocce Pulvere ſed maximè purgatione ſæpiùs repetitâ ſtomachi illuviem à ſuppreſſione ortam eluebat picamque curabat, demumque fœtus debitô tempore utero geſtatus, fauſtis auſpiciis in lucem prodiit, bonâque & in poſterum ſanitate potita eſt.

SCHOLIUM.

UTi natura totius œconomiæ animalis functiones in tres provincias diremit, ita & totidem partibus ipſarum vicibus perficiendis corpus inſtruxit, ſuis diſcretis veluti ſepimentis. Suprema cerebrum continet, ſcaturiginem motûs & ſenſûs, mentis ergaſtulum quâ ſuperbiat, divinitatisque veluti igniculis colluſtratum, præ cæteris ſupereminеat. Media pectus cor comprehendit, ſpirituum & vitæ promptuarium, reſpirationis vices perficiens, vitamque omnibus partibus impertiens. Infima verò concludit partes alimoniæ procurandæ dicatas, quæ ad ima corporis ut ſentinam ideô relegavit

natura, ne ſuis ſordibus contaminarent mentis ſedem, quæ dicitur abdomen, in quo partes chyloſi & hæmatoſi perficiendis & excrementorum illuviei educendæ mancipatæ ſunt. Inter quas uti primus ordine, ſic & dignitate æſtimandus ventriculus, ſi enim bellè ſuô officiô fungatur, vicesque ſuas peragat, aliæ & etiam velut bonô directore deductæ ad ſuos actus explendos alacriter adlaborant, ſuaque munera ritè obeunt, ſecùs ſi vitium quoddam contraxerit, ſubindè & aliæ ipſius culpâ plectuntur, hinc jam pridem dictum, vitium primæ coctionis non emendari in ſecundâ neque in tertiâ, ſed ſi partes aliæ ipſius vitiô labefiant ſuccique contaminentur, non rarò & ipſe talionis vice aliena vitia ſuſcipit, argumentô ſunt ructus acidi & nidoroſi uti & frequens vomitio in melancholicis inflationes & gravamina in febribus, dolores à ſuccis extraneis, Salibus aculeatis aliundeque demiſſis excitati. Anorexiæ, quæ nihil aliud ſunt quàm bilioſæ impuritatis propagines, quæ appetitum dejiciunt, uti ècontra quandoque nimium ſtimulatus βȣλίμον inducit, quô nimirum appetitu nimiùm irritatô ob ſuctionis videlicet, aut alicujus irritantis ſenſum, mox immodica ingeſtio cibi, potusque excitatur; ut & terribile hoc ſymptoma, quō uterô gerentes frequenter moleſtantur, quod picam indigitant, forſan, quia ſicut quæ alius hoc nomine donatur, plurimis pennis eſt ornata, ſic variæ & diverſæ res, utpote terra, carbones, aliaque abſurda, uti & carnes quandoque humanæ expetantur, cujus quidem ultimi incongrui, appetitus nempe carnis humanæ comeſtionis, hiſtoriam hîc per tranſennam cujusdam mulieris mihi notæ hîc interſerere licebit, non ſine tamen Lectoris cachinno; ipſa nempe ardenti deſideriô clunes infantis duorum aut trium annorum commordendi deflagrans ipſum fortè in gradibus ſcalæ domus vicinæ comperiens recluſâ veſte ipſum in clunibus momordit, confugientibus ad infantis clamorem, dicebat illa infantem cecidiſſe, ipſe verò illam in natibus momordiſſe, quod & verum repertum fuit.

Cauſa

Cauſa autem formalis iſtius affectus in ipſius tunicæ interioris ſenſationem reponenda, quæ pro variis quibus afficitur modis, varias ſenſationum modificationes ſubire apta nata eſt, & de quarum agendi ratione non aliô modô ratiocinandum quàm de ipſo viſu, auditu, aliiſque ſenſitoriis, itaque ſicut radiorum Solis reflexio ad oculi membranas viſionem efficit, aëriſque appulſus ad auris tympanum auditionem invehit, ſic & pro ratione agentis ad patiens in ſtomachi membranâ interiore nerveâ varii complacentiæ aut diſplicentiæ actus progignuntur, variaque appetituum genera intercidunt, quorum quidem non melior ratio reddi poteſt quàm quòd naturæ author ex agentis ad patiens applicatione talem neceſſariò inferri, conſecutionem tum appetitus, ſenſationis doloris aut voluptatis, aut alii id genus ſancitum ratumque habuerit; Et quamvis veroſimile ſit, iſta non progigni nec variô modô ſe habere, niſi pro ratione variâ atomorum figurâ peculiariſque organi diatheſis ipſas tamen figuras ad amuſſim determinare nec varios motuum gradus proſequi, ipſamque corporis cujusvis idioſyncraſiam exactè perſcrutari non poſſumus. Cauſam itaque materialem Picæ, Medici in ventriculo ponunt, quam intemperiem quidem appellare aut humorum corruptelam, ſed qualis ſit, non æquè benè explicare poſſunt, uti nec naturam humoris illam committentis, quem proinde corruptum, pravum, malignum, in tunicis ventriculi contentum nominant, qui aliquando generatur in ipſo ventriculo ob intemperiem, vel externos errores, frequentiùs tamen aliunde influit; ut à liene in melancholicis, â ſuppreſſione conſuetarum hæmorrhoidum, ut & ab utero in gravidis mulierculis, cacochymis circa primos potiſſimùm menſes, ob retenta menſtrua, cum quibus ejusmodi impuritates, & fœdi humores repurgabantur, illi enim coërciti & quaſi ſtagnantes in abdomine fluentes in ventriculum, modò tunicis ipſius infixi adhærent, modò in cavitate fluctuant, & varia ſymptomata producunt, ut expuitiones ferè aſſiduas,

oris

oris ventriculi morſus & anxietates, totum corpus in iis extenuatur & macreſcit ob defectum nutrimenti, adeſt nauſea, ut & alia accidentia, quæ ex relatione innoteſcunt. Cognito ac perſpecto affectui præſtat quàm citiſſimè occurrere, ne diu ſi ita perſeveret, patientem ad hydropem, cachexiam aliasque Chronicas ægritudines penè lethales deducat. Itaque inſtitutâ probâ victûs ratione, humor, qui qualitate in vitio eſt, expurgari debet in gravidis, idoneis catharticis, purgatio enim per epicraſin facta, ac pro natura ſpecie dominantis Cacochymiæ inſtituta non ſolùm prægnanti, ut ab iſtis moleſtiis liberetur, ſed etiam fœtui ſummè proficua erit, ne malignitate iſtorum excrementorum afficiatur, & ante debitum tempus excludatur.

OBSERVATIO CCXXIII.
D. HERMANNI NICOLAI GRIMMII.
Experimenta Chymica.

I.

SAli fixo à ſublimatione hæmatites vel ferruginis cum Sale Ammoniaco facta reſiduo & pulveriſato, ſi larga Aquæ fortis vel Spiritus Nitri quantitas adfundatur, usque dum ſcilicet ampliùs non ebulliant, & poſteà cùm multa aqua deſtillata fiat extractio, atque in B. M. leni calore deſtillatio ad remanentiam Salis, hocque per arenam fortiori igne urgeatur, egregius prodit Spiritus ſanguinis inſtar rubicundus, ex quo verus metallorum crocus, ad methodum Polemanni, ſeparatur.

2. Cum hoc Spiritu etiam Aurum ſolvi & propelli, ad ejusdem mentem, poteſt.

3. Ferrum in concentrato Spiritu Nitri ſolutum & copioſâ aquâ dilutum, ob alcali præcipitatur in ſubtilem Crocum; ſi præcipitatio hæc continuetur, usque dum nihil ampliùs

pliùs ſeparetur, liquor reſtitans albus per evaporationem Nitrum inflammabile ſuppeditat.

4. Eodem modô ſi Aqua regia fiat absque Sale Ammoniaco, ſolâ Aquæ fortis à Sale communi abſtractione, Sal remanens inſtar Nitri deflagrat.

5. Caput mortuum nigrum C.C. à deſtillatione Spiritus reſiduum, ſi pulveriſetur, adfundendo liquorem Salis Tartari, dat per abſtractionem Spiritum volatilem, pinguem, ſalinum.

6. Sali Aceti albo & acido adfuſûs liquor Tartari itidem per deſtillationem Spiritum volatilem, pinguem & urinoſum, egregiæ virtutis largitur.

7. In deſtillatione Spiritus urinæ usque ad ſiccitatem inſtituta, remanentia ulteriùs igne ſi urgeatur, adſcendit Sal volatile non admodùm fœtidum in collum retortæ, unà cum eleganti rubro ardente Sulphure, quod per ſolutionem Salis iſtius præcipitatur. Reſiduum verò cum aqua deſtillata ſolutum relinquit terram nigram, quæ edulcorata, poſt Olei Vitrioli factam ab ea abſtractionem, dat terram albiſſimam, planè fixam, fuſione in vitrum album abeuntem, aqua verò continet Sal fixum inſtar Salis communis, magis tamen fluxile.

8. Terra Vitrioli dulcis cum parte æquali Nitri per retortam forti igne ſi urgeatur, prodit Spiritus Nitri, ex capite mortuo autem optimum Alcali extrahitur, quod carbonis accenſi inſtar, linguam mordet, non tamen aliorum Alcalium more cum acido effervefcit.

9. Metalla in menſtruis ſuis ſoluta, ſive Sol, Luna, Venus, Mercurius, ſive aliud aliquod fuerit, ſine aliis contrariis Salibus præcipitari poſſunt per Spiritûs Vini ab eis abſtractionem; ſic enim Spiritus Vini ſalinos Spiritus ſecum abripit, & metalla in fundum aguntur; Aurum eleganter inſtar foliorum præcipitatur, quæ in pulverem ſubtilem teri poſſunt, inſtar Terræ ſigillatæ.

10. Sulphuri Antimonii cum Sale Tartari vel aliô Alcali extractô & ſiccatô ſi Spiritus Nitri infundatur, usque dum ampliùs non ebulliat, poſteàque exſiccetur, in lapidem abit, qui varias in formas pro lubitu fundi poteſt; exactè Lapidem Bezoar repræſentans, pulveriſatus etiam eidem ſimilis, ut non immeritò Lapis Bezoar mineralis vocari poſſit.

11. Sal Tartari in aëre p. d. ſolutum iterumque coagulatum, ſæpiùs laborem ſic repetendo, ſemper aliquid ſecum deponit; qui liquor tandem in B. M. abſtractus in cryſtallos magnos & longos coagulatur, & hâc ratione tandem volatilem naturam illud adquirere arbitror.

12. Si Terra Vitrioli dulcis cum p. æ. Salis Ammoniaci ſublimetur, & cum Aqua deſtillata Sal remanens elixivietur, tandem filtretur, & abſtrahatur, atque hoc Sal deſtilletur, elegans prodit Salis Spiritus; ſi verò Spiritus Nitri addatur, per cohobationem rubrum Oleum adquiritur, ex quo Sulphur anodynum verum ſeparatur.

[Noribergam A. 1688. d. 20. Junii miſſa.]

OBSERVATIO CCXXIV.
D. CAROLI JOSEPHI MYLLERI.

Agyrtæ temeritas, grana Tilli centum unô die ad purgandum adoleſcentem ingerentis.

QUantam naturæ inferat vim & quàm pernicioſas turbas creet pharmacum purgans juſtô fortius, vel incautè datum, quæ ſolet eſſe Empiricorum & Medicaſtrorum temeritas & inſolentia lucro magis quàm hominum ſanitati ſtudentium, notiſſimum eſt; haud ingratum tamen auditu naturam adoleſcentis purgantis medicamenti violenti admodùm, ne dicam venenati quantitate aſ-

ſumpti

ſumpti vim eluſiſſe: *Ipſa enim Pharmaci eſſentia* (ſunt verba Clar. D. Bernh. Swalve diſquiſit. therapeut. gen.) *alienus in corpore eſt hoſpes, humor vitioſus ſibi redditus nullibi quieſcit, cor ſtimulum & acrimoniæ moleſtiam à pertranſeuntibus perſentiſcit: Regia corporis invaditur, ipſa Majeſtas læditur.* Lubet igitur caſum hunc litteris tradere. Filius Wolfgangi Werder in pago Como annos ſeptendecim natus, de nauſea & appetitu proſtratô conqueritur: huic Empiricus quidam grana Tilli ſive Ricini (vulgò Treibkörner) numero v. ſummô mane porrigit, dicens ea validè mucum ſive pituitam biliosam è corpore eductura. Quæ cùm alvum ne ſemel quidem moverent, poſt duas horas doſin auget, propinatque numero xv, meliorem inde effectum pollicitus. Mirandum, quod ægro hypercatharſin non induxerint? Is tamen nil hisce movebatur. Redit circumforaneus, ordinatque granorum numerum xxxv, neſcio, quæ verba vana & ſuperflua faciens, ut eſt dicax hoc hominum genus: at neque hinc alvi ſequitur ſolutio aut vomitus. Inde audacior factus ille eodem adhuc die ultra quinquaginta Ricini grana ante duos annos collecta, ut mihi referebatur, exhibet, adeò ut omnium numerus centenarium excederet, promittitque glutinoſam materiam tenaciſſimam impactis forſan vermibus in ſtomacho & inteſtinis latentem, & cum bile atra permixtam tandem exituram, duro nodo durum quærendum eſſe cuneum, ſibique coram adſtantibus de hac cura gloriatur. Nefanda temeritas! & mirandum eô die adoleſcentem non periiſſe. At nihil planè commotus eſt. Poſterô die ſuperveniunt tormina, ventris inflatio, ſitis, pectoris anxietas, nox inſomnis. Die tertiô Parens ejus ad me properat, rogatque, ſi quod poſſem, auxilium afferrem. Id renuere animus erat, quippe famæ detractionem irritumque ſucceſſum metuebam, tandem precibus permotus Tartari emet. D. D. Ludovici grana v. dedi, quibus grana Tilli omnia, quæ aſſumſerat ſurſum & deorſum evacuata ſunt, venter detumuit, reliquaque ſymptomata eva-

nuerunt. Quod ipſum æger poſt duos dies me conveniens & gratias agens mihi candidè retulit. Empiricum verò illum nuper pleuritide laborantem quoq; curavi.

OBSERVATIO CCXXV.
D. CAROLI JOSEPHI MYLLERI.
Nævus maternus equi forma & piſcis.

NUlli non Medicorum notum eſt, quanta ſit fortioris imaginationis terrorisque inopini in prægnantibus vis, quàm noxia illis rei vehementer deſideratæ denegatio. Nævum ſerpentiformem Ephem. Cur. Dec. II. Ann. V. Obſerv. CCXXXV. annotat Clar. D. D. Geyer, Rapiformem Tulpius lib. III. Obſ. Med. cap. XXX. explicat: capitis vitulini & braſſicæ capitatæ formâ proponit Nob. D. D. Jungius Ephem. Cur. An. I. Obſerv. CXXXV. equiformem ego ex litteris D. D. Gabrielis Wagenmanni Surlacenſis nuper ad me datis hîc ſiſtam. Acceſſit ad me, inquit, die XXV. Menſis Auguſti Anni M DC LXXXVIII. honeſta Aromatarii Uxor, portans ſecum puellam recens natam, quam nævo fœdatam mihi inſpiciendam curandamve tradere voluit: Nævus erat in mammâ ſiniſtrâ ſubruber, piloſus, equum tam accuratè repræſentans, ut caput, pedes, caudaque diſcerni potuerint. Cauſam inquirenti mihi faſſa eſt mater hanc, ſe cum Lucernam profectura ſub crepuſculum iter faceret, in equum in via jacentem incidiſſe, qui derepentè ſurgens eam (cùm illum ob ingruentes noctis tenebras dignoſcere non potuerit) tantô terrore perculſit, ut dextrâ pectori admotâ attonita quaſi ſtaret, donec equo agnito ſemet recolligeret. Exinde palàm innoteſcit terrorem & manus admotionem nævi hujus cauſam extitiſſe. Hæc ille.

Nævum alium piſci, quem Rötel noſtri vocant, ſimilem & punctulis ſuis ſubrubris exactiſſimè repræſentantem in puero vi-

ro videre nuper mihi contigit. Pluresque ejusmodi nævi materni, mures, ranas, ignis flammas, ceraſa, fraga, uvas, aliosve fructus referentes ſæpiùs conſpecti ſunt, qui vel terrori vel rei vehementer deſideratæ denegationi ſuam debent originem, & per imaginationis vim & manûs applicationem in variis fœtûs partibus propullulârunt: ſed magis mirandum ejusmodi nævos v. g. fragis vel ceraſis ſimiles tempore verno, cùm ejusmodi fructus matureſcunt, quotannis etiam ſenſim rubicundiores fieri & matureſcere, ut ſæpiùs obſervavi. Cauſa hujus effectus, utrum Sympathia ſit quædam naturalis, aut innatus mulieribus talium fructuum vehementior appetitus, ſagacioribus dijudicandum relinquo.

OBSERVATIO CCXXVI.
D. CAROLI JOSEPHI MYLLERI.
Fœtus quodammodo monſtroſus à partu.

VEhementiam imaginationis terrorisque mulieribus uterum gerentibus ſummè noxiam & plerorumque naturæ errorum ac monſtrorum cauſam eſſe præcedens obſervatio (ut infinitas aliorum taceam) clarè demonſtrat: quandoque tamen alia etiam de cauſa in ipſo partu præſertim difficili monſtroſos aut monſtris ſaltem ſimiles fœtus excludi ſequens caſus docebit. Annô præteritô M DC LXXXVIII. nunciatum erat mihi infantem bicipitem non procul abhinc natum eſſe. Itaque ad indagandam rei veritatem eò me contuli, & cum obſtetrice domum ingreſſus, infantem monſtrari mihi petii. Is capite non quidem erat bicipiti, præter naturam & morem tamen nimis magnô longoque, uti ex adjectâ delineatione videre eſt.

Fig. XXXVIII.

OBSERVATIO CCXXVII.
D. CAROLI JOSEPHI MYLLERI.
Phthiſis hæreditariæ cura.

QUò ſedem penitiorem fixit morbus & quò partis uſus nobilior eſt & magis neceſſarius, eò majus periculum & gravior inde noxa reſultat, quod è Phthiſi confirmata & hæreditaria, quam nonnulli inſanabilem ſtatuêre, præprimis eluceſcit. Annus eſt cum dimidio, cùm conſultiſs. Senator Reipubl. noſtræ ad filiam ſuam Phthiſi hæreditariâ jam penè confectam lectôque à longo tempore affixam me vocat, petitque, ut in ſolatium miſeræ confortantem aquam perlatam præſcribam, ſcire enim ſe alia medicamenta effectum deſideratum vix præſtitura, quandoquidem duas jam filias ſuas, uxorem, duosque affines hic morbus vitâ privârit, illasque cùm talis morbi adeſſet ſtatus, duos vel tres dies non ſupervixiſſe. Intrante me cubiculum nares percellit odor acidum ſpirans, qualis à variolis in corpore exiccatis percipitur (qualem etiam in plurimis Phthiſicis confirmatis in cubiculo feneſtris clauſis degentibus obſervavi) ægram ſummè extenuatam, utpote quæ oſſibus vix hærebat, dorſo incumbentem (neque enim in latere alterutro cubare poterat) reperio, febrim percipio lentam cum calore & ſiti, ſputum purulentum lividum & graveolens, quod ægrè excerni poterat, ſudorem noctu colliquefactivum, urinam furfuraceam, alviquè involuntarium profluvium, utplurimùm mortis prodromum. Ne quid verò intactum relinquerem miſertus ægræ aliàs medicamentorum pertæſæ hæc pauca præſcribo.

℞. Antihect. Pot. ʒij. Fulig. tenuior. Pulv. Irid. Flor. āā. ʒß. Fl. Benzoes ʒj. divid. in viij. partes æq. Sumatur mane & veſp. pars una in cochleari pleno Julepi hujus. ℞. Aq. Veron. Sanic. āā. ℥iß. Syr. de Jujub. de Papav. āā. ʒvj. Eſſent. Flor. Hyper. ʒj. Miſce, D. ad vitrum Sulphuris fumô priùs imbutum:

butum: Interdiu & noctu ſumat pro lubitu cochlear unum vel alterum de hoc linctu. ℞. Diacod. Mont. ℥iiij. Ol. Amygd. d. ℥ij. Miſce. Singulis noctibus ſumat Pill. de Cynogloſſa numero tres. Hisce per duodecim dies continuatis locô Pulverum præſcripſi has Pillulas: ℞. Eſſent. Flor. Bellid. min. Hyper. Diaphoret. Jovial. Sang. Drac. fin. purif. ãã. ʒij. Fiat Maſſa, ex qua fiant Pillulæ numero CCXL conſperg. Pulv. Rad. Ireos flor. Sumatque manè & veſperi numero x. Harum uſu de die in diem meliùs habere cœpit. Ad profluvium denique alvi cohibendum dedi Balſamum ſtomachalem ex Balſ. Peruv. Ol. Nuc. Moſc. Ol. deſtill. Citr. Cinamom. Caryoph. Chamomill. Ol. Cydon. coctô confectum, quô venter inferior manè inungatur. His ita per quatuor hebdomadas continuatis ægra vegeta ſatis evaſit, ut ſana ab eo tempore appareat, pallidi tamen adhuc coloris.

OBSERVATIO CCXXVIII.
D. CAROLI JOSEPHI MYLLERI.
Menſtrua cum calculis, etiam ex umbilico.

QUàm variis natura viis menſtruis evacuandis utatur, obſervationes plurimæ teſtantur: Id tamen peculiare eſt, quod nunc commemoro. Fœmina annos quadraginta duos nata, liberorum trium mater vegeta & ſana, ſtatô tempore menſtrua locis ordinariis cum pruritu & dolore effluere ſentit; at quod ſtupendum, ſanguis ſimul per umbilicum ei exſudat quantitate circiter unciarum duarum: Adhæc induſio ejus adhærent parvulæ arenulæ cum ſanguine per umbilicum prodeuntes. Idque à quindecim jam annis, uti dicit, absque incommodo pertulit, niſi quod erumpentibus iis ardor circa umbilicum & naturalia eam vexet ſubindè tam atrox, ut curvatô corpore ingrediatur, additque ſe ſubindè cruciatus tantos paſſam eſſe, qui nixus pariendi,

riendi, ſi non exceſſerint, ſaltem æquaverint. Petii, ut obſervaret, an quoque per muliebria arenularum quid excernatur, & non arenulas tantùm, ſed & jam lapillos quinque parvula piſa referentes mihi monſtravit. Unde proveniant, an ex ipſo ſanguine, vel ubi generentur, me fugit.

[Tugio Helvetiorum 5. Febr. A. 1689. Noriberg. miſſæ.]

OBSERVATIO CCXXVIII.

D. RUDOLPHI JACOBI CAMERARII.

De

Novâ Vaſorum Seminiferorum & Lymphaticorum in teſtibus communicatione.

PEr vaſa Seminifera Teſtium propriè dictorum in maſculo, non ovarii in fœminâ, intelligo ipſa aliàs dicta deferentia ſeu ejaculatoria, quæ cum Lymphaticis ſingularem communicationem habent, non ſolùm quatenus utraque ex unâ parte oriuntur, minus, quòd in progreſſu extra teſtem jungantur, ſed quoniam fluido immiſſo in unum tranſitus conceditur in alterum. Voco novam, quia licet vaſorum Lymphaticorum in hâc parte præſentia ab aliis jam ſit demonſtrata, hæc tamen communicatio nondum fuerit deſcripta, quantum ego novi: Addo hoc, ut præmoneam, me adducturum non ea, quæ ab aliis accepi, ſed quæ ita ſe habere ipſe inveni, neſcius an priùs ab aliis fuerint viſa vel deſcripta. Experimentum non difficile inſtitutu, prout hactenus à me pluribus vicibus eodem ſemper ſucceſſu factum fuit, ita ſe habet: Immittatur Tubulus in cavitatem vaſis deferentis (fieri enim hoc poſſe injecti liquores, cera, & Mercurius teſtantur) aërque inſletur, fortiter, ſic ubi nullum priùs vaſorum Lymphaticorum indicium plurima ſe manifeſtabunt

primùm

primùm in ipſâ ſuperficie teſtis, pôſt juxta ductum arteriæ & venæ ſpermaticæ exterius quatuor vel quinque majores ductus elegantes, vaſis tamen dictis ſanguineis non inflatis. His notatis ſolvi poteſt problema ſequens: Vaſa Teſtis Lymphatica absque prævia in vivo corpore ligatione aut modô aliô, quôvis ferè tempore, imò unô alterôque poſt mortem die, aëre ita replere, ut turgida valvulas ſuas ſtructuramque reliquam clariſſimè exhibeant, & exſiccata conſervent. Hoc obtinetur dictâ inflatione, non quidem absque violentia, ita ut aër nonnunquam intra interſtitia membranarum erumpat, at vaſa lymphatica nihilominùs diſtincta bellè comparent, quod & Aliis eôdem modô rem tentantibus ſucceſſurum ſpero.

[A. 1689. d. 25. Febr. Auguſtam Vind. miſſa.]

OBSERVATIO CCXXIX.
D. JOHANNIS LAURENTII FEHRII.
Cataractæ depoſitio in utroque oculo feliciter celebrata.

INter varias corporis humani partes artificioſâ mirandâque ſtructurâ, nec non præſtantiâ atque utilitate alias minùs principales facilè ſuperat oculus, de quo paſſim prolixiùs agunt Anatomici. Plures verò inter cauſas, quibus viſio impediri, lædi vel aboleri poteſt, notabilior, gravior nec infrequens eſt nubecula ſeu, ſi craſſiorem temporis ſucceſſu nacta eſt conſiſtentiam, membranula ſub cornea apparens, cujus felicem in utroque oculo ablationem nuper in fœmina quadam vidi. Chirurgus ſequentem proceſſum obſervabat. Præmiſsâ purgatione & interdictis cibis crudis, acribus & flatulentis ægram ſellæ ex adverſo luminis per feneſtram introeuntis locatæ imponebat, ipſe Chirurgus è regione ægræ in ſcamno juxta feneſtram ſedens blandâ allocutione ægræ animum eri-

gebat, utque manibus pedes ipſius majores juxta coxendicem apprehenderet, & ſi fortè per acûs paulò vehementiorem intruſionem leviorem quendam dolorem ſentiret, manibus pedes nonnihil fortiùs comprimeret, id quod ipſi certum doloris urgentioris ſignum ſit futurum, famulus verò caput probè erectum teneret, jubebat. Hinc oculô ſiniſtrô verſus canthum majorem reflexô acu non nimis acutâ corneam in loco à venulis & arteriolis libero, non tamen in ſumma canthi minoris extremitate, paulò fortiùs intrudendo perforabat, ac membranulam decem menſium ſpatiô generatam, in qua auferenda, dum ægra oculum ſæpiùs claudebat, res paulò tardiùs ſuccedebat, ſenſim à cohæſione liberatam à ſuperioribus verſus inferiora ducebat, & aliquoties acum ſurſum deorſumque digitis volvebat, donec omninò eſſet ablata, quam poſtmodum verſus inferiora & angulum exteriorem, ubi acûs intruſio facta erat, trahebat, dein halitum caryophyllorum maſticatorum oculo ægræ inſufflabat, utque ad quæſita reſponderet ac ter tuſſiret, jubebat, quibus peractis oculum pelluciditatem ſervantem, aquâ frigidâ ore hauſtâ, de qua ægram priùs monuerat, ne terrore percuteretur, bis tangebat, dumque oculus in eodem perſpicuo ſtatu manebat, acum ſenſim digitis volvendo extrahebat, oculôque clausô defenſivum ex alumine in albumine ovi agitatô cum ſtupa cannabina imponebat, ac debitè obligabat, ſimilique ratione in dextro oculo, ubi ſiniſtrâ manu acum dirigebat, procedebat. Poſteà feneſtris velamine quodam obductis ægram lentiſſimè ſurgere, inque locum, quem ipſe anteâ ſedendo occupaverat, concedere jubebat. Dein capiti pileum latioris circumferentiæ imponebat, ac ſolutô vinculô boliſque binis ab oculis remotis halitu caryophyllaceô ex imo pectore ductô oculos lucidos afflabat, & ex ægra quærebat, an lucem cæteraque objecta, item filiam alioſque adſtantes noſceret? ad quæ dum affirmativè reſpondebat, & tàm oblata ova, quàm patinas, coloreſque objectorum exactè internoſcebat, oculos clau-

clauſos lege artis obligabat, ægramque lentiſſimè ad lectum ducebat, eidemque remotis veſtimentis ita imponebat, ut dorſo incumberet, interdictis clamoribus & vehementioribus commotionibus, quietem & diætam per decem aut quatuordecim dies ſervandam commendabat, quibus elapſis è lecto ſurgebat, & remotis vinculis in loco mediocriter lucido admotô circa frontem viridi ſericeô umbraculô lentè ambulabat, & juxta diætam pillulas cephalicas, nec non aquam ophthalmicam adhibebat, tandem ex præſcripto Chirurgi quovis mane oculos aquâ frigidâ lavabat, & pro recuperato viſu DEO maximas gratias agebat. Idem alii viro non ita pridem cataractam depoſuerat, quæ tamen ter in priſtinum locum redierat, unde & ter eandem conſuetô more per prius foramen ſemper acum tundendo removerat, ac membranulam verſus inferiora retruſerat, ſicque oculis perſpicuitatem reſtituerat.

OBSERVATIO CCXXX.
D. JOHANNIS LAURENTII FEHRII.
Tumor juxta oculi iridem feliciter curatus.

UXor ruſtici quinquaginta annorum diuturnô capitis dolore in ſiniſtro præcipuè latere detinebatur; hinc in oculo ſiniſtro inflammatio oboriebatur, ac juxta iridem tumor lentis magnitudine prorumpebat, qui ſucceſſivè magnitudinem avellanæ acquirebat, tandemque adeò incrementum ſumebat, ut oculus cum totali viſionis ſuppreſſione tegeretur. Varia remedia tàm internè quàm externè conducibilia ſunt in uſum vocata, aſt omnia fruſtrâ. Tandem & Chirurgi Velderi conſilium fuit expetitum, qui curam eô modô, quô antehac in ſimili ferè caſu feliciter proceſſerat, inſtituere paratus erat, aſt dum excreſcentiam circa

radicem acu nonnihil incurvatâ, cui cortex de mezereo locô filamenti trajectus erat, pertundebat, hincq; cortice dictô ligare tentabat, ſtatim ab oculi tunica annata, cui minùs firmiter cohærebat, ſecedebat, remanente quâdam radice in oculo, quam haut cunctanter leniter cauteriſabat, oculoque & partibus vicinis defenſiva applicabat, ac lege artis curam abſolvebat, interjectis pillulis, trageis aliisque caput roborantibus atque ab humorum affluxu liberantibus, puta veſicatoriis in nucha, fontanella in brachio excitatis. Unde factum, ut cum multorum admiratione fœmina viſum integrè recuperaverit, nec ullum veſtigium tumoris in oculo apparuerit.

[Suinfurto A. 1689. 7. Mart. Noribergam miſſæ.]

OBSERVATIO CCXXXI.

Dn. HIERONYMI AMBROSII LANGENMANTELII.

De

Verme narcoticâ virtute prædito.

QUæ à ſingulari Amico meo, & rerum naturalium curioſo inveſtigatore nuper comunicata mihi fuêre, ea ut notatu digna & curioſitate haud ingrata, publicè hîc ſiſtere ejusdem verbis allubeſcit:

Perambulabam plures ante annos, cum aliis duobus pratum urbi Ingolſtadienſi vicinum; cùm ecce in via occurrit Vermis digito major, non perinde craſſus tamen multicolor ſecundùm caput, prædurô & acuminatô cuſpide armatus, inſolitum erat mihi & cæteris meis ſodalibus ſpectaculum! quare domum illum deferre decrevi, quia tamen ſuſpicabar eſſe venenatum, ipſum manibus attrectare nolui; itaque abſciſſô ramô ita eum implicavi, ut extricare ſeſe, niſi ipſemet vellem, non facilè poſſet, & à manu mea, quâ ramum tenui, duos

duos minimùm pedes diſtaret. Sub viam dum aliis de rebus, uti fieri ſolet, diſputaremus; parùm ſolliciti de verme ex ramo pendulo, ita ſubitò manus mea torpere cœpit, ita fatigari, ac ſi in ea aliquot ferri pondo fuiſſent ſuſpenſa: mirari, dein id, quod erat, ſuſpicari cœpi, nempe hunc torporem provenire à Verme; quam rem ut certiùs deprehenderem, diſſimulatô torpore, manum mutavi & ſiniſtræ dextram in onere ferendo ſubſtitui, breviq́ue idem in dextra, quod anteà in ſiniſtra ſenſi, ſociis intereà, quid ageretur, penitùs ignaris. Ego re denuò diſſimulatâ, quaſi aliud agendo Vermem ex ramo ſuſpenſum altero trado ſocio, idem brevi ſenſit hic, idem tertius; ita Vermis in via relinquendus erat, ſi domum integri redire vellemus, neque enim quacunque manuum vi adhibitâ ulteriùs ferri poterat.

SCHOLIUM.

QUod de Torpedinis vi ſtupefactiva nonnulli referunt, eam ſcilicet in diſtans etiam corpus derivari, & baculum admotum funemq́ue retis, quô capitur, pertranſire ac manum invadere, quin & in aquam, cui piſcis ille innatat, derivari, quàm variis contradictionibus ſit expoſitum, notum eſt; experimentis inprimis haud contemnendis enervatum id ſiſtitur in *Ephemerid. noſtr. Dec. I. Ann. IX. Obſervat. 173.* quamvis viciſſim alii contrarium adſtruant; conſuli hanc in rem etiam poteſt Excell. *Franciſc. Redus tr. Eſper intorno a diverſe coſe natur.* &c. fidem piſcatorum, qui ſimilem in diſtans operationem adſeverabant, haud rejiciens, vimq́ue illam à torpedine in mari adhuc natante & vigoroſâ poſſe proficiſci conjiciens. Nollem hîc quidquam determinare, ſed dubiam iſtam vim relinquere præſtat, usque dum aliquando certiora experimenta, ſententiam adfirmativam, multis ſanè difficultatibus laborantem, confirmantia producantur. Quam nihilominùs ſi non aliquô modô probabilem, ſaltem non impoſſibilem evincit præſens Obſervatio, cujus de veritate

Clariſſimi Autoris vetat dubitare autoritas. Uti verò organum, à quo torpedinis vis ſtupefaciens inducitur, omnium optimè tum in *cit. Ephemeridum loco*, tum à *D. Redo l. d.* nec non in *Actor. Med. Hafn. Bartholin. Volum. II. Obſervat. 89.* & *Volum. V. Obſervat. 97.* fuit expreſſum, duobusque corporibus ſive muſculis falcatis (quos etiam non ignorâſſe videtur *Oppianus*, ſic ſcribens:

At duo ſe tollunt diſtincta per ilia rami,
qui fraudem pro robore habent, piſcemq; tuentur;
quos ſi quis tractat, perdit per membra vigorem.)

adtributum: ita quô modô organum iſtud producat talem effectum non ſatis liquet; emitti autem aliquid ex eo, quod tangenti membro communicetur, omnes adfirmant; & quidem in *Ephem. cit. D. Lorenzini* corpuſcula improportionata viis, præſertim tendinibus, per quos penetrant, aut ſaltem magnâ copiâ & forti impetu à corporibus iſtis fibroſis impulſa accuſat. Hæc ſpirituum frigidorum nomine, qui extinguere, obfuſcare & fugare conantur radiationem calidorum ſpirituum, ſiſtit D. *Sebaſt. Würdig lib. 1. Medic. ſpir. cap. 10. §. 12.* narcoticâ facultate præditâ adfirmat *P. Athanaſ. Kircherus Magnet. naturæ regn. ſect. 4. cap. 4.* aliis venenatam qualitatem proferre lubuit. Non tamen vim ſtupefacientem & narcoticam ſimpliciter hîc adeſſe, conſtat, cùm laudatus D. *Redus* ab attactu piſcis hujus, præter formicantem ſenſum, tremorem etiam moleſtum, & dolorem adeò acutum in cubito perſenſerit, ut manum ſubitò amovere coactus fuerit; ſic etiam D. *Nicol. Steno*, in *alleg. Volum. II. Act. Hafn.* digitorum contractionem cum ſpecie quadam doloris formicantis & per brachium adſcendentis perſenſerat, & maximum dolorem à contactu invaſiſſe, Excell. D. *Jacobæus* in *Volum. V. Act. Hafn.* teſtatur, quem dolorem & cruciatum ſimilem quodammodò eſſe illi memorat D. *Lorenzini*, quem ſuffecimus, quando extremô cubitô ad corpus quodpiam durum offendimus. Quæ ſanè triſtis ſenſatio convulſivos in nervis & nervoſis partibus

motus

motus inſinuat; Unde à contactu alicujus corporis, quod irritare queat, hosce induci liquet; ſive jam à ſolis ſpiritibus à manûs contactu irritatis atque per nervos ad falcata iſta corpora accedentes irruentibus, ſive quod probabilius, unà ab illo liquore, qui in ſuprà memoratis corporibus falcatis, quæ foris ex plurimis veſiculis aquâ repletis compoſita ſunt, hæret, per cutaneos in manu poros infuſo, irritatio iſta oriatur. Ut verò ad noſtrum revertar Vermem, quem ob ſolius corporis ſenſum inductum rectiùs torpedinem vocare liceat, quamvis an totus vel pars tantùm ejus aliqua vim hanc obtinuerit, haud conſtet, effluvia tamen noxia concipiamus, neceſſe eſt, quæ narcoticam vim habuiſſe, ex hiſtoria ſatis pateſcit, incertam tamen veneni ſuſpicionem ſuppeditante, cùm præter ſtuporem aliud ſymptoma acceſſiſſe, aut ablatô vermiferô ramô reliquiſſe, neutiquam referat. Conferantur, quæ de vi radicis Carlinæ defatigante in *hac Ephem. Decade, Ann. I. Obſervat. 169.* amantiſſimus noſter Collega D. *Eman. König* recenſuit.

[*L. Schröck, L. f.*]

OBSERVATIO CCXXXII.
Dn. HIERONYMI AMBROSII LANGENMANTELII.

Circa Salamandram in igne vivam & mortuam, & quatuor Elementorum artificioſam præſentationem.

Quod quatuor Liquores attinet, quibus communi jam experimentô quatuor Elementa exprimi ſolent, probè ſcio, quid hac de re & R. P. Kircherus, P. Grimaldus, atque Illuſtriſs. Caramuel de Lobkowitz, aliique plures ſcripſerint. Sed ego omnium ſententiam multô labore

labore explorans iterum iterumque incaſſum laboravi: cauſa forcaſſis fuerat, quemadmodum cum quodam nobili Chymiſta ratiocinabar, mutatio temperamenti olei, ob præſentem & diverſam noſtri aëris rationem, quod ſæpiùs evenire ſolet. Prout jam olim ſum expertus in *Salamandra*, quæ Veronæ in Italia ſæpiùs in ignem miſſa, ſæpiùs viva & integra evaſit; in Bavaria verò primâ ſtatim vice in cinerem abiit, necquicquam ſe ſuâ ſalivâ tutante. Quare, Scholii locô, addendum erit, illos non omne punctum tuliſſe, qui ab antiquitate veneranda gratis confictum eſſe, Salamandram in igne ſalvam ſubſiſtere, putant. Atque proinde elucet experientias in uno climate ſumptas particulares ſolùm eſſe, neque ex hujusmodi localibus obſervationibus univerſales criſes ſeu judicium formari poſſe; quod tamen cum venia aliorum annotatum eſto. Sequitur nunc:

Vera Pragmatia,

Ut diverſi Liquores &c. Elementorum quadrigam exprimentes conſtanter perſeverent & ſint incommiſcibiles.

Locô Olei de Been accipiatur Oleum petræ per tres menſes ad Solem deſtillatum, flavique Braſilici ligni ſegmentô tinctum.

Secundô locô infundatur Spiritus vini ter rectificatus rubrô colore tinctus per injectum lignum Sandali.

Tertiô pro aqua inſerviat Oleum Tartari, ſed dilutum & mixtum floribus æris viridis.

Ultimô denique locô Terræ includantur lapilli granatorum in minores partes contuſi.

Aliæ materiæ, quas paſſim apud Authores invenies, ineptæ erant, certè aut Spiritûs vehementis virtute comminuendæ, aut ab Oleis diſſolvendæ. Et hæc eſt tota ratio iſtorum liquorum, Oleum enim de Been, depuratum Smaltum, vel crudum

dum Antimonium, quia omnem prorſus operam & laborem fruſtrârunt, ſuâ virtute hisce in locis deſtituta ſunt.

SCHOLIUM.

IN memoriam hîc revocare libet Salamandram, quam Nob. Eq. & Canonic. *Corvinus* Romæ peregrinis oſtendere ſolebat, & cujus inprimis *p. 116. in Salamandrolog.* ex *Bartholino* & *Stenone* mentionem etiam facit Exc. noſter D. *Wurffbainius*, præterea'q; Clariſs. D. *Jac. Sponius Itiner. ſui part. 1. p.m. 79.* quin mihi quoque iconem Salamandræ iſtius monſtravit Vir humaniſſimus, per bihorium illam aliquoties in igne ſe detinuiſſe unà referens, eam ſcilicet, cùm parùm ſalivæ priùs emiſiſſet, in locum hunc extinctum recubâſſe, iterumque emiſsâ ſalivâ, ulteriùs dein perrexiſſe; cæterùm nullô aliô cibô quàm urinâ propriâ fuiſſe nutritam teſtabatur, eâdem nempe per repetitam ſic ſæpiùs circulationem in nutrimentum cedente. Econtrà Patavii cum aliis Dnn. Studioſis de aliquot Salamandris experimenta ſumſeram, quas partim carbonum igni injectos, vi ejus reſiſtere haud valuiſſe ac citò interiiſſe, partim circulari carbonum igne factô, eas ſpatiô intermediô impoſitas non tantùm ignem tranſire haud fuiſſe auſas, ſed itidem calore ejus quaſi torrefactas brevi vivere deſiiſſe vidi. Unde prout magnam Salamandræ ſpecierum eſſe diverſitatem oculorum fide conſtat, ſic alias Vulcani vim aliquandiu poſſe eludere, alias autem eandem ſine vitæ periculo minimè ſuſtinere poſſe, ſtatuere quid prohibeat; quâ ratione in aliis etiam animalium ſpeciebus haud mediocrem obſervari varietatem quis neſcit? araneas ſanè, ſcorpiones, ſerpentes magis minùsve eſſe venenatos, quinimò aliquos planè innoxios compertum habetur.

OBSERVATIO CCXXXIII.

Dn. HIERONYMI AMBROSII LANGENMANTELII.

Microſcopii Tortoniani fabrica tàm exterior, quàm interior meliùs concepta & explanata.

EXteriorem ſtructuram Microſcopii Tortoniani juxta transmiſſam deſcriptionem, prout eam intellexi, paulò meliùs exhiberi, & practicè perfici poſſe exiſtimo, ſicut in Fig. XXXIX. hîc appoſita cernitur.

1. Vitrum objectivum lenticulare utrimque æqualiter convexum poteſt adhiberi valdè acutæ convexitatis, & ad locum I. H. cum apertura conveniente imponi tubulo A. C. ibidem ad C C. ſpiralem ordinationem habenti, ut Figura XXXIX. monſtrat.

2. Annulus D. ſimiliter intùs ſpiraliter excavetur, & per brachiola E. E. E. annectatur alteri annulo F. objectum intra duo cryſtalla aut vitra clariſſima ad interiorem concavitatem concluſum in G. B. habenti, ut pro ratione requiſitæ diſtantiæ objectum nunc magis, nunc minùs adduci poſſit ad lenticulam objectivam in I. H. collocatam.

3. Etſi ſecundùm deſcriptionem cryſtalla plana tenuia aſſignentur: attendi tamen debet, ne dum nimis tenuia aſſumuntur, & objectum nimis prope ad interioris cryſtalli ſuperficiem externam accedat, ipſa hæc ſuperficies locô objecti advertatur; adeoque qualiscunque in eadem defectus pro objecto compareant, atque ita diſtinctam accuratamque objecti perceptionem impediant; unde cryſtallum vel planum vitrum interiùs verſus objectivam lenticulam non adeò tenue requiri exiſtimo, ita ut ſuperficies ejus extima paululùm recedat ab objecto accuratiùs videndo.

4. Poteſt

4. Poteſt etiam ad L. M. alius annulus tubulô A. C. (qui circa C. C. eſt ſpiralis, verſus K. K. verò cylindricè rotundus) fixè annexus efformari: cui etiam interiùs ad K. K. lens altera convexa ocularis imponi poteſt.


5. Interioris ſtructuræ ordinatio benè inſtituitur cum duabus lentibus convexis, ſicut in Fig. XL. apparet, & facilè poteſt demonſtrari. Nam objectum A. B. dum paulò poſt focum R. lenticulæ objectivæ C. D. collocatur, radiando inde per lenticulam C. D. efformat in tubulo imaginem E. F. everſam: ubi dum radii ulteriùs procurrunt ad lentem ocularem I. K. ibidem factâ refractione dein ſubintrant oculum L. N. O. M. (qui ſe habet per modum lentis plurimùm convexæ) & colliguntur tandem in fundo retinæ pro efformanda diſtincta imagine objecti ad locum ſcilicet N. O. quaſi venirent ex loco G. H. adeoque neceſſariò objectum multò majus comparere debet quàm revera ſit.

6. Vitra lenticularia convexa, prout experimentô jam aſſecutus ſum, optimè adhiberi poſſunt ſecundùm proportionem hanc: Objectivum fiat æqualiter convexum ex diametro $\frac{10}{100}$ pedis Romani, oculare verò I. K. Fig. XL. utrinque etiam æqualiter convexum è diametro $\frac{20}{100}$ aut $\frac{25}{100}$ ped. Roman. Meliùs eſt etiam duo plano-convexa vitra locô unius I. K. in ſimili proportione adhibere & collocare in tuto ita ut convexitates ſe ad invicem convertant, ſicut patet in Fig. XL. nam talis collocatio, ſicuti experimentô didici, utplurimùm tollit ſpuriam colorationem circa marginem lentium convexarum.

7. Tandem commoditas maxima eſt in ejusmodi Microſcopiis, dum nempe ita concluſum intra duo cryſtalla objectum undique luce affunditur viderique poteſt quaſi in aëre hærens. Ac quia ita commodè illuſtratur, poteſt etiam lenticula objectiva valdè acutæ convexitatis adhiberi, quæ objectum mirificè auctum repræſentabit.

SCHOLIUM.

DE Microſcopio hoc Tortoniano legi poſſunt, quæ Excell. Dnn. Ephemeridum Lipſ. Auctores An. 1685. & An. 1686. Menſe Julii expoſuerunt; quin & Obſervationem præſentem qui communicavit Vir Nobiliſſimus, cùm & ipſe ante triennium Epiſtolam Clariſs. D. Ciampini ad ipſum Româ 12. Kal. Maji An. 1686. ſcriptam, & de hoc Microſcopio etiam agentem publici juris fecit, hæc autem paucorum Amicorum in manibus tantùm verſetur, ex ea quæ huc faciunt, Curioſis noſtris exponere placet: Sæpè ſæpiùs laudabilis ingeniorum æmulatio gloriæ ſollicita in quavis Scientia & Arte ad nova exploranda inventa elevat Animum; in PHYSICOMATHEMATICA ACADEMIA præteriti Anni 1685. Menſe Auguſto experientiâ id comprobatum vidimus, ubi DN. CAROLUS ANTONIUS TORTONA, parvum produxit Microſcopium longitudinis unciarum quatuor Romani palmi, formam parvi Tubicilli præ ſe ferens, quod in loco, ubi objectivum vitrum inſeri ſolet rem obſervandam incluſam habebat: unde digitis apprehensô ſpicillô ac aërem verſus ad majus lumen capeſſendum elevato, corpus obſervationi expoſitum in miram magnitudinem accretum cernebatur: Hoc novum Artificii genus opticorum vitrorum opifices ad ſimilia ſtruenda incitavit: Hinc in eadem Academia die primâ Februarii labentis Anni tria alia non multùm diſſimilia fuêre exhibita Microſcopia, quæ Tortonianum æmulabantur, non audeo dicere ſuperabant, quia de eis collatio nulla habita fuit; Opifices fuêre JOSEPH CAMPANA & MARCUS ANTONIUS CELI. Subindè octavâ Aprilis in aliâ Academiâ ſupralaudatus Campana ſimile protulit Microſcopium novô inventô locupletatum, quoniam lignum, in quo objectivum vitrum inſeri ſolet, in exteriori parte ſpiris elaboratum eſt, in quibus ex aurichalco annulus intùs ſimilibus ſpiris inciſus intromittitur. Ex eodem annulo tria prominent ejuſdem


Fig. 39.
ad pag. 445.
Fig. 40.
A
K
L
M
C
D
I
H
E
E
E
F
G
B
N
O
L
M
P
Q
I
K
G
H
E
F
C
D
R
A
B
Fig. 41.
A
C
D
E
E
F
F
G
B
I
G
L
M

dem æris brachiola, quæ alium infixum habent annulum à priori unius unicæ ſpatio circiter diſtantem, hîc ſecundus annulus, alium ligneum in ſe continet annulum glutine firmatum, qui in interiori parte in ſe habet ſpiras, in quibus alius parvulus intromittitur ligneus annulus pari modô elaboratus, in quo duo plana ac rotunda infixa ſunt Cryſtalla, ac inter utrumque ponitur corpus obſervandum: quod Calamus expreſſit, meliùs Figura XLI. declarabit. Litera A.B. ſignant Tubum Microſcopii: Litera C. lignum, in quo vitrum objectivum manet concluſum cum ſpiris inſtructum: D. primum Annulum ex Aurichalco in interiori parte ſpiræ, ut faciliùs appropinquari, vel arceri ad libitum intuentis valeat, objectum. E E E. ſunt tria brachiola ex præfato Aurichalco, atque hæc ſubtilia & tenuia ut majori libertate lumen ad illuſtrandum objectum ingredi poſſit. His eidem brachiolis unitur alter circulus F. qui ſpiras introrſum habet & in ipſo figitur alius parvulus ac ligneus annulus G. in quo deſideratum objectum occluditur. Iſte parvulus annulus in exteriori parte fovet ſpiras ut I. in interiori parte cavus eſt ut L. in qua cavitate ponuntur duo tenuia, ac plana cryſtalla, inter quæ objectum includitur, hic parvulus annulus denotatur per Figuram I. G. L. Figura M. denotat planum annuli G. ſive I. G. L. ubi apponuntur cryſtalla. Hæc deſcriptio ex ſimplici oculari inſpectione concepta eſt, nam Artifex noluit publicare ſtructuram, fuit tamen magnô plauſu excepta inventio, eò quia oſtendit objectum illuminatum in eâ parte, quæ oculum reſpicit, quoniam lumen per ſpatium inter brachiola intromittit. Credunt nonnulli hoc Microſcopium alia in Incremento ſuperare, ſed nullum usque adhuc certum proferri poteſt Judicium, cùm ut dictum eſt, nulla facta ſit collatio, neque vitra, neque illorum combinatio viſa ſint. Expectandum donec venum exponatur.

[Communic. A. 1689. d. 8. Mart.]

Fig. XXXIX. XL. XLI.

OBSERVATIO CCXXXIV.

Dn. HIERONYMI AMBROSII LANGENMANTELII.

De

Oſſibus Elephantum.

QUæ in celeberrima illa Academia Phyſico-Mathematica Romana nuper obſervavit & mecum communicavit Vir Illuſtriſſimus & Literatiſſimus Dn. Joannes Ciampinus, ex ejusdem literis 7. Cal. April. nuper ad me perſcriptis, Dnn. Collegis noſtris Curioſis recenſere haud potui intermittere: Prope terram Vitorchiani, Viterbienſis Diœc. præteritô annô quædam miræ magnitudinis oſſa reperta fuêre, ſcilicet femoris, ſcapulæ & vertebrarum quinque, inter quas erat illa cervicis, quæ ſimul in pondere centum & octoginta noſtratum libras excedebant. Fuerunt propterea ab omnibus ferè Gigantis oſſa exiſtimata, ac factâ cum illis collatione, quæ in diverſis Urbis Cimeliis, præſertim in celebri illo Chiſiano aſſervantur, erant omnium maxima. Dubitatum autem fuit, an revera Gigantis, aut potiùs Elephantis oſſa eſſent; propterea ad eruditum amicum Florentiæ commorantem fuerunt datæ literæ, ut exemplar ſceleti Elephantis, qui in celebri Mediceorum Muſéo viſitur, mittere non dedignaretur; qui petitioni benignè annuens, optatum transmiſit exemplar, quare factâ cum oſſibus collatione, unanimi conſenſu judicatum fuit, tam illa noviter reperta, quàm antiqua in Cimeliis aſſervata Elephantum eſſe, & pro certo habuimus, illorum Elephantum fuiſſe, quorum Plinius lib. 8. cap. 2. & 6. meminit. Occaſione horum oſtenſorum oſſium in ſubſequentibus Academiis varia alia oſſa lapidefacta oſtenſa fuerunt, quæ inter alia quædam, quæ Elephantum auriculæ putabantur, ſeu potiùs à forma denominabantur, prout

ut etiam Dentes, qui foſſiles ſunt, nec lapideam contraxerunt duritiem, cùm in pulverem redigantur, qui magnam alcalici vim in ſe continet, unde in acutis morbis potu miſtus magni juvaminis eſt.

OBSERVATIO CCXXXV.
Dn. HIERONYMI AMBROSII LANGENMANTELII.
De
Oſſium mollitie.

RArum etiam in iſta Academia caſum fuiſſe narratum, idem Vir Clar. dictis literis mihi indicavit, feminam nempe nobiliſſimam 32. annos natam, temperamentô calidô & humidô cum pituitæ prædominio, & molli corporis habitu præditam, quæ 16. ætatis anno viro nupta plures pepererat filios & nonnullos paſſa fuerat abortus, fluxionibus vel catarrhis ad varias corporis partes obnoxiam fuiſſe, & ſex abhinc annis epulide in maxilla ſuperiori ad gingivam obortâ laboráſſe, quæ paucô temporis ſpatiô incrementum ſumſerat, chirurgicis tamen inſtrumentis inciſoriis & aduſtoriis feliciter extirpata. Annô autem ſequente cùm catarrhi fluxiones ad pulmones irruerent, medicamentis cum China, Sarſapar. &c. paratis eas ceſsâſſe, ſed humerum dextrum moleſtare cepiſſe, & plurimis quidem adhibitis remediis, majus tamen ob humoris peccantis pertinaciam, ſemper augmentum ſuſcepiſſe, & quoniam ab uteri geſtationibus hoc tempore minimè fuerat immunis, graviditates & partûs ipſi admodùm moleſtos extitiſſe; & præcipuè tempore partûs, lochiis tamen naturaliter prodeuntibus, dolores & fluxiones incrementum habuiſſe, unde Menſe Septembri 1686. coacta fuerit in lecto decumbere, quô tempore epulis, gingivarum nimirum excreſcentia, verſus palatum increſcens ipſos-

ipſoſque dentium alveolos occupans, ac cavitatem oſſis mandibulæ ſuperioris ſubingreſſa, atque os ipſum extollens, tumorem durum indolentem produxerit, & circa oculi ejusdem partis orbitam, ne ipſe læderetur, cùm ad maturitatem quanquam imperfectam perveniſſet, inſtrumentô chirurgicô fuerit opus, & apertus tumor usque ad Patientis mortem absque alio detrimento patenti orificio ſervatus. Intereà verò ſæpè ſæpiùs ſingulis ferè ſeptimanis, & quandoque rariùs, ſingulis menſibus, dolor capitis gravativus & pungitivus per aliquot diei horas percipiebatur, atque hinc deſcenſum catarrhi, ac ſi eſſet aquæ frigidæ ſubita ac repentina effuſio à capite ad artus omnes, præcipuè verò dexteræ partis ſe manifeſtè perſentire ægra affirmabat, indeque dolores augeſcentes maximô cruciatu eandem medullitùs lancinantes, oſſaque è propriis locis divellentes ac contorquentes de die in diem tale augmentum ſuſceperunt, ut ne minimus pedis digitus ab Aſſiſtentibus absq; Patientis moleſtiſſimis angoribus poterat quamquam leviter manibus attingi; in oſſe ſacro, quod extra proprium ſitum, dolor adeò intenſus erat, ut Patiens immota prorſus in lecto reſupina decubuerit caput tantum & brachia ſine dolore nonnihil agitando; poſt aliquot menſes partem quoque ſiniſtram fluxiones invaſére; atque hinc cruribus & pedibus tumefactis, doloribus eorum aliquantulum ſedatis, paulatim totum ferè corpus, femora, vertebræ, coſtæ, ſcapulæ, & claviculæ proprium mutavêre locum, atque hinc reſpiratione redditâ difficili afflictiones indies augebantur. Quatuor abhinc menſibus brachium dexterum immotum & emaciatum redditum doloribus magis magisque afficiebatur, & paulatim ſiniſtrum quoque motum amittere incipiebat. Hoc temporis decurſu febres eam quandoque invaſerunt de genere pituitoſarum; utplurimùm cum nauſea comedebat, urinam reddebat copioſam, ſed non excedentem, ſæpè ſæpiùs crudam, aqueam, & pinguem; alvus rarò ex ſe reſpondebat, ſed glandibus & ſuppoſitoriis irrita-

ta,

ta, ſeu clyſteribus emollita fæces naturales emittebat, ac tandem die 16. April. 1688. poſt varias pectoris anguſtias, ac coſtarum & clavicularum oppreſſione ſubortâ, nec non viribus exſolutis emiſit ſpiritum. Poſt mortem obſervatô cadavere, crura cum pedibus, coxæ, & brachia præcipuè dexterum erant adeò ſecundùm omnem partem flexibilia, & mollia, ut quocumque ponerentur locô, eundem adamuſſim ſervarent, unde eorum oſſa mollia & carnoſa, juxta nonnulla ab Auctoribus tradita exempla, ut à Fernelio, Bartholino, Theophilo Bonetto, evaſiſſe fuit creditum, ob id dictis partibus cultrô anatomicô obſervatis, oſſa nedum crurum & femorum, ſed etiam brachii dexteri adeò mollia & rubicunda fuêre adinventa, ut ſubſtantiam carneam exactiſſimè ſecundùm omnes partes veluti gingivarum carnem, non autem muſculorum fibroſam referrent, quæ quidem tunicâ membranosâ erant obducta; eorum autem internodia, ut reliqua oſſa & vertebræ &c. non adeò mollia fuêre inventa, facilè tamen tangentium compreſſionem, & aciei cultri inciſionem patiebantur eisque cedebant: cranium & reliqua capitis oſſa mediocri erant prædita duritie; ad cranium autem diſſecandum ſerra parùm aut nihil, ſed ſolùm in occipite fuit opportuna, ferrô enim inciſoriô adinſtar corticis cucurbitinæ mediocriter duræ circulariter fuit reciſum. Viſcera omnia quoad ſenſus noſtros in ſtatu naturali; ſicuti etiam cerebrum & cerebellum ſenſibiliter intactum fuêre obſervata; ſeroſitas tamen in pauca copia inter piam matrem & cerebrum in parte poſteriori fuit adinventa; è carnibus autem, quæ cultrô anatomicô ſcindebantur, humor quidem pinguis, & veluti olei ſtillis aſperſus effluebat, ac tandem tumoris in maxilla ſuperiori factâ obſervatione, cavitate quæ reperitur inter palatum & os oculi orbitam in parte inferiori conſtituens, maximè adauctâ, unde tumore durô in gena ut diximus producto purulentam ad duas circiter uncias eundem continere fuit obſervatum; cutis corporis univerſa & in ea quoq; parte, ſuper quam conti-

muò immota decubuit, illæſa & abſque ulla noxa fuit inſpecta, quanquam linteum & anacliterium prorſus putridum ac corruptum ſub oſſe præſertim ſacro fuerit redditum.

OBSERVATIO CCXXXVI.
Dn. HIERONYMI AMBROSII LANGENMANTELII.
Noxa ſumtarum Cantharidum.

ERat Juvenis annorum viginti quatuor circiter, temperamenti calidi & humidi, otio ac Veneri deditus, quam ut accenderet, binas cantharidum drachmas vinô infuſas potavit, bis deinde libidini indulſit, ac demùm in animi ferè deliquio preſſus ad S. Spiritûs Noſocomium adductus fuit, in quo licèt variis dolorum cruciatibus premeretur, variis adhibitis remediis alterâ die convaluit.

[Exhibita A. 1689. 12. d. Mart.]

OBSERVATIO CCXXXVII.
Dn. Lic. ROSINI LENTILII.
Inſolita partûs humani via.

ISthæc Hiſtoria, cùm non ſit nova, eô tamen magis admirationem promeretur, quippe ante viginti quatuor annos, ſuperſtite adhuc muliere, geſta. *Maria Rögerinn*, Mercenarii *Höchſtettenſis*, oppidi *Palatino-Neoburgici* ad *Danubium* ſiti, uxor, quum annos eſſet 26. nata, & unius infantis Mater felix, tunc ſecundum gravida, poſt animadverſum in fœtu per aliquot ſeptimanas motum ſucceſſivè & ſenſibiliter detumeſcere abdomine cœpit, fœtu, ceu pondere, ad utrumlibet latus, cùm in lecto recubans ſitum mutaret mater, pereunte naturali motu, provoluto. Quô tamen inſuper habitô, cùm ad partûs legitimum tempus adhuc ſeptimanæ novem ſuper-

ſupereſſent, in templo corripitur horrore ſubitaneô; domum properanti ſupervenit æſtus, & abdominis brachiorumque quaſi ſuggillatio quædam, dum intenſiſſimè ruberent iſtæ partes: mox dolor in umbilico, diſparente protinus iſtâ ſuggillatione. Quum perduraſſet iſte dolor umbilici ad aliquot dies, accedente inſuper ejus tumore, animadvertit denique umbilicum tabum plorare, repertô proinde minutô foramine, infixô fusô (*eine Spindel*) curioſa, quousque penetraret, exploravit: Ortus inde cruciatus inſignis, & ſimul prodire viſa fœtus oſſicula, carne omni nudatâ, ſed colore nigerrima: oſſa primò brachiorum, & manuum, mox coſtæ, hinc vertebræ, poſt ilium, femorum & pedum oſſa, poſtremò omnium oſſa cranii, ſed hæc ultima, cum dolore ſcindente vix ac ne vix quidem tolerabili. Duravit autem ſucceſſiva iſthæc excretio per annum integrum, miſera ad internecionem ſubinde excruciata. Percepit aliquando ſummum inteſtini recti & profundum dolorem ad dies paucos, hinc excrevit os femoris, dolore quidem ſopitô, ſed ulcere fiſtuloſô adhuc dum apertô manente: Reliqua oſſicula omnia, omnia tamen nigra, per ipſisſimum umbilicum excreta, carne nudata, comitante tamen excretionem oſſeam ſanie multâ, cujus vis notabilis tunc quoque per muliebria manavit: Chirurgorum aliqui, exploratis oſſiculis, non niſi alterutrius cruris fibulam defuiſſe repererunt. Ab eo tempore miſerrima, cui ſit inſuper anguſta res domi, umbilici dolore, interdum tamen remittente, atrociſſimô torquetur, eòque atrociori, quò minùs diætæ obſervans eſt. Id verò prætereà mirandum exiſtit, alvi fæces ab eo tempore maximâ ſui parte per dictam umbilici, jam fiſtuloſi facti, aperturam erumpere, nec id quidem per vices, ſed continuatô motu, ſic ut vulnus deligare non liceat, ni velit auctum à denegato homerdæ exitu, dolorem; hinc utitur peculiari faſciâ, cum linteamine, in quod collectum ſtercus removetur ſubinde. Quid inteſtinis cum utero & vaſis umbilicalibus commercii? Potuerant enim oſſa per umbili-

bilicum exire ſalvis inteſtinis, ſiquidem corporis humani fabrica conſideretur. Agit iſta mulier annum jam quinquageſimum, vitæ tamen præoptans mortem. Nec quis de hiſtoriæ fide dubitet, quam ipſus ex miſellæ relatione hauſi.

OBSERVATIO CCXXXVIII.


DN. LIC. ROSINI LENTILII.

Anus hirciſſans.

MEmorabile juxta atque deteſtandum eſt facinus, quod vetula, quæ centeſimum ætatis annum jamjam compleverat, in memorato *Höchſtettenſi* diſtrictu haut ita pridem perpetravit. Adulterium nempe anus fœdè & inſolitè libidinoſa commiſit, cum duobus non minùs putidis ſilicerniis, utrisq; maritis, quorum alter 87, (octoginta & ſeptem) alter 76. annos numerarant. Reperti ſunt in ſylva coëuntes, quum inſuper petulca Tiſiphone ſuperincumbentem Demea identidem admoneret, ut impetu majori uteretur, ſe enim vix mutonem ſentire. Cùm in examen vocaretur res geſta, compererunt Judices, utrosq; iſtos non Suſannæ, ſed fœtidiſſimi, edentuli, corrugati & exſucci ſemicadaveris fraterculos, ab anu congreſſum ſolicitante, ſeductos fuiſſe. Dederunt autem facinoris nefandi pœnas.

[*Nerolingâ A. 1689. d. 15. Martii Noribergam miſſa.*]

OBSER-



p. 453.
Fig. 42.

OBSERVATIO CCXXXIX.
Dn. JOHANNIS MEYERI.
Fur è patibulo pendulus, in fago, naturæ penicillô, depictus.

FUrem è patibulo pendulum hîc ſiſto: quem non crimen ullum; non Judicis ſententia; non Carnificis manus miſerum fecit: ſed curioſorum admirationi caſus obtulit. Fagus arctiſſimô carcere conſtrictum, diu ſine dubio, detinuit; quem mechanici manus tandem liberavit. Cùm enim notiſſimus mihi hujus loci homo ligna faginea ſuis neceſſitatibus ſuoque uſui, nam faber lignarius eſt, his diebus emeret, ſelectis in uſus certos nonnullis, fruſtum inter alia offendit ſpiſſiùs; quod dum ſcopô certô aptare; illique aſcia demere nonnihil laborat, ſeparata ligni latera attonito oſtendunt id, quod delineatio Fig. XLII. exhibet. Mihi ligna ſtatim ab eo & amico, qui adſtiterat findenti alio ex meis ædibus, allata ſunt. Quæ eò curioſiori oculo contemplabar, quô plura ſe offerebant non indigna admiratione, quam provocabat tum ipſa ligni ſeparatio, tum feliciter eô præcisè locô facta, ut impreſſa imago in utroque ligni latere tam diſtinctè poſſet conſpici: tum origo etiam & cauſa tam ſignatæ effictionis me habebat ſolicitum. Exteriores enim ligni partes undiquaque perquiſitæ evincebant, delineata medio arboris quam cortici propiùs hæſiſſe; cum ab iſto ultra duas palmas verſus Medullam receſſerit. Nec dubiô carebat, quô pactô, ſi vel maximô cultrô vel inſtrumentô aliô arbuſculæ olim ſeparatæ facta inciſio ſupponatur, inciſionis notas arboreſcens fagus tam expreſsè ſervare potuerit. Dum hæc & alia ejus generis animum ſuſpenſum tenent, novam admirationis materiam idem faber lignarius exhibet, lignum nempe aliud, priori anteà cohærens, quod ſcalæ partem ali-

quam præ ſe ferebat, quâ in ſuſpendio Carnifices uti ſolent, ſed à lignatoribus variè mutatæ. Figuræ ipſæ non adeò profundè ligno immiſſæ ſunt; ſub nigro colore conſpicuæ; ejus præcisè magnitudinis & ſitus, prout in ſchemate cernis. Reliquæ ligni partes conſuetum lignô faginô colorem ſervant. Quare cùm videam Miſcellanea curioſa naturæ Curioſorum ad annum ſextum p. 9. ſeqq. ſimile quid retuliſſe; nec præstereà Illuſtres Legatos aliosque nobilioris ordinis hîc degentes, viſu & examine indignum quicquid hoc inſoliti eſt judicâſſe, Veſtro quoque, Viri Celeberrimi, judicio ſiſtere hunc judicatum volui.

[*Ex literis ad Dn. Joh. Chriſt. Sturmium Profeſſ. Mathem. Altdorff. d. 18. Mart. Ratisbonæ datis, inde Noriberg. d. 27. Mart. miſſis ad Helianth. I.*]

Fig. XLII.

OBSERVATIO CCXL.

D. DANIELIS CRüGERI.

Contra lumbricos remedium novum.

VAria habemus uſualia medicamenta contra lumbricos, ſemen ſantonicum, corallinam &c. verùm exotica quærimus & domeſtica negligimus. Cùm peregrè ad Paſtorem in Bôk vocarer, mirandum exemplum contigit: Filius ruſtici cujusdam diu languidus ægrotavit, diuque de torminibus tumore & roſionibus ventris conqueſtus eſt, tandem pater ſarmenta lupuli vetuſta in fornace combuſſit, & cinerem non exactè tamen combuſtum puerulo, cum lacte propinandum, porrexit; Ecce tanta exinde farrago lumbricorum prodiit, ut omnes in admirationem inducerentur; quô viſô & aliis in pago hic pulvis puerulis exhibitus eſt, ſemper lumbricis prodeuntibus; quod jam de ſarmentis dixi, id Matthiolus de ſemine lupuli pronuntiat his verbis: Semen tritum & potui datum ſemidrachmæ pondere intera-

interaneorum animalia necat. Verùm quis domeſtica in uſum revocat? quæ aliquando præſtantiorem habent effectum quàm exotica.

OBSERVATIO CCXLI.
D. DANIELIS CRüGERI.
Præſtantia Balſami de Tolu.

VIdua Domini Kroloffs incidit in tumorem totius ventris inſtar hydropis, ventriculi debilitatem, menſium paucitatem, inflationes & tormina inteſtinorum. Primò ordinatus eſt Nodulus laxativus; verùm tumore abdominis permanente, propoſui ut omni manè de Balſamo Tolutano fabæ magnitudine uteretur in juſculo, hôc remediô per duos menſes continuatô, ab omnibus querelis & â tumore abdominis liberata eſt, atque anteà per ſex menſes hypocauſtô non egreſſa, poſteà templum frequentavit. Ex hoc remedio alvus quotidiè laxa, aliàs ſæpè per triduum obſtructa, urina etiam liberalior & fragrantior reddita eſt. Conqueſta primùm fuerat, quòd ex ſublatione ponderoſioris materiæ omento vim fecerit, itaque huic mulieri tanquam in morbo inveterato & velut deſperato ad ſanandam læſionem qualemcunque hunc Balſamum propoſui. Cui Gratia DEI benedixit.

[Stargardiâ Noribergam 1689. d. 28. Mart. miſſæ.]

OBSERVATIO CCXLII.
D. JOH. MAURICII HOFFMANNI.
Oſcheocele horrenda cum hydrope aſcite.

PIſtor quidam Laufenſis, ſexagenario major, plures ante annos ex ſaccorum frumento repletorum graviori elevatô pondere enterocelen inguinis ſiniſtri ſuſcepit, quam qui-

quidem bracherio paſſim notô ita coërcuit, ut nec ambulationi nec equitationi aliisque perficiendis laboribus impedimentô fuerit: Sed ecce cùm bienniô abhinc fortuitô, admodùm tamen gravi, in dorſum lapſu ruiſſet, bubonocele in oſcheocelen tranſiit, atque quia magna inteſtini pars per proceſſum vaginalem nimium quantum lapſus impetu dilatatum vel potiùs ruptum egreſſa Chirurgi dein advocati operâ, repoſitionem renuit, miſerrimè vivere cœpit afflictus, inteſtinis reliquis incumbentibus ſemper magis magisque extra abdomen, quà data porta, prorumpentibus; quinimò ſcrotum inteſtinorum prolapſorum mole in tantam jam diſtentum eſt amplitudinem, ut capitis humani etſi prægrandis magnitudinem longè excedat, ad contactum durum, & quaſi carnoſum, venis varicoſis hinc inde interdiſtinctum, pondere autem ex ægri ipſius judicio viginti quinque libras & ultra adæquet. Porrò membrum, à quo viri denominantur, genitale introrſum retractum obtutum prorſus fugit, nec aliud ejus viſitur indicium, quàm circulus rugoſus, ex cujus medio ſtillat potiùs quàm effluit urina fervida & acris. Sed & iſthæc calamitas ſola haud eſt, abdomen ſiquidem præcipuâ inteſtinorum parte deſertum aſcites tenet. Certè humanæ miſeriæ ſpectaculum divinâ miſericordiâ dignum, quam etiam patiens unicè implorat, ideoque cùm ad eundem petentem haud ita pridem inviſiſſem, non aliud deſideravit medelæ genus, plurimis antehac aliùnde admiſſis remediis, quàm ut dolor ſcroti aliquantiſper demulceretur, & alvus durus lubrica redderetur, quod etiam cataplaſmatibus & fomentis emollientibus ac anodynis, ſimilibusque clyſteribus, quantum licuit, præſtiti.

Videatur Figura XLIII. quæ calamô deſignata repræſentabit.


a. Circulus rugoſus
urinæ ſtillanti patulus.
b. venæ varicoſæ.
Fig. 43.
ad pag. 456.
a
b
Fig. 44. p. 460.
a
b
c
d
e

SCHOLIUM.

OScheocelen ejusmodi enormem deſcripſit atq; delineari curavit Jobus à Meekren, quæ vid. Obſervat. Medico-Chirurgic. poſthumarum c. 5. p. m. 362. ubi tamen duo à noſtrâ præmiſsâ obſervatione diverſa annotata leguntur: 1. quòd tumor ille quoties in ſcroto appareret, venter adeò detumuerit, ut etiam manu planâ premendo vertebras lumborum attingere licuerit: 2. quòd ubi tumorem humi tollere ægro libuerit, elevatione leni omnia inteſtina in ſcrotum elapſa per peritonæi patentem valdè aperturam facillimô negocio ventrem repetierint, nec ullâ in hac reſtitutione moleſtiâ æger affectus fuerit, niſi quòd, ubi inteſtina repoſita diaphragma attigerint, animi deliquium non leve incurrerit, cùm aliàs ipſe hilari animô ſemper extiterit, atque ad opera navalia promtus, ut etiam malos conſcendere eâ celeritate dexteritateq; potuerit, quâ nullus ſociorum.

Fig. XLIII.

OBSERVATIO CCXLIII.

D. JOH. MAURICII HOFFMANNI.

Teſtium tumor & ſingularia alia conjuncta pathemata.

VIr juvenis illuſtri ſtemmate natus, temperamentô melancholicô-pituitoſo præditus, annum ætatis agens vigeſimum octavum, cùm antehàc per intervalla pollutiones nocturnas habuiſſet, ſemine profluente quandoque naturali albo, quandoque viſcoſiori gryſeô; iisdem ceſſantibus, poſt iter celeribus equis exactum, inſignem derepentè ſuſcepit utriusque teſticuli tumorem, ovi gallinacei magnitudinem ferè adæquantem, à ſanguine acidô-viſcoſiori per arteriarum ſpermaticarum propagines copioſiùs influente,

te, materiâque ſeminali intra tubulos ipſam ſeparantes & digerendo elaborantes magis rarefactâ aut liquatâ (ad utrumque diſponente prægreſsâ agitatione & concuſſione) enatum. Aderat ſimul dolor tenſivo-gravativus & pulſatorius, qui tamen mox ſubſidente & in arctiorem ſphæram ſeſe contrahente teſticulô ſiniſtrô remittebat, dum tumor perſiſtebat dextri teſticuli ſcirrhi indolem poſteà nactus, & jam ultrà annum pondere ſuô gravis. Intereà autem cœperunt denuò poſt inſomnia venerea Illuſtrem ægrum jucundæ titillationis illecebris ſæpiùs excitare pollutiones nocturnæ, quæ quidem communiter ſic dictæ & veræ neutiquam fuerunt, nam etiamſi afflictus in urethrâ ſeminis quaſi profluentis motum perſenſerit, ne guttula tamen profluxit, ut proculdubio halitus ſaltem ſpirituoſus & tenuis, auræ ſimilis, â ſemine, ob viſcoſitatem intra tubulos veſiculasque ſeminales coërcito, dimiſſis per urethram expiraverit, utroque teſticulô ſolitô magis (quoties id obtigerat) ſemper intumefactô. Acceſſit poſteà cirſocele, dextri præſertim teſticuli, culpâ ſanguinis ſpiſſioris vitioſi intra venarum ſpermaticarum mutuis ſurculis implicitarum anguſtias hærentis valvulasque prementis inducta. Sed & adhuc aliud ex malo natum malum, teſticulus nempe dexter tumore ſcirrhoſo ultra modum diſtentus ex rupturâ tunicarum in parte ſui imâ factâ, indeque ſubſecutâ lymphæ nutriciæ tardè retrogradæ emanatione excreſcentiam carnoſam veluti ſarcocelen paſſus eſt, quæ ſcrotum cæteroquin contractius coalitu ſibi proximô junxit. Pertulit hæc omnia Illuſtris Patiens æquô animô, & diutius pertuliſſet, niſi ex equitatione, vini potu, & aromaticorum aliorumque ſemini aut materiam aut ſpirituaſcentiam uberiorem ſuggerentium eduliorum uſu tumoris in dextro teſticulo augmentum nec abſimilem in ſiniſtro magnitudinem ſeſe exſerentem præternaturalem, dolore ſat exquiſitô comite ſenſiſſet. Moleſtiarum igitur pertæſus me vocavit in conſilium, tùm circumſtantiis omnibus probè penſitatis, imminutô primùm per

modi-

modicam Venæ ſectionem ſanguine, atque exhibitis per intervalla Pilulis Tartareis Bontii, præſcripſi medicamenta ſanguinem acido-viſcoſum corrigentia & reſolventia, tùm ſpeciatim Catechu ſive Terram Japonicam cum Antimonio Martiali diaphoretico copulatam, quâ herniam varicoſam in Studioſo quodam Excellentiſs. Dn. D. Wedelium feliciter curâſſe ex Ephemerid. Nat. Curioſ. Decur. I. Ann. II. Obſervat. 131. memorat Celeberrimus Dn. D. Ehrnfried Hagendornius in Tr. Phyſico-Medico de Catechu Sect. IV. c. 2. Art. 3. S. 9. p. 68. cui poſteà ſubjunxi Rad. Ononidis Pulverem Elæoſaccharo Cinamomi permixtum, aliàs contra herniam carnoſam laudatiſſimum: Exteriùs ſcroto admoveri juſſi Emplaſtr. ex Gumm. Ammoniac. Bdell. Galban. ā̄ā. ℥ß. Axung. anat. ℥jß. Ceræ Citrin. ℥ij. Ol. Lil. alb. Medull. crur. bovin. ā̄ā. ʒx. L. a. confectum. Quibus uſurpatis remediis tumor teſticuli dextri ſenſibiliter ſubſedit, duritiesque contactui paululùm cedere viſa eſt, poſt aliquot verò elapſos dies eô locô, quô ſcrotum eidem cohæſerat teſticulô, foramen exiguum ſpontè ſe aperuit, per quod dein ſenſim ſenſimque materia non purulenta, ſed chyloſa candida, & ut propriò compelletur nomine ſeminalis cum εὐφορίᾳ effluxit, continuavit etiam fluxus talis per aliquot hebdomadas, demùm foramine rurſus ſe claudente deſiit, pejoribus tamen Ægri Illuſtris redeuntibus rebus, ex hoc etenim tempore denuò in tumorem ampliorem aſſurgere cœpit teſticulus non ſolùm dexter, ſed & ſiniſter; novô pathemate, ne calamitas ejusmodi ſola eſſet, ſimul emergente, dum Illuſtris Patiens poſt ſomnum exactum manè derepentè aliquoties ἀναισθησίᾳ quâdam prehenſus eſt, cum membrorum omnium rigiditate, ſubitò tamen rurſus evaneſcente, ſudore ſyncopticô circa frontem & jugulum erumpente; Cui quidem afflictioni acidum coagulativum in nervoſo ſanguineoque genere peccans arguenti obviam itum eſt Pulvere abſorbente nervinô Cinnabarinô, & Spiritu Salis Armoniaci ſuccinatô cum Tincturâ mihi uſuali anodynâ permixtô,

horumque uſui pernicioſum iſtud pathema mox ceſſit. Tunc autem propter motûs bellicos ex improviſo exortos Illuſtris Patiens à colloquio meo & commodo Epiſtolarum commercio divulſus eſt.

OBSERVATIO CCXLIV.
D. JOH. MAURICII HOFFMANNI,
De
Calculis bilioſis per alvum excretis.

MAtrona nobilis cùm diu querelas moviſſet de dolore tenſivo & vellicante ſub hypochondrio dextro anteriora verſus moleſto, tandem plures calculos exiguos flaveſcentes, bilis calculoſæ fœtus, per alvum excrevit, ex veſiculæ priſtino hoſpitio per meatum cyſticum ad choledochum ductum & duodenum inteſtinum propulſos.

OBSERVATIO CCXLV.
D. JOH. MAURICII HOFFMANNI,
De
Chalazæ alterius in ovo figurâ ſingulari.

IN binis illis corpuſculis candidis vitellum cum albumine connectentibus, & ex eorundem membranis in nodos inſtar funiculi contortis viſis, quæ Chalazæ propriô denotantur nomine, naturam etiam quandoque ludere, haud ita pridem in ædibus paternis fortè fortunâ contemplatus ſum; nam cùm ad uſum culinæ ancilla ovi effregiſſet teſtam, en Chalazarum altera in longitudinem inſignem protenſa extremitate ſuâ libera capitis humani formam non obſcuris exhibuit lineamentis, atque adſtantes & poſteà advenientes ſpectato-

ſtatores mecum in admirationem rapuit, prout ex appoſito ſchemate à ſolertiſſimo pictore noſtro Dn. Deslero deſignato conſpici poterit: ubi lit. a. vitellum monſtrat, b. & c. Chalazas indicat, d. ideam vultus humani oſtendit, e. capillorum adumbrat faſciculum, colore flavô tunc viſum.

Fig. XLIV.

OBSERVATIO CCXLVI.

D. JOH. MAURICII HOFFMANNI,

De

Cartilagine mediâ oſſium pubis in primiparâ poſt mortem molli & ſpongioſâ.

Oſſa pubis in partu difficiliori ab invicem divelli ſunt è veteribus æquè ac recentioribus plures qui affirmant, plures qui negant. Priores in compendio recenſet, adductis ſimul rationibus ὁμόψηφος Isbrand. Diemerbröck Anatom. lib. IX. c. 16. p. m. 552. Vid. etiam Diſſertat. meæ Anatomico-Phyſiolog. ad Joh. van Horne Microcoſmum annotatæ p. 99. Poſteriores diſſenſus ſui rationes regerunt ſequentes: Nempe, ſi oſſa pubis ab invicem ſejuncta in partu dehiſcant, ajunt, aut ita ſeparata manere, tuncque ingreſſum neceſſariò vacillaturum, ſicuti in canibus femellis experimentô inſtitutô ſe cognoviſſe Anton. de Marchettis Anatomicus Patavinus celebris perhibuit; aut ſi conjungantur, calli beneficiô coaleſcere, futurô ſubſequente partu ob calli protuberantiam & denſitatem uſque difficiliori. Dicam, ſalvâ aliter ſentientium autoritate, ego quæ ſentio, nimirum cartilaginem mediam oſſium pubis in juvencis feminis ab humiditate allabente laxiorem redditam ſequacem eſſe, & elongationem aliquam ſive diſtenſionem in partu ob fœtûs ma-

gnitudinem vel ſitum incongruum difficiliori, (citrà tamen manifeſtam continui ſolutionem vel perruptionem) admittere; hacq́ue in opinione me confirmavit infanticida primipara annô ſuperiori à me diſſecta, ubi cartilago συγχόνδρωσιν oſſium pubis ſuſtinens mollis & ſpongioſa ſive cavernuloſa adhuc extitit, ut ad levem cultri contactum mox ſeceſſerit; ſed & ὡς ἐν καιρῷ recordor, erinacei ante aliquot annos poſt partum cultrô Anatomicô ſubjecti, ubi oſſibus pubis ad latera depreſſis cartilaginem mediam in formam membranæ (oder wie ein Pergament) diductam deprehendi.

OBSERVATIO CCXLVII.
D. JOH. MAURICII HOFFMANNI.
Repentina ex dolore Iliaco mors.

VIr honeſtus bubonocelen inguinis dextri antehàc perpeſſus, ex ponderis gravioris elevatione tumoris adauctam magnitudinem cum dolore acutiſſimo ſenſit, huncq́ue colicam eſſe ſibi perſuaſus, ex cujus neſcio conſilio magnam boli rubri quantitatem cum Aq. vitæ vulgari hauſit, ſed & neglectâ inteſtini ulteriùs prolapſi repoſitione fomentis atque cataplaſmatibus calidioribus eandem à balneatore demulceri voluit, acceſſerunt mox vomitus crebriores, alvi ſuppreſſio, palpitatio cordis, & extremorum refrigeratio; cùmq́ue ſecundâ inſecutâ nocte demùm accerſitus eſſem, ex pluribus aliis indiciis gangrænam inteſtinalem præſentem perſpexi, mortemq́ue prædixi futuram, quæ, juxta præſagium meum, poſt duodecim horarum ſpatium advenit.

OBSERVATIO CCXLVIII.
D. JOH. MAURICII HOFFMANNI.
Liquor & Sal volatile Meliſſæ.

AD imitationem proceſſus per fermentationem & putrefactionem Sal volatile ex plantis viridibus eliciendi, quem in Transactionibus Philoſophicis Anglicanis d. 25. Martii An. 1674. Dn. D. Cox recenſuit, atque inde excerpſit Excell. Dn. D. Wedelius in Experiment. Chemici novi de Sale volatili plantar. c. 3. p. m. 24. aſſumſi aliquando Menſe Auguſtô Meliſſam, cujus folia à caulibus ritè ſeparata cucurbitæ vitreæ ampliori injeci, hanc verò ultra medietatem repletam dein exactè clauſi, ventrique equino per menſes circiter ſex commiſi, ſic demùm evenit, ut Meliſſa, quæ primùm marceſcere dein ſitum contrahere inceperat, tandem in pultis formam redacta fuerit. Eam igitur retortæ injeci, & deſtillatione ex arenâ inſtitutâ liquor gravis empyrevmaticus prodiit, ultimòque igne adauctô oleum nigrum fœtidum inſtar lamellarum tenuiſſimarum liquori innatans erupit, remanente in fundo retortæ capite mortuô nigrô, quod prunis injectum fumum tabaci exquiſitè æmulum ſparſit. Cæterùm quia in primâ hâc deſtillatione nondum Sal volatile conſpectum ſubierat, placuit partem aliquam liquoris ulteriùs diverſimodè experiri: Is autem 1. guſtui acrem inprimebat ſaporem; 2. odorem fracidum empyrevmatico-urinoſum naribus offerebat; 3. ex inſtillato in uno vitro Spiritu Vitrioli rectificatô nulla exſurgebat efferveſcentia dignoſcenda, color tamen ex pallido flaveſcens mox in egregiè rubentem & pellucidum inſtar vini rubelli Tuberani transmutabatur; 4. Clyſſus Antimonii ſulphuratus inſtillatus nullam introducebat mutationem; 5. Spiritus fuliginis celeri lapſu in alio vitro alii liquoris portioni admixtus efferveſcentiam pariebat inſignem, turbidô remanente liquore inſtar muſti, aſſur-

aſſurgente inſimul Sale volatili acri nares graviſſimè ferientе; 6. ſimile phænomenon dabat Spiritus C. C. inſtillatus; 7. liquoris prædicti parti Sal Tartari fixum injectum aliqualem excitabat efferveſcentiam. His peractis reſiduum à primâ deſtillatione liquorem phiolæ oblongæ infudi, & impoſito alembico rectificationem per arenam intendi, atque ecce in ſublime aſſurrexit Spiritus, ſtriis oblongis aliquantulum intortis per alembici capitellum depluens, idemq́ue ſapore equidem præ primo neutiquam eminebat, odore tamen ſalino-urinoſo magis pollebat, & ab aſſociatis Spiritus Vitrioli guttulis efferveſcentiam concipiebat, nullam contra notabilem à Spiritu fuliginis. Sed necdum Sal volatile diſtinctè conſpiciendum voti me compotem reddiderat, id propter liquorem ſpirituoſum ſecundà deſtillatione ſeu rectificatione prolectum denuò phiolæ altiori infudi, tunc leni igne ſublimatum & collo phiolæ ſuperiùs appulſum adhæſit Sal volatile album, ſtriis cryſtallinis nitidiſſimis conſpicuum, quod ſubſecutus Spiritus diluit ſecumq́; in excipulum evexit.

Jam verò ſicuti ex præmiſſo proceſſu patet, fermentationem & putrefactionem neceſſariam eſſe, ut particulæ ſalinæ volatiles aqueis acidis terreisq́ue immerſæ explicentur, ita videtur in liquore primùm deſtillato nulla ab acidis inſecuta efferveſcentia, quia phlegmate eôque acidulô idem abundaverat, cujus interventu acida inſtillata cum Sale volatili deliteſcente nimiumq́ue dilutô congredi non potuerunt, contrà cum Spiritibus volatilibus urinoſis, & Sale lixivo, tunc phlegma acidulum, efferveſcentiæ motum mox iniit, ſecùs ac in liquore per ſecundam deſtillationem à phlegmate acido in phiolâ relictô mage ſeparatô ſicq́; Sale volatili concretatô ſaturatiori evenit, qui ab acidis efferveſcentiam concepit. Quod autem in ſecunda demùm rectificatione repetitâ, Sal volatile ſeſe diſtinctè conſpiciendum præbuerit, ideò factum conjicio, quia tunc demùm idem ab aquearum particularum, quibus immerſum erat, conſortio citiùs liberari potuerit, quàm ut

hæ

hæ ipſæ ſimul in ſublime raperentur. Cæterùm id ſilentiô quoque haud prætereundum eſt, in ultimâ rectificatione Oleum æthereum ſatis penetrans ſimul prodiiſſe, non tamen nigrum & empyrevmaticum, quale in primâ conſpiciebatur deſtillatione, ſed reverà eſſentiale citrinô colore præditum; notavitque Dn. D. Cox, Oleum ex vegetabilibus, quod in primâ deſtillatione ſimili modô adornatâ obvenit craſſum nigrum & fœtidum, ſi cum Sale volatili jungatur, ſæpiùsq; rectificetur maximam partem in Sal faceſſere.

[Altdorffio A. 1689. d. 3. Maji Noribergam miſſæ.]

OBSERVATIO CCXLIX.

D. JOH. GEORGII VOLCKAMERI, Sen.

De

Lapillis Limacum.

MAgnô meô quondam cum amico, Exc. D. Joh. Hellwigio, (cujus in arte medicâ exercendâ dexteritatem, atque excolendo in naturæ ſtudio induſtriam Obſervationes ejus à Celſo noſtro Anno 1680. editæ teſtantur,) de lapillis Limacum poſtquam diſcurrere occaſio nata fuit, quid idem poſteà ad me de iisdem ſcripſerit, Curioſo Lectori haud ingratum fore credidi, ſi communicavero, ſic autem is d. 8. Cal. Novembr. An. 1647. P.S. Vir Clariſſime, Collega amiciſſime. Sermones noſtros de lapillis limaceis recolens ego, ſtatim deſideriô arſi ſciſcitandi, quinam veterum aut neotericorum de illis mentionem fecerint; pervolvens ergo pro temporis modulô curtam librorum meorum ſupellectilem, præter Plinium, Montuum, & Boëtium de Boodt, invenio neminem. Et Montuus quidem uſum tantùm indicat? Plinius autem & Boëtius ſimul locum natalem, ſed paucis. Verba Plinii ſunt lib. 29. hiſt. nat. c. 6. *Capitis doloribus remedio ſunt cochlearum, quæ nu-*

„ *dæ inveniuntur, nondum perfectæ, ablata capita, ex his lapi-* „ *dea duritia exempta (eſt autem calculi latitudine) quæ alli-* „ *gantur, & minutæ fronti illinuntur tritæ.* Super quæ Dale- „ champius ex Sereno de medendo capiti verſum hunc anno- „ tavit: *Profuit & cochleis frontem tractare minutis.*
„ Paulò pòſt eôdem locô ſcribit Plinius: *Limacis inter duas* „ *orbitas inventæ oſſiculum per aurem cum ebore* (ſcil. in capitis „ doloribus) *vel in pellicula canina adalligatum, quod reme-* „ *dium pluribus ſæpèq; prodeſt.* Idem lib. 30. c. 15. *ad eundem* „ *uſum* (dentitionem facilitandam) *Limacis* (Dalechampius: „ quæ nuda ſerpit) *lapillum ſive oſſiculum, quod invenitur in* „ *dorſo.* Boëtius de Boodt l. 2. de lapid. & gemm. c. 189. lon- „ gè aliter: *Limaces*, inquit, *qui cochleâ carent, ac in ſylvis ac* „ *locis ſubterraneis fuſci coloris, inveniri ſolent, in capite la-* „ *pillum habent, qui geſtatus quartanam ſolvere dicitur.* Hie- „ ron. Montuus l. 4. de febr. cap. 10. refert ex Cardano Lima- „ cium lapillum alligatum in quartanis prodeſſe. Hæc ob- „ ſcura ſatis, quæ αὐτοψία & experientia nobis clariora red- „ dunt. Nam Patavii cùm degebam, ſæpiusculè vidi ejusmo- „ di lapillos pro amuletis in febricitantibus appenſos; à qui- „ bus edoctus, menſe Auguſtô fortè evenit, ut in hortulo ho- „ ſpitio meo contiguo, in Limacem quendam cochleâ ſive „ teſtaceâ ſuâ domunculâ adhuc carentem inciderem, qui co- „ loris quidem fuſci, & lineamenta cochleæ ſubnigra tantùm „ in dorſo citra omnem extuberantiam geſtabat, quales ple- „ rumque hoc menſe & ſubſequenti Septembre inveniuntur. „ Hunc in menſam ponens, caput ſuperiùs cultellô interſe- „ cui, ubi primùm humor tenuis ſubalbidus effluebat, quem „ craſſior colore albuginis ovi lixati, ſubſtantiâ paucus ſubſe- „ cutus; hic intra horæ quadrantem in eam duritiem coaluit, „ ut meritò pro lapillo haberetur, magnitudine unguis mi- „ nimi infantuli, colore pellucidus. Hunc lapillum, quem „ Plinius etiam oſſiculum vocat, Itali plerunque contra fe- „ bres tertianas nothas & quartanas è collo nudo ſuſpendunt,

„ ita



Fig. 45. pag. 467.

„ ita tamen, ut lapillus præcordia tangat, hisque in morbis mi-
„ rificum illi tribuunt effectum, quod & ipſe in duobus febri-
„ citantibus probè exploratum habeo. Num & in aliis affe-
„ ctibus, quos Plinius narrat, quicquam proficiat, me ſanè
„ latet; nec licuit hactenus ob lapilli raritatem & paucitatem,
„ cùm teri debet, experimentum aliud facere. Cæterùm hunc
„ ratione tam originis, quàm ſubſtantiæ ſuæ frigidum eſſe, ef-
„ fectus ſimul ſuadent. Sed num analogiam cerebri hic hu-
„ mor in animali illo habeat, divinari libet, quia hac in par-
„ te, capitis ſcilicet, ubi cornicula prominent, magis quàm ali-
„ bi ſentit, idque procul dubio ob ſedem ſeu officinam facul-
„ tatis ſenſibilis, quæ & proximioribus partibus majores &
„ nobiliores ſenſus participat. Eandem in febribus efficaciam D. Autor noſter in prælaudatis Obſervat. pag. 418. deprædicat; ubi etiam ſuum in Scholio Celſus noſter judicium ſubjunxit.

OBSERVATIO CCL.

D. JOH. GEORGII VOLCKAMERI, Jun.

De

Germinatione Nucis Coccos.

EFfigies hæc eſt Nucis Coccos ſeminatæ in horto Medico Amſtelodami celeberrimo è terrâ prodeuntis delineata, qvæ biennii tempore ulnæ unius cum qvartâ altitudinis, crevit, folia verò tres ulnæ quadrantes longitudine adæqvant. Nux ipſa vergente jam ad autumnum annô in terram lateretenus, oculô majore ſurſum verſô, minoribus reſupinatis locata, ex altero inferiori caudicem protrudit, cujus pars altera deorſum radicem efformat, ſicut figura ejus XLV. demonſtrat, terræq; ſe inſinuat: altera ſurſum tendens ramum ambit, & circa ipſum ſe volvens folium efficit; quod ſi deciduum fiat, nodum quendam effingere videtur. Terra

reqviritur ſatis pingvis, nux verò benè decorticata, & liberata à ſuo fibroſo involucro, qvàm recens haberi poterit, & liqvoris intùs fluitantis non penitùs expers terræ committi debet, tunc ſpe non vanâ lactabit hortulanum ſuum: (*Ex relatione Nicolai Dumbstorffii, Pharmacopœi Amſtelodamenſis ſolertiſſimi m. Novemb. 1688.) Noribergam miſsâ.*

Fig. XLV.

OBSERVATIO CCLI.

D. JOH. GEORGII VOLCKAMERI, Jun.

De

Folio Salviæ glandifero.

Elleboro ſanè mitigandos crediderim quosdam per Microſcopium Philoſophos, qui dulcedine mentiendi eò provecti ſunt, ut ex pulice petulanti camelum, ex animali ſcutigerulo ſubſordentium quandoque tunicarum rugis, nidificante Rhinocerotem peltatum, aut Elephantem, ut ita loquar, effingerent. Tantum illis poëtica permiſit licentia: Sed abſit, talia ominemur de iis, quorum ſtupenda induſtria ſtructuram interiorem nudô oculô vix conſpicuorum corpuſculorum nobis fideliſſimè detegit. Quid enim accuratiſſimus Borellus hác in re præſtiterit, nemini ignotum; nec reticendus Dn. Grevv. in the Anatomy of Vegetables, cujus mirandæ perſpicacitati debemus, plurium ſub Sole luxuriantium vegetabilium enucleatiorem conditionem. Quam ſalubri haruſpicinâ exta animalium fuerint inſpecta ab oculatiſſimo Malpigio, patet ex ipſius operibus incomparabili labore congeſtis; Hic ſiquidem non ſatiatus in perveſtigandis minimis ac ipſos oculos fugientibus fibrarum lineamentis, plantarum quoque interiora rimari cepit, ut videre eſt in doctiſſimo ejus tractatu de Plantar. Anatom. Obſervavit inter alia prælaudatus Author in Evonymi foliis innumeram ocu-

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY




Fig. 46.
pag. 469.

oculorum congeriem, item in folio Quercûs, &c. quæ tandem temporis tractu ſupercreſcente armantur tumore, quam gallam vocant, exinde verò erumpens, dum viam ſibi parat vermis in muſcam transmutatur. Haud abſimilem præter arbores patiuntur ſortem herbæ quædam, ut ipſe author obſervavit, & mihi præteritô ad ſenium inclinante annô videre contigit in Salvia glandifera, cujus folium, ut ſeſe oculo Microſcopiô armato repræſentavit, præter inæquale tumorum ornamentum, magnam conicorum quaſi & aculeatorum proceſſuum congeriem exhibuit; Simili labe folii pediculum affici conſpexi, qui præter ſupradictam conicam congeriem muſcô quaſi coralloide obſitus, deprehendebatur, lanuginem, ſi nudô concipiatur oculô, conſtituente. Ovula ſubinde in magna ſat quantitate pronæ folii parti ſuperſtrata vidi, albicantia ac margaritarum ad inſtar gliſcentia, harum quædam apicibus iſtis conicis firmiter adhærebant, quædam verò longiùs remota contabefacta cernebantur. Augurari hinc licebit, ovula hujusmodi ab animalculorum circumvolitantium, muſcarum in ſpecie incubatu deponi, quæ acriori exhalante ſpiritu teneriorem plantæ ſuperficiem vulnerant, vulneratæ novam fermentationem inducunt, atque ita varias excreſcentias morboſas vel præternaturales foliorum contracturas cauſantur; quæ magis magisque incrementum capiendo in quercubus gallam conſtituunt. Interim ſucceſſu temporis adultior factus vermis è latebra viam ſibi pandit & ſtupenda metamorphoſi in muſcam transmutatur, quæ leviſſimô ſuô volatu aëra ſulcando, novum ſibi hoſpitium quærit, pronamq; oculis ſuis excipiendis plantam, cui poſt congreſſum cum ſui generis inſectulô factum nova agglutinet ſeminia. Ita ſeſe res cum Salvia baccifera habere videtur. Nam excreſcentiæ, quibus hæc planta ſæpiſſimè deformatur, nunquam non in ſinu fovent vermiculos, & deniq; muſcas, quorum incubatu de novo folia imprægnantur, atque ita tuberculis hinc inde malè deturpantur. Fig. XLVI.

OBSERVATIO CCLII.

D. JOH. PAULI WURFFBAINII,

De

Abdominis tumore Steatomatico, in puerulo nondum trienni, raro & admirando.

CUm ante Triennium Menſe Novembris Epilepſia ex vermibus laborantem puellam, in loco illo, quem Pegneſis noſtra Inſulæ inſtar divaricatis ambit brachiis, die Schütt und Thannen-Gärtlein dictô, viſitâſſem, aderat vicina quædam fœmina cum filiolo duorum annorum cum dimidio ob formæ elegantiam, genas roſeas, capillos niveos pulchrèque intortos, ferè amabili & gratioſo, cujus formoſitatem fixis ſanè oculis aliquandiu ſum contemplatus, ac publicè coram adſtantibus admiratus; qui miſerrimum eum eſſe ſtatim regeſſerunt, & elevata ad terram usque propendente ejus togâ, abdomine denudatô, quid de hac rerum facie ſentiam, quæſiverunt? obſtupui, nec tantum hominis monſtrum in tam amabilis faciei puerulo unquam ſomniâſſem: abdomen enim prætumidum ultraque genua propendens, ob venas epigaſtricas calami ſcriptorii inſtar inflatas & varicoſas, ex albo, cœruleo & ſubrubente colore variegatum erat, contactu durum, vixq; digitis cedens, pedes verò œdematoſi, digitorum veſtigia aliquandiu præ ſe ferebant; ibat, dormiebat, edebat, puerulus, & quidem avidiſſimè, à capite, ad calcem usque diei, nunquam ſatiatus, plura ſemper appetens; vix tamen ei fortioribus licèt pro tanta ætate remediis purgantibus à Medico ejus ordinario Excell. Dn. D. Chriſtophoro Friderico Grubero, Collegâ & Fautore meô amiciſſimô, præſcriptis, ſegnior ſolvebatur alvus, hinc inde tamen de aliquali abdominis dolore & difficili admodùm reſpiratione, ſubitò

bitò cum inſigni clamore, effuſis conquerebatur lachrymis. Lumbricos, fateor, unicè hîc tantorum ſymptomatum non absque ratione credidi eſſe cauſam; dimiſi tamen matrem, filiumque cum prognoſtico, utque Medici ſui ordinarii antè laudati remediis ac conſiliis ſaluberrimis inſiſterent porrò, monui; rogavi verò Amiciſſimum Dn. Collegam meum, ut defunctô aliquando puerulô, cadaver ejus ad interanea inſpicienda, inque cauſam morbi curatiùs inquirendi licentiam ſibi exoraret, meque in hoc negotio fidelem jungeret amicum: qui pro nota ſua & innata curioſitate facilè annuit, & emigrata poſt aliquot præterlapſas ſeptimanas, tenella ex miſello ſuo domicilio animula, id, quod petiit, lubens à parentibus, pro ſectione brevi inſtituenda, obtinuit.

Diſſectis itaque cruciatim & cautè admodùm ſeparatis à nobis integumentis corporis communibus, nil aderat niſi pinguedo, ad ſevi ſubſtantiam ſubtiliſſimis intertexta fibrillis, quam proximè accedens, quæ unius, & quidem majoris omninò, ac dimidiæ palmæ latitudinem ſuperabat, donec ad cavitatem abdominis & quidem in altum proſiliente lymphâ, pervenire licuerit, Omentum penitùs erat abſumtum, nullaque de eo reſtabant indicia; Inteſtina, haud modicæ innatabant lymphæ copiæ; Ventriculus monſtroſus admodùm erat, & parvus, duos per canalem quaſi coadunatos referebat globos, ut ex Fig. XLVII. appicta, clariùs patebit; Hepar reclinatum & Diaphragmati ex parte gibba hôc modô firmiter erat adnatum, ut pars ejus convexa felleaque veſicula primô ſtatim intuitu in conſpectum venerit: taceo, illud etiam extra ſitum ordinarium poſitum, adque interiora thoracis retractum magis fuiſſe, coloris planè luridi. Apertô thorace, vidimus pulmones variegatos, exque vulnusculis cultellô anatomicô inflictis, amurcam ſtillantes, cum corde ferè tabido, omnique pericardii aquâ ſpoliato: Notandum tamen materiam illam ſebaceam & Steatomaticam facilè, imò ferè ſpontè à cute fuiſſe ſeparatam, exque Curioſitate noſtra libræ impo-

impoſitam, pependiſſe Libras octo cum XXIV. Lothonibus ſeu ſemiunciis, ponderis civilis.

Cùm verò in varias inſoliti hujus tumoris inquiſiſſemus cauſas, retulerunt parentes filiolum ſuum ex gravi admodùm de menſa lapſu, gibboſum fuiſſe factum, à Ruſtico verò ex Amici conſilio tractatum, & ab hac ſpinæ incurvatione liberatum atque ſanatum, hôc ipsô tamen paulò poſt obſervatô tumore ac moleſtiis.

SCHOLIUM.

NErvus & Raritas jam enarratæ Obſervationis hujus, conſiſtit potiſſimùm in Steatomatico abdominis tumore, adque interiora thoracis retractô & reclinatô hepate: quorum tamen vix aliam agnoſcere poſſum cauſam, quàm ſpinæ dorſi ex lapſu de menſa incurvationem, minusque decenter poſtmodùm factam repoſitionem; ut enim fabri fabrilia tractant, ſic Ruſtici, ruſtica: vereor enim ruſticanum illum Pſeudo-Chirurgum juxta methodum Heiducci illius Ungari, ſatis crudelem, quâ ſpinæ dorſi fracturam calloſam feliciter conſumſit ac reſtituit in Nobile Sileſio, (cujus mentionem fecit Excell. Dn. D. Erneſtus Sigism. Graſſius, Ephem. Academ. Decur. II. Ann. VI. Obſervat. 142.) puerulum hunc tenellum tractâſſe, & vertebras extrorſum, vel ad latera ſaltim dislocatas, violenti pollicum manuumque impetu, introrſum, ſimulque etiam ſurſum adegiſſe, & cùm gibboſitas circa ultimas thoracis vertebras, ubi ventriculus cum hepate diaphragmati, hoc verò his ipſis vertebris jungitur, plerumque contingat, quid mirum, ſi per tantam intruſionis violentiam κύρτωσις mutata fuerit in λορδώσεως ſpeciem, vertebras nempe anteriora ſternumque verſus adigendo, unde hepar non potuit non ad diaphragmatis ſeptum fortiùs nonnihil comprimi, obque mutuum externarum ſuarum tunicarum contactum, effluviorumque ſanguineorum ac chyloſorum conſortium, in unum quaſi coaleſcere, ſicque difficilis in puerulo hoc miſerrimè afflicto,


Ventriculus monſtroſus.
Fig. 47.
pag. 471.
pag. 473.
Globus lapideus materia pingui repletus, in ſepulchro repertus.
Fig. 48.
pag. 475.

flicto, reſpiratio cauſari. Quantum verò ad Steatomatis generationem, cùm Steatomata nihil ſint aliud, quàm tumores ſebacei ſeu caſeoſi, ſuis inſtructi folliculis, ex chylo extravaſato & coagulato orti, non abs re erit & hîc quoque violentam illam luxationis repoſitionem accuſare; cùm enim ipſum chyli receptaculum commune non multùm inferiorem, ac hepar cum ventriculo agnoſcat ſitum, facilè per tantam compreſſionis violentiam lædi, aut ramuli ſaltim ejus chyliferi rupturam aliquam pati potuerunt, unde chylus jam extravaſatus, ſuôque ordinariô motu privatus, aceſcere, coagulari, inque tantum tumoris monſtrum excreſcere cœpit: hinc inſatiabilem pueruli hujus appetitum tam parvi, & procul dubio in utero materno jam malè formati ſtomachi reſpectu, non admiror, dum optimam & maximam chyli portionem nutritioni partium & regenerationi ſpirituum deſtinatam, alio deductam, huicque tumori adductam fuiſſe, perpendo: ex continuo enim chyli hujus extravaſati affluxu, tumor in majorem indies accrevit molem, ſanguinis è contra motu remiſſiore indies factô, tandemque cum vita penitùs ceſſante. Caveant ergò ſibi mortales ab Empiricis ejusmodi & Ruſticanis medicaſtris, ne Charybdim evitantes, in Scyllam incidant.

Fig. XLVII.

OBSERVATIO CCLIII.

D. JOH. PAULI WURFFBAINII,

De

Globo lapideo materiá pingui repleto, in ſepulchro reperto.

NUntiavit mihi Anno 1680. fœmina quædam apud noſtrates Medicatrix, globum quendam lapideum in ſepulchro quodam Cœmeterii D. Johanni ſacro, in-

ventum fuiſſe, materiâ planè pingui repleto, verè curioſum: quem viſendi curioſitate ductus, viſitatô ſaltim unô alterôve priùs ægrô, præſentiam meam quantocyùs urgente, ſtatim ad piorum concivium meorum dormitoriorum locum, greſſus meos direxi; veſpillone verò ibidem non repertô, per ſervum, ut ad ædes meas nominatâ quâdam horâ globum hunc deferret, nuntiavi, quem attulit, meque eò lubens ſuapte donavit ſponte, ſimulque narravit, in pelvi, quod oſſium pubis & innominatorum conſtituit compagem, repertum fuiſſe: Erat autem globus hic, qui volam meam facilè magnitudine ſuâ implebat, quoad figuram ſatis rotundus, ſubſtantia externa lapideus, interna verò, ut ex parvo facto foramine ſeparata lapidea cruſta patet, pingui materiâ repletus, mixturam è ſevo, cum ceræ pauxillo mentiens, unguibusque facilè cedens, pendens ℔ß. cum ℥vj. ponderis Medicinalis.

SCHOLIUM.

Dubius ſanè diu multumque hæſi, quid de globo hoc ejusque materiâ internâ ſentirem? excreſcentiam enim carnoſam vel glanduloſam fuiſſe, materia pinguis, quâ repletus erat, vetuit: abſceſſum abſolutè vocare non potui, quod coloris ferè fuerit expers, imò, quod integrum & quod excurrit biennium, inter Rer. Natural. meorum apparatum, ad hunc usque diem aſſervatus, nullum contraxerit fœtorem, cùm potiùs è contrario, pro natura abſceſſuum, jam dudum imo in ſepulchro adhuc, cum ipſa totali cadaveris reſolutione, abiviſſet in putredinem; quare Steatomaticum fuiſſe tumorem ſpiritu quodam accedente Gorgonicô, lapidea cruſta obductum, ſicque contra putredinem munitum ac præſervatum, ſum ſuſpicatus, & quidem (1.) quòd Steatomata globoſam utplurimùm recipiant figuram, quale Anno 1673. Altdorffii in ſubjecto Anatomico Ruſtici decollati, pleuræ adnatum, cujus Sceleton ære meô redemtum, meisque manibus combinatum adhuc poſſideo, Excell. Dn. D. Mauritius Hoffman-

mannus Senior, Doctor Ductorque t. t. meus ad urnam honorandus, demonſtravit. (2.) Quod Steatomata non æquè citò abeant in putredinem, quàm abſceſſus ac tumores alii, ut vocant, ſine folliculo. (3.) Quod materia in globo hoc contenta ſebacea ferè fuerit, materiæ Steatomaticæ proximè accedens, coloris tamen ſub-obſcuri, quaſi cum ceræ pauxillo permixta, & quamvis Steatomatica materia albeſcat potiùs, ob ætatem tamen, exſiccationem, ac incruſtationem colorem hunc ſub-obſcurum facilè contrahere potuit; non tamen hîc colorem quàm potiùs ſubſtantiam attendendam eſſe arbitror. Locum, in quo repertus fuit hic globus, non attendo, quòd non modò ex veſpillonis relatione certi quid determinari nequeat, facilè enim à thorace ad inferiora abdominis devolvi potuit, quin potiùs, quòd Steatomata in variis corporis partibus enaſci poſſe, Obſervationes hinc inde teſtentur.

Fig. XLVIII.

OBSERVATIO CCLIV.
D. LUCÆ SCHRöCKII, LUC. fil.
De
Phalæna maxima.

Singularis in hac Obſervatione Papilionis elegantiſſimi ſpecies ſiſtitur, quam à Nobiliſs. *Dn. D. Joh. Burgio*, Collega noſtrô maximè induſtriô, Vratislaviâ mihi transmiſſam, Naturalis ſcientiæ Cultoribus curioſis haud ingratam eſſe poſſe confido; cùm & ipſa aliquid ad naturalis hiſtoriæ augmentum conferre queat, multisque Viris clariſſimis, ut *Moufeto*, *Jonſtono*, *Aldrovando*, *Svvammerdamio* &c. prolixiori commentario hiſtoriam Inſectorum conſcribentibus, nemo hactenus laborem illum vitio vertere ſuſtinuerit.

Illum autem Collega noſter excellentiſſimus, *Dn. D. Joh. Chriſtian. Mackius*, Schneebergâ ad prælaudatum *D. Burgium*

Annô præteritô, Menſe Octobri miſerat; qui d. 28. Septembr. ibidem manè parieti adhærens inventus fuit, poſtquam præcedente veſperâ lucernam circumvolitans, ab ædium incolis veſpertilio eſſe creditus fuerat. Hunc equidem *D. Mackius* per triduum in ſcatula variis foliis, floribus, & fructibus ſuſtentare tentavit, fame tamen moriturum ipſum prævidit, cùm rictu ſuô incurvô, quem vivo admodùm protrahere & diducere valuit, rodere, ſicque ſonitum muris roſioni haud abſimilem edere, ſæpèque per 3. 4. 5. horas ita continuare non ceſſaret, nec excrementorum quidquam intereà excerneret. Ubi non poſſum non verba laudati *Svvammerdamii*, quæ *pag. 152. hiſt. inſect. general.* habet, in medium adducere; poſtquam enim *pag. præced.* experientiâ edoctus, inſectis eadem vegetabilia, in quibus reperiuntur inſecta, inſervire etiam pro alimento pronunciâſſet, ſic ſcribit: *Papilio nocturnus maximus, ex vermiculo, lignorum incola, oriundus, ova ſua defert in ſalices, quod ovum excluſum teredinem ſeu coſſum reddit, qui robuſtis denticulis ſuis viam ſibi per corticem aperit.* Cùm itaque Mackianæ huic Phalænæ ob grati alimenti defectum fuerit pereundum, roſione ſuâ viam ſibi ad fugam capeſſendam parare voluiſſe credibile eſt.

Eſſe autem hunc ad illud Papilionis genus referendum, quod Phalænam vocant, haud dubitari debet. Hanc enim eſſe Papilionis ſpeciem, noctivagam, luminis fruendi (unde nomen traxit) ſtudioſiſſimam, hirſutô corpore, & alis veluti cinere aut pulvere quodam leviſſimô conſperſam, ſcribit in ſuo *Inſectorum theatro Thom. Moufetus cap. 14.* ubi Phalænas in admodùm magnas & exiguas dividit, earumque figuras adpingit; quas etiam Excell. *D. Johan. Jonſtonus* ſuæ *hiſtoriæ natur. de Inſectis, lib. 1. Tab. 6.* ſed multò minores inſeruit. Hisce itaque præſens Dn. Autoris Phalæna accenſeri meretur, quæ equidem primâ à *Mouſeto* recenſitâ ſpecie minor, alterâ autem ejus ſpecie paulò major exſiſtit.

Oculi hujus protuberantes cæſii coloris, quantum ex inſecto

Phalenæ maximæ facies anterior.

ad pag. 477.



Fig. 49.



Phalænæ maximæ facies posterior.

ſecto hoc transmiſſo exſiccato colligere licet, fuiſſe videntur, in tunica ſua pellucida & quaſi reticulata, per microſcopium innumerabilia penè punctula elegantiſſimô artificiô & ſpectaculô oſtendentes. Caput ipſum nigrum eſt; antennæ inferiùs æneï, supernè nigricantis coloris, per quos meatus decurrit, papposam quaſi ſubſtantiam continens, cæterùm ex plurimis annulis eædem ſunt compoſitæ, quorum latera flavorum pilorum manipuli exornant. Scapulæ nigræ, cinere tamen quaſi leviter conſperſæ videntur, cùm tamen revera pilorum in extremitate tali modô variegatus color exſiſtat; dorſum intermedium eſt citrinum, maculis duabus nigris conſpicuum; reliquum flavum, annulis ſeptem nigris diſtinctum, inferiùs nigrum, quin & per medium dorſum maculâ latâ nigricantis coloris decurrente. Venter itidem lutei coloris, annulis iisdem nigris ſulcatus, infernè totus luteus; cæterùm in dorſo & ventre pilis molliſſimis, holoſericum tactû æmulantibus, horridulum, in quibus dicti modò colores conſpiciuntur. Ex alvo apex incurvus, duriuſculus, acutus egreditur; quem eſſe penem dicere fortaſsè licebit, præcipuè ſi inſectum hoc fuerit maſculum, id quod ſanè ex *Svvammerdamio* colligere licet, qui *l. c. ſect. 3.* papilionem nocturnum maſculum eſſe alatum, femellam non item monet. Alæ duæ externæ nigricant, maculis tamen albicantibus hinc inde variegantur; internæ flaveſcunt, duabus ſtriis nigris latioribus per transverſum inſignitæ, & nervis fulvis rectis obfirmatæ, nec non pilis, in ſummitate quidem denſiori agmine, in extremitate autem rarioribus veſtitæ. Crura habet ſex lacertoſa & valida, itidem piloſa, initiò ſive in femoribus nigra, poſteà in tibiis circulis flavis depicta, & in fine duobus incurvis nigris digitis, qui tamen per microſcopium ſanguineô colore pellucent, forcipata, tanti roboris ut etiam duobus talismodi cruribus ſcatulam undecim drachmarum pondere præditam diu ſuſtinere phalæna hæc, manu per alas ſuſpenſa, valuerit.

Fig. XLIX.

OBSERVATIO CCLV.
D. LUCÆ SCHRöCKII, LUC. fil.
De
Termitibus cum urina excretis.

TErmites cum urina excretos, ſuperiùs Obſervat. 79. ex relatione Clariſs. *Dn. D. Joh. Avenii*, produxit Excell. *Dn. D. Dan. Crügerus*, quibus ſimillimos bis etiam in hac Urbe obſervare mihi licuit; quarum itaque hiſtorias hîc pariter recenſebo. Scilicet paucis abhinc menſibus, Anno nempe 1688. Menſe Decembr. Zythopoei cujusdam, D. S. filiola quadrimula ingentem termitum copiam cum urina diverſis vicibus excreverat; quam parentes anxii cùm deducere ad me, auxilii ferendi causâ, curâſſent, vegetam eam, obeſulam & nullô de dolore aut moleſtiâ conquerentem, verbô, ſanæ ſimillimam deprehendi; unde lenioris tantùm diuretici, Aquæ nimirum Fragor. cum Sirup. eorum & Ocul. Cancr. mixtæ, uſum commendavi; â quo etiam tempore benè ſe habere perrexit. Altera termitum cum urina excretio admodùm numeroſa Anno 1680. Menſe Decembr. obſervata fuit in filiolo quinquemeſtri Dn. Jer. K. Mercatoris noſtratis; quos ungue compreſſos cum ſonitu crepâſſe, humore viſcidô emiſſô, deprehendi; quam excretionem etiam arenulæ aliquot minutiſſimæ rubicundæ comitabantur; quales non minùs poſteà, ceſſante jam termitum iſtorum proventu, aliquoties cum urina prodierunt. Qui puellus mox à nativitate variis infirmitatibus obnoxius, alvi inprimis ſiccitate, anorexiâ, ac flatibus, nec non difficultate ac ſuppreſſione urinæ (quæ tamen ultimis quinque ſeptimanis ante mortem liberè effluebat,) laborans, magnis & multis clamoribus doloris acerbitatem teſtatus fuerat; quibus dextri quoque inguinis herniam & umbilici prominentiam ſibi induxerat. Tandem annum natus cùm aliquandiu inquietior fuiſſet, difficilisque

reſpi-

reſpiratio acceſſiſſet, d. 23. Jul. Anno 1681. manè inſperatò exſtinctus, & quod ſuſpicabar, ſuffocatus fuit, corpuſculô poſt fata plurimis in locis admodùm liveſcente. Poſt meridiem inſtitutâ corporis ſectione, obſervavi venam cavam propè ingreſſum in dextram cordis auriculam, unà cum hujus particula (quod rugæ interiùs comparentes perſuadebant,) ad pollicis robuſti amplitudinem extenſam, non tamen eapropter extenuatam, ſed denſam ſatis & craſſam; quam dilatationem clamores illi intenſiores non longè à partu obſervati ſi non effecerint, conformationis in ipſa conceptione errorem fuiſſe credibile eſt: in hac grumus ſanguinis in duas diviſus partes, nigricans & craſſus latebat. Cæterùm pulmones hîc illic lividi, materiam craſſam, albidam & quaſi purulentam diſſecti copiosè fundebant; ventriculum & inteſtina flatus diſtendebant; hepatis floridus color in pallidum abierat; veſiculam bilis ingentem, colore etiam pallidam, membrana craſſiſſima conſtituebat, ex fibrillis mirè implicatis, quas inter glutinoſus, gelatinæ ſimilis humor hærebat, conſtans; in ipſa verò veſiculæ hujus cavitate ſerum viſcidum, paucum, exiguâ flavedine tinctum fluitabat; lien inſignis, lividus, reni ſiniſtro mole ſuâ magnam cavitatem imprimebat; renes autem & veſica, nec arenularum nec termitum veſtigium oſtendentes, planè inculpata adparebant; herniarum quoque, quibus per ligaturas ex arte proſpectum fuerat, nullum ampliùs, neque externè neque internè, indicium notabatur. Unde horum termitum, ſive ovulorum, ex quibus tandem vermes, atque ex iisdem muſcæ naſcuntur, in corpore proventus oriatur, omnium optimè ex Clar. *Franc. Redi* experimentis, in *libro de generat. inſector.* colligere licebit, quibus nempe ſe didiciſſe ſcribit, neque lac, neque lacticiniorum quidquam verminare, ſi eô locô ſerventur, ubi muſcis & culicibus aditus non datur: & contrà, ubi animalcula hæc eò pertingunt, ut ſuper cibis requieſcant, brevi ſubſequi verminationem. Ut ita ovula hæc à muſcis dulcedine lactis allectis

in


in ipſum deponi, aut etiam ab iis vaſa, lactis expreſſioni & adſervationi inſervientia, nec probè priùs mundata conſpurcari veriſimile exiſtat, quæ dein pulmentis, frequenti infantum cibo, communicata, horum ventriculum ſubeant. Sed quâ ratione ulteriùs in veſicam penetrent, obſcurius paulò eſſe videtur; quamvis ſi molliculam eorum ſubſtantiam, ex membranula nempe & humore conflatam, perpendamus, eadem ſemel in vaſa lactea admiſſa, & hinc ſanguini cum chylo infuſa, per arterias ad tubulos renales accedentia, in eorum cavitatem ab urgente novi advenientis ſanguinis ac ſeri preſſione extrudi poſſe, hariolari nobis liceat.

OBSERVATIO CCLVI.

D. LUCÆ SCHRöCKII, LUC. fil.

De

Verme quadrato.

Quamvis magna ſit vermium differentia, quos in corpore humano inventos, vel inde excretos Medicorum notavit diligentia, mihi tamen ſingulare lumbricorum genus hîc annotare lubet, cui ſimile unquam quod fuerit obſervatum, legiſſe me haud memini. Hos autem in filiolo piſtoris noſtratis, A. S. annum circiter nato, An. 1681. notavi, quadratos nimirum, & unciam ferè longos, hujus ſcilicet  figuræ & magnitudinis, modò paulò longiores, modò nonnihil breviores; quorum plures ſucceſſivè excreverat, cæterùm ſanitate integrâ, quantum colligere licuit, gaudens. Hosce per abdomen & dorſum errantes Mater offenderat, inſcia tamen, an ex alvo vel veſica prodierint, dum eorum veſtigia neque in urina neque alvinis excrementis deprehendebantur; quamvis ex alvo prodiiſſe, magnitudo eorum perſuadere potuerit, cùm per meatum urinarium, præcipuè in tenella iſta ætate, vix ſine notabili

urinæ

urinæ difficultate, qualem nunquam obſervaverat Mater, tranſire potuiſſe ſit credibile. Motus eorum erat aliorum lumbricorum ſimilis, contractione & extenſione alternatim inſtitutâ. Cæterùm neque caput, neque pedes, nec interanea aliqua, aut cavitatem, bonis licèt microſcopiis inſtructus, reperire in iis poteram, dum meram membranam craſſam referebant, & nî motus ille vitæ præſentiam arguiſſet, membranam eſſe credidiſſem. Ne autem latentes fortè eorum aliquæ reliquiæ noxam puello aliquando parerent, Sirupo anthelmintico ſucceſſivè exhibendo proſpexeram, & ceſsâſſe poſteà verminoſum illum adfectum Mater retulerat.

ADDENDA
D. SAMUEL LEDELIUS,
De
Utilitate & jucunditate exurgente è lectione Ephemeridum.

EPhemerides noſtras non eſſe opus otioſum ſed negotioſum, ipſa loquitur veritas, & optandum eſſet, ut omnes eruditi has evolverent, certo certius ſummè labores hosce deprædicarent, & quilibet aliquid inveniret ad palatum. Uti in Macrocoſmo diverſitas offenditur hominum, ita in hocce opere diverſitas Obſervationum: ibi quidam fulgent ut ſtellæ primæ magnitudinis, alii ut ſecundæ, alii ut tertiæ & ſic porrò: ita & hic una alteri palmam præripit Obſervationi. Unusquisque tamen horum conditus eſt in laudem DEI: ſimilem in modum & hic in omnibus paginis reſonat DEI ſapientia, potentia, bonitas, imò ipſe DEUS. Multa antiquis fuerunt ignota, abſcondita, interdum & neglecta, imò etiam incredibilia æſtimata, quæ nunc ſunt plana, vulgaria & notiſſima. Veritatem dictorum unusquisque legit in plerisque Ephemeridum paginis: è centum ut unum adducam; quartanam, hydropem, epilepſiam & alia antiquitùs incurabilia declarata, curare, jam ſunt quotidiana. Vulnera pro lethalibus Antiquitati habita, jam patiuntur exceptionem, videbis enim hinc inde annotata vulnera non lethalia cerebri, cordis, ventriculi, veſicæ &c. Ergò elucet Utilitas ex hujuscemodi obſervatis. Utilitatem quoque in hocce ſenties, quando annotata reperis expertiſſima ad quosvis ferè morbos remedia, quando hanc & illam cautelam legis in hocce & alio caſu ſummè utilem. In Praxi enim Medica non omnia omnibus obveniunt. Jucunditas emergit è luſibus naturæ in tri-

plici

plici regno, in Anatomicis item, inque operationibus Chimicis, ut generalibus tantùm inhæream: nam ſi ſpecialia convaſare vellem, multas implerem paginas. Nec minor jucunditas propullulat ex eo, dum rationes variorum in natura occurrentium rarorum eruuntur, quas ne per ſomnium quidem viderunt Antiqui, variaque pro veris habita, jam reapſe falſa eſſe oculariter demonſtratur. Natura videtur jam multùm denudata, & curioſus animus non deſiſtit inquirere in ulteriora abdita. Omnium rerum rationes ſi non ex aſſe ſuppeditat curioſitas noſtra, ſatis ſpecioſas tamen exhibet, quæ in defectu accuratiorum animum ſciendi cupidum quadantenus exſaturant. Quo ipſo omnes illi feriuntur, qui ſiniſtrè de Curioſorum laboribus judicant. Tolle hæc duo: Utilitatem & jucunditatem ex omnibus aliis ſcriptis, & caſſa nuce vix digna judicabuntur. Sed quid noctuas Athenas?

[*Gorlicio Luſatorum d. 11. Julii Anno 1688. Noribergam miſſæ.*]

Ad Obſ. 77. p. 140.

IN gratiam Germanorum noſtrorum, ipſis Dn. Paſtoris verbis, Aquæ hujus ſalutarem uſum prolixiùs referre allubeſcit.

Als der Brunn nach Himmelfahrt in der Taubenbach / ſo in die Wugger fällt / entſprungen / iſt die Wugger davon gantz trübe und milchfarbig geweſen etliche Tage / welches ich / als ich darüber in meinen Garten gegangen / ſelbſt mit Augen geſehen und mit Verwunderung obſervirt habe. Hievon / wie es zu geſchehen pfleget / fielen mancherley Judicia. Etliche meyneten / es rührete ſolches aus dem Teuffels-Brunn her / in welchem ſich Satan vielleicht würde gebadet haben. Andere ominirten daher / ich weiß nicht / was böſes. Da nun unterſchiedliche Judicia hievon vorgiengen / fand ſich ein Schmid dieſes Orts / namentlich Manley / der redete ſolches denen Leuten aus / daß es nichts zu bedeuten hätte / es rühre die Verwandlung deß Wugger-Waſſers von einem in der Taubenbach neu-entſtandenen Brunn

her / welches er daher wüſte / weil er einen Kohlhauffen nicht weit davon hätte. Hierauf geſchahe es / daß den neuen Brunn zu beſehen ein Tuchmacher / namentlich Martin Schmid / den letzten Tag in den Pfingſten hinaus gieng / und weil derſelbe rothe und ſchlimme Augen hatte / wird er Rahts / von dem kalten Brunnwaſſer etwas in die Augen zu ſtreichen / trincket zugleich eins mit davon / und weil er ſich nicht wol fürſihet / fällt er mit dem einen Fuß / an welchem er eine Wehne hatte / ins Waſſer hinein. Nachdem er zu Hauſe kommt / legt er ſich zu Bette und ſchläfft / hat aber einen ſtarcken Schweiß / davon er / als er erwachet / alsbald einige Linderung in den Augen empfindet / und verſpühret deß folgenden Morgens / daß die Wehne am Fuß / damit er eingefallen war / weg iſt / weßwegen er denn faſt darüber erſchrickt. Dieſer offenbahret ſolches Herꝛn Chriſtian Petratzen / Rahtsverwandten und Zöllner allhie / welcher einen Schwindſüchtigen Affect, Gimen der Bruſt / Mattigkeit und Krafftloſigkeit / ingleichen ſo gar keinen Appetit zum Eſſen hatte / daß er innerhalb zen Tagen nicht ſo viel als ein Wecke oder Pretzel groß Brod hinunter bringen können / animirt denſelben / er möge den Brunnen probirn. Er folget ſolchem Raht und gehet mit ihm dahin / muß ſich aber vor Schwachheit etliche mal niderſetzen / ehe er hingelangen kan; nachdem er deß Waſſers getruncken / harret er ohne niderſitzen nach Hauſe aus / bekommt gegen Abend einen Appetit zum Eſſen / und weil er mit dem Waſſer-trincken fortfähret / wird er an dem dritten Tag reſtituirt / und kriegt ſolchen Appetit, daß er wol ein gantz gebraten Huhn hätte wollen aufeſſen. Sein Sohn Daniel / welcher für das Fieber ein Pulver in Brandwein eingenommen / ſo ihm auf der Bruſt beſtehen geblieben / trincket auch zugleich mit dem Vatter von dem Waſſer / und empfindet Beſſerung. Dieſe drey Perſonen bringen zu erſt die heilſame Krafft deß Brunnen hie im Städtlein unter die Leute / alſo / daß am Johannes-Tage das halbe Städtlein hinausgegangen war: An demſelbigen Tage habe ich zum erſten mal davon gehöret. Von den Verſtändigſten dieſes Ortes ware diß anfänglich verlachet / doch gieng bald dieſer / bald jener hinaus / ſo war auch Waſſer heimlich in dem Buſch / und jenſeits dem Buſch geholet /

let / welches doch einigen muß geholffen haben / denn von Tage zu Tage funden ſich mehr und mehr Leute herzu / den Brunn zu beſehen und zu probiren. Ohngefehr acht Tage nach Johann kommt ein Soldat hieher geritten / welcher nicht geſund geweſen war ſeit der Stetiniſchen Belägerung / hatte auch nicht mehr eſſen noch Toback rauchen können / ſobald der allhie vom neuen Brunn höret / machet er ſich hinaus / und nachdem er das Waſſer getruncken / bekommt er Appetit zum Eſſen / iſſet auch in Herrn Benjamin Ruzazen Hauſe eine gute Portion / rauchet Toback / und gehet mit einem guten Rauſch zu Bette / den folgenden Tag bleibet er noch hie und gehet wieder nach dem Brunn / deß dritten Tages aber / da er Abſchied nimt / ſagt er / einmal wolle er / deß Brunnen halber / noch wiederkommen / er müſſe jetzo reiſen / aber aller Orten / da er hinkomme / wolle er es rühmen und ſagen / daß / nächſt GOtt / ihm diß Waſſer wieder geholffen. Nicht lange darnach kommt ein Burger von Berwald / namentlich Sültz / ein Schwindſüchtiger / hieher / das Waſſer zu gebrauchen / reiſet noch deſſelben Tages wieder ab / doch nimt er davon was mit / nach wenig Tagen läſſet er in Berwald in der Betſtunde für ſeine Geſundheit öffentlich dancken. Durch dieſe Gelegenheit iſt der Brunn erfunden / und deſſen Heil-Krafft weit und breit divulgirt worden / alſo daß / ſeit Jacobi her ſich bereits eine groſſe Anzahl Leute / aus der Marck / Polen und Pommern hieher gefunden / uud ihrer viel das Waſſer mit groſſem Nutz gebraucht haben. Ich / der ich nun drey Sermonen / GOtt zu Ehren / beym Brunn gehalten / habe ſchon auf einmal faſt auf 300. Zuhörer daſelbſt gehabt; ſo hat es auch nicht wenigen geholffen / denn ich bin gewiß / daß mehr als 100. Leute dadurch zu ihrer Geſundheit gelanget / nur daß ſich ihrer wenig angegeben und Danck ſagen laſſen / ꝛc.

Ex multis aliis relatu videtur digniſſimum, quod recenſuit Paſtor illius loci ſeqq. verbis:

Hans Mahlken Tochter von Kölpin / welches bey Neu-Stettin liget / hat einen Puckel von Mutterleibe an auf dem Rücken gehabt / als ein Hut groß / der Puckel hat ſich mehlich und mehlich verlohren / und iſt gantz geſund worden. Zuvor iſt ſie von einer Seite zur an-

dern nur wacklend gegangen/ itzt aber gehet ſie aufrecht. Diß ſolte ei‑nem unmöglich zu ſeyn ſcheinen / aber es iſt hie vielen Leuten bewuſſt/ wiewol ich das Menſch nicht ſelbſten geſehen / halte aber / meinem we‑nigem Bedüncken nach dafür / daß ſolcher Puckel nicht in Verren‑ckung deß Rückgrads / ſondern ſonſten in einem Puden auf dem Rü‑cken / der vielleicht aus Mutterleibe mitgebracht worden / beſtan‑den / ꝛc.

Theæ Chinenſis icon.

QUàm frequens & conſuetus ſit Theæ fruticis Sinenſis in Chinâ aliisq́ue vicinis locis uſus, indeq́ue præpa‑rata potio; tàm diverſa etiam illius ad vivum per curioſas ſculpta manus prodiit delineatio. Non pro‑inde potuimus, quin ſtirpis iſtius virgultum ex Indiâ Orien‑tali ab Illuſtr. D. Cleyero Berolinum, ad Magnificum & Excel‑lentiſs. Dn. Chriſtianum Menzelium, Archiatrum & venera‑bilem Collegam noſtrum, tum & Amſtelodamum ad Nob. & Naturæ curioſiſſimum Dn. Nicolaum Dumbstorff Phar‑macopœum ſolertiſſimum miſſum, inde nobis Noribergæ communicatum ſtudioſo ſculptori æri incidendum commit‑teremus. Plura qui de frutice hoc nobiliſſimo ſcire deſide‑rat, propter ipſius plantæ fructusq́ue diverſitatem, Jacobi Breynii plantarum exoticarum Centuriam I. fol. 114. adeat, pro lubitu exinde ſuo ſatisfaciet deſiderio &c. Vid. Fig. L.

APPEN-



Thee Indiæ Orientalis.
Fig. 50.

pag. 486.

BRITISH MUSEUM NATURAL HISTORY.

APPENDIX
AD
ANNUM SEPTIMUM
DECURIÆ II.
EPHEMERIDUM
MEDICO-PHYSICARUM
NATURÆ CURIOSORUM
in Germania.

NORIMBERGÆ,
ANNO M DC LXXXIX.

CONTENTA APPENDICIS
Anni VII. Decur. II.

1. D. Philippi Jacobi Hartmanni Exercitatio de Generatione mineralium, vegetabilium & animalium in aëre, occaſione annonæ & telæ cœlitùs delapſarum Anno M DC LXXXVI. in Curonia.
2. D. Joh. Ignatii Muſchel de Moſchau Theoremata Phyſico-Mathematica.
3. Dn. Roſini Lentilii notabilia de Venæ ſectione & Urina.
4. D. Chriſtiani Franciſci Paullini Obſervationum Medico-Phyſicarum Decades II.
5. M. Johannis Reiskii Exercitatio Hiſtorico-Phyſica de Cornu Hammonis quod Veteres vocârunt, agri Brunshuſani & Gandersheimenſis Lapide, quem vulgo Drakenſtein nominant.
6. Dn. Martini Hankii Memoria Volgnadiana.
7. D. Michaël Bernhardi Valentini Memoria Allmacheriana.

I. N. J.

EXERCITATIO

De

GENERATIONE MINERALIUM, VEGETABILIUM, *&* ANIMALIUM IN AËRE,

Occaſione

ANNONÆ ET TELÆ COELITUS DELAPSARUM

ANNO M DC LXXXVI.

IN CURONIA,

Auctore

PHILIPPO JACOBO Hartmann/

Phil. & Med. D.P.P. Regiomont.

Academiæ LEOPOLDINÆ IMPERIALIS Naturæ Curioſorum Collegâ.

ANNO M DC LXXXIX.

SERENISSIMO AC CELSISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,
DN.
FRIDERICO CASIMIRO:
SERENISSIMO AC CELSISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,
DN.
FERDINANDO:
In
LIVONIA
CURLANDIÆ AC SEMGALLIÆ
&c. &c.
DUCIBUS,
PRINCIPIBUS AC DOMINIS SUIS
CLEMENTISSIMIS

Quos
Cœlum gremio excuſſit
Magna Mater ſinu excepit
DUX ALEXANDER
Heroicâ ad Budam nobilitavit morte,
Curonienſium
incertis natalibus
oſtentorum
partus
Ætheris fœcunditati
Telluris fertilitati
VIRTUTIS MEMORIÆ
juſta perſolvens
in
monumentum pietatis
erga
SERENISSIMAM DOMUM
CURLANDICAM
devotus cliens
Philippus Jacobus Hartmann
conſecrat.

I. N. J.

CAPUT I.

De
Pluviis prodigioſis in genere.

§. I. *Cœlitùs delapſa, alia Artificialia, alia Naturalia; eorundem lapſus apud Græcos æquè ac Latinos nomine pluviæ veniſſe.* §. II. *Artificialium pluvias non facere ad Phyſicam; Naturalium verò non unius Generis memorari, cùm & mineralium & Vegetabilium & Animalium proſtent.* §. III. *Non eandem fidem invenire omnes de pluviis prodigioſis Hiſtorias: nimirum* (a) *quòd Scriptores neglexerint circumſtantias adducere.* e.g. Jonſtonus. (b) *Quòd alii aberrârint à veritate; idq; non unis modis:* 1. *Falſis nominibus res delapſas arguendo.* e.g. *Sulphuris*, quod aut pini aut muſci terreſtris clavati fuit pulviſculus; *item frumenti*, quod granorum hederæ erat colluvies; *item ſanguinis*, quod alius cujusvis mineralis fuit tinctura. §. IV. 2. *Malè adſtruendo pluviam, quod ventorum, ignium, fluviorum vehementiâ erat definiendum; cum hâc ipsâ peregrè delata fuerint quædam corpora.* e.g. vituli, carnes, piſces, &c. 3. *Malè quoq; aſſignando pluviam, quando hâc quædam ſunt allicita aut detecta;* e.g. ranæ &c. §. V. 4. *Malè porrò Phyſicis annumerando, quæ veneficii ope, pluviæ peregrinorum ſunt patratæ.* 5. *Malè prodigioſis accenſendo, quæ potiùs Meteora, Mineralis ſortis, mixta, aut plura; hujus, illius generis dicenda forent.* §. VI. *Quomodo rectè pluviæ peregrinorum intelligendæ, & quod tales verè exſtiterint.* (1.) *Mineralium,* e.g. lapidum,

pidum, ubi Livius contra Gaſſendum defenditur. § VII. *Neq; lapidum tantùm, ſed & aliorum Mineralium*. e. g. *ferri, æris, terræ luteæ* &c. §. VIII. (2.) *Vegetabilium pariter*, e. g. *frumenti*. §. IX. (3.) *De animalium verò, imprimis illorum, quæ ſe in aëre librare neſciunt, pluviâ, admodùm ambigi*; e. g. *de iſta ranarum & perfectiorum animalium; non ita de illâ inſectorum, imprimus volatilium. Ubi de Culicum generatione Hiſtoriæ afferuntur*.

§. I.

HIſtoriarum credita monumentis paſſim *cœlitùs delapſorum* legimus *prodigia; non tàm illorum, quæ* ingenium humanum ſedulâ ſolertiâ effingit, (uti ancile, leni aurâ decidiſſe *Ovidiô* canitur; teſtisque pluiſſe, *Julii Obſequentis prodigiorum* annotavit *Libellus Cap. CXIV.*) *ſed magis iſtorum opificiorum, quæ* natura, æternâ ſucceſſionis Lege ſibi conſtans, in aliis quibusvis potiùs effabricare ſuevit officinis. Quæ inſolita, quando à nubibus roridis plerumque effundi contigit, eloquentibus illud longâ ſerie compluribus Hiſtoriis, *pluviarum* adprimè *nominibus monſtroſi aëris partus ſunt inſigniti*; quam in rem Græcorum æquè ac Latinorum probatiſſimi adduci poſſent *Auctores*, niſi iidem obvii forent; *præeunte Homero*, ſanguineos rores jam tum *in Iliade* recitante.

§. II. *Miſſis* verò *iis, quæ artis ſunt*, cùm minùs phyſicæ ſint indaginis; *naturæ tantùm operum peregrinos luſtraturi ſumus natales*; *Neq; unius ſunt generis*, quæ inſolentem illam naſcendi ſortem nacta referuntur: ſed & *foſſilia & Metalla; illa quoque quæ plantis* aliàs debent Originem; vel *ipſa animalia* cœlô depluiſſe memorantur. Exempla omnigena ſuggerent *Scriptores*, qui integris voluminibus portenta colligere inſtituerunt. Præter *J. Obſequentis Libellum cit.* extat quoque *Supplementum Conradi Lycoſthenis*; Similiter *Johannis Wolfii Lectiones memorabiles & reconditæ* horum farraginem offerent:

Ut taceam alios Hiſtoricos & Phyſicos, quibus curæ fuit admiranda Meteororum ſuis Scriptis inſerere. *Rarior* tamen eſt *mentio pluviarum quâ plantas, aut his gemina*, cœlitùs in terras ruiſſe, fuiſſet traditum. *Obſequens cap. 85. & 90.* fruges in arboribus natas refert; Quamvis *Plin. H. N. Lib. 18. c. 18.* ſemel tantùm frugibus oſtentum accidiſſe, quod quidem invenerit, aſſerat. Idem *Obſequens cit. 90.* Oleum; & *Wolfius Tom. I. Cent, 8. lib. cit. p. 204.* multifaria ligna pluiſſe in Epiſcopatûs Friſingenſis Diœceſi ex *Aventino* perhibet. *Memorabiliores ſunt animalium pluviæ.* Cui enim non iſta ranarum dicta? Sanguine quoque pluiſſe fabula eſt, quæ toto fertur notiſſima mundo. Nec lactis pluviæ ſunt ignotæ ampliùs. *Wolfius quoque Tom. I. ad Annum 995.* piſciculos pluiſſe in Gallia ex Auctoribus exſcripſit: *Frequentiſſimè* tamen *omnium occurrunt pluviæ foſſilium*, terræ, luti, cretæ, ſulphuris, lapidum, ferri, æris &c.

§. III. Iſtas verò *pluvias prodigioſas*, uti ab Aa. tradi certum eſt, non æquè certum eſt, *quâ fide tradantur ab omnibus: partim quòd non diligentiam adhibuerint*, quam quidem par erat in re adeò inſolenti adhibuiſſe, circumſtantias accuratè aſſignando, ut tantò majorem fidem inveniret oratio. Quam ſanè notam, cùm incurrat *Jonſtonus*, non facilè fidem invenient *ipſius admiranda*, in quibus ſcribit, *ſe certò compertum habere aliquando copiosè piſcibus pluiſſe non procul à Regiomonte in Pruſſia, ita, ut viæ quoq; & prata piſcibus fuerint repleta, ſeq; ipſum ex piſcibus illis comediſſe, unà cum Parentibus ſuis: Partim*, quòd plerorumque fides ſubleſta eſſe cœperit, poſtquam curioſior indagatio *multiplices errorum* detexit *nodos*, quibus Scriptorum, ſive ſimplicitas, ſive incuria illaqueari poterat. *Animadverſum* enim *ab aliis, certis nominibus vulgò venditata, qualia reâpſe non exſtitêre*: *Sulphurei* hôc modô recenſiti *imbres*, ubi nihil genuini ſulphuris deprehenſum ab indagantibus; nimirum eluſi ſunt creduli cujuſpiam plantæ aut arboris ſeminiorum ſpecie. Legatur *Ephem. Germ. Anni I. Obſerv.*

ſerv. 97. in quâ *Exc. Garmannus*, ubi de pulvere Muſci terreſtris, curioſa attulerat; *Vernô tempore*, ſubdit, *pinus pariter talem ſpargit pulverem, qui ventô tumultuante pluviæ mixtus, ſulphuream mentitur pluviam, ut annotavit Krügner* im Chymiſchen Tannenbaum/ *& Möller in Annal. Fribergenſ. H. I.* Non minùs legi meretur, quam hanc in rem integram de Sulphure putatitio cum pluvia deſcendente, *Exc. Elsholtius* condidit, *Obſerv. 87. Anni VI. VII. laudatarum Ephemeridum:* Hâc ſulphur putatitium flavo mùſci terreſtris clavati pulviſculo vindicatur. Quibus gemina habentur in Experientiſs. & Cl. Chimici *Kunckelii Tractatu, contra Spiritûs Vini ſine acido Vindicias.* Sic fuerunt, qui *frumentum* aſſeruerunt, *quod verum non fuit*, cùm ſatum grana hederæ tantùm oſtenderit, cujus etiam meminit *Clar. Velſchius, Hecatoſtæa I. Obſerv. Phyſ. Medicarum 32* Conf. *Theophraſtum Hiſt. Plant. 3, 2. p. 118.* de ſemen ſpargentibus ad Ventos arboribus, e. g. de ulmo: & quæ *Bod. à Stapel* habet *in Com. p. 119.* e. g. de fraxino. Pari fide *ſanguineæ pluviæ*, Annalibus toties inſeruntur, cùm ſpecie, cujusvis foſſilis potiùs, tinctura incautos fefellerit.

§. IV. *Ab aliis*, prætereà animadverſum, *malè dici pluiſſe talibus, quæ obvia externa quædam vis ventorum, ignium, fluviorum, temerè caſu quodam ad loca diſſita detulit;* hac ratione non ſolùm jugis boum pluiſſe dici poſſet, ſed & turribus templorum, cùm *in Ephem. Gall. Tom. VIII. p. 252.* turbo deſcribatur, qui unà cum campanis turrim ad locum ſat longè diſtantem tranſtulit. Idque adeò nimis quàm fabuloſum judicat *Gaſſendus, de Meteorologia Epicuri, Animadverſ. in 10. Diog. Laërtii p. 997. ſeq. pluiſſe aliquando vitulo*, ut ab Avicenna ſcriptum ferunt: *At etiam memorant pluiſſe carnibus. Quis credat*, inquit, *niſi etiam fingatur carneis turbine aliunde abreptas?* Quod ſi unquam propè Regiomontum viæ & prata piſcibus fuerunt repleta, fluviorum hoc adſcribendum exundationi, non iſti, quâ naturaliter pluviam piſcium oriri poſſe ratione ex Jonſtono perſuadere ſatagit *Fromman. Lib. 3. de faſcin.*

ſcin. Mag. part. 8. Sect. I. c. 1. §. 5. Quod enim à nautis Jonſtono traditum, integras cymbas ſive minutulas naves cum hominibus, aliquando ſurſum aliquo usque evehi: hîc locorum eſt inauditum; neque enim tam vehementem & ſimultaneam aquarum elevationem Pruſſia unquam vidit; nedum, ut ipſa animalia integra eâdem ſurſum tracta vidiſſet: Utut non ignoremus, quod Indiarum maribus ejusmodi portenta obveniant, cùm plures & eruditos teſtes, eosq́ue oculatos, circa iſtud phænomenon *in Phyſico* adduxerimus *Collegio.* Rectiùs *Beyerlinck* ex *Athenæo* & *Alberto M.* uti in lapidum & cæterarum rerum imbribus uſu venit, *videri nonnunquam piſcibus pluere, quia ecnephias, aut vorticoſus aliquis flatus correptos è mari piſciculos alium in locum projicit;* non nudos tamen, ut puto, ſed Neptuno immerſos, quomodo prædam talem in naves cum ſalſo balneo aliquando immiſiſſe traditur; magis, inundationes excitando: Inundationes enim fluviorum, non ſine damno, Pruſſiæ coloni ſenſerunt ſæpiùs, quibus fortè juxta *Horatianum* illud:

Piſcium ſummâ genus hæſit ulmo,
Nota quæ ſedes fuerat columbis.

Extat *Theophraſti fragmentum de piſcibus in ſicco degentibus;* atque anguillas & Lucios aliquando aquas egredi, & in pratis paſtum quærere in Pruſſia notum eſt; aſt non addit Jonſtonus, quale genus piſcium cum Parentibus comederit: alioquin hôc modô expediunda eſſet fabula. *Aliis* porrò ſuſpectæ prodigioſæ quædam pluviæ, quod *potiùs detecta, aut allicita fuiſſent dicenda animalcula,* quæ vulgi perſuaſione credita ſunt nimboſis nubibus excidiſſe; unde ranunculas pluviæ inſtar decidiſſe *Gaſſendo loc. cit.* notatur res minimè veroſimilis; & *Fromondus* fluctuans admodùm idem videtur innuere. Quamvis, cùm unius rei plures quandoque ſint cauſæ, *ex arboribus quoque excuti poſſint virides ranunculi* vi imbrium ingruente; tales enim mihi oblati potiſſimùm & relati cum pluvia decidui ranunculi, qui ad genus illud accedant, quod te-

neritudine & colore ab aliis diſtinctum, fruticetis ac arboretis inſidens Calamites aut Dryopetes, Germanis audit Laub-Fröſch. Priori tamen cauſæ favet *Theophraſtus in Fragm. de Animalib. quæ repentè apparent;* Illique aſſignandum, quod in *Actis Anglicis* occurrit *Anno M DC LXVII. p. 406. ed. Lat. in IV.* de inſulis Caribanis: quando in medio inſulæ cujusdam perhibetur planities, in quâ, quotiescunque pluit, pluvia adhærens fimbriis veſtimenti ſpatio ſemihoræ transformata appareat in culas. Quamvis enim *Auctor Relationis iſtius*, aliud quodvis cauſæ adducat, notandum tamen, quòd teſtis modò fuerit auritus, non oculatus.

§. V. His accedit, *quod aliquando veneficiis deputandæ ſint pluviæ inſolentes*, qualis Margaritarum apud *Wolfium Tom. II. ad Annum M D XXXII.* Quarum Contemplatio, cum in Phyſica non inveniat locum; illud ſolùm adjiciamus, *quod aliquando prodigioſæ habeantur pluviæ, quas imperitum Vulgus, cùm nunquam aut rariſſimè uſu rerum cognoverit fandove acceperit, tales propugnat:* cùm tamen eædem Eruditis, quibus ad judicandum meliùs pectora præparavit cata experientia, nil oſtenti monſtrent, quippe cùm ad Meteororum certa genera reducendæ veniant. *Quid* enim *juvat prodigioſas appellitare pluvias, quibus aliquid foſſilis eſt admixtum?* cur non aquas item minerales prodigioſas nuncupamus? Quodſi aquarum cenſu non prorſus excluduntur minerales eapropter, quòd habeant intra ſe foſſile, aut quòd non ſint adeò frequentes; nec pluviæ minerales, aut alia Meteora hoc illo foſſilium æmula, protinus Meteororum claſſibus excludenda erunt. Atque ſi citra pluviam decidant iſtiusmodi non minùs ac ſtella cadens, &c. nudè Meteoris hujus, illius generis accenſenda judicamus meritò.

§. VI. Tot autem, & pluribus aliis modis, cùm à veritate aberrare contingat, quantâ circumſpectione Phyſicam Hiſtoriam edituro opus ſit, liquidò conſtare arbitror; *Plautini* neceſſe eſt ſit memor dicterii:

Qui

Qui cavet ne decipiatur, vix cavet cum etiam cavet:
Etiam cùm caviſſe ratus, ſæpè is cautor captus eſt.

Certum tamen ſit nobis, *non poſſe promiſcuè omnium Aa fidem in dubium vocari, cum rëapſe cœlitùs omnis generis corpora decidiſſe,* indubitata evincant documenta; Neque ſolùm ac ſi manifeſtâ ventorum igniumve violentiâ in altum ſublata, quæ lapſu velociori ruerunt illicò; ſed ut quæ ad nubes quoque aliquando tacitis modis evecta, iisque diutiùs ſuſpenſa, tandem ſinubus iſtarum, non minùs ac pluviæ, omnimodè effuſa videri potuerunt: Etenim adſunt *teſtes verè teſtabiles,* quos potuiſſe atteſtari, oſtendit eruditio; voluiſſe, probat candor. Atque *lapidibus pluiſſe* quispiam inficias iverit minimè; utut *Gaſſendus* Livii auſit ſolicitare fidem *loc. cit. p. 998. quod lapidum pluviam ad ſingulos penè annos commemoret; cùm ipſi hi lapides non alii ſint quàm grandinei, ſed inſignis tamen magnitudinis, & à quibus ſtrages edi poſſit ingens. Secùs profectò,* inquit, *quî fieri poteſt, ut res adeò frequens apud Veteres temporibus noſtris nuſpiam obſervetur,* &c. Non permittit noſtrum inſtitutum, quæ ad ſingula reponi poſſint, adducere; nullum tamen penes nos eſt dubium, ſi quâ Livius peccârit, illâ ratione ab ipſo peccatum minimè. Digna eſt, quæ in Livii patrocinium advocetur Hiſtoria, *inter anatomicas rariores Bartholini Cent. IV. 49.* Ubi demonſtrat, lapides quandoque ex vaporibus ſalinis in aëre condenſari poſſe, præſertim frigore accedente: *Hinc ſæpè,* inquit, *cum grandine lapides devolvuntur, cruſtâq; ex nive ſive glacie inducuntur, quod non ita pridem in Falſtria noſtra obſervatum, ſed friabiles illi fuêre, non ſolidi aut denſi.* H. I. Unde *Auguſtinus 3. de Civ. Dei 31.* ne grandines lapidum nomine intelligerentur, illas diſertè ab his diſtinguit: *Sed & cùm pluit terra, cùm pluit creta, cum lapidibus non ut grando appellari ſolet hoc nomine, ſed omninò lapidibus. Quomodo* tamen crebriores *lapideæ pluviæ Livio memorentur,* hujus fortè conjectura ex illa Hiſtoria eſt capienda, quæ inſignis exſtat *in Actis Anglicis Anno M DC LXVI. p. 311.* de pluviâ ci-

nerum, in Archipelago, eruptionem conſecutâ montis Veſuvii, 6. d. Decembr. Anno M DC XXXIX. *Cùm verſaremur in Sinu Volo, ſtantes ad Anchoram, circa horam decimam noctis illius cæpit pluere arenam & cineres, nec deſiit ante horam ſecundam ſequentis diei. Tabulata iis erant ſtrata, ad duorum digitorum craſſitiem, ſic, ut cogeremur eos in mare ejicere palis, quemadmodum pridie ejus diei nivem ejeceramus. Nullô ventô flante decidebant illi cineres, neque tantùm effundebantur in locis noſtris, ſed & alibi in naves tendentes à S. Joanne d' Acre in noſtrum portum; quæ illô tempore centum leucarum intervallo à nobis aberant: comparatos cineres eosdem ſpecie comperimus*, &c. H. I. Et ad Italicas Regiones facere utique videntur, quæ *Ephem. Gall. Tom. XIII. non unô locô p. 244. ſeqq. p. 289. ſeqq.* de eruptione ignium ſubterraneorum in inſulis Canarienſibus Anno M DC LXXVII. menſe Novemb. ex Actis Angl. transtulerunt: ſummâ fide & attentione omnia ibi ediſſeruntur; *quomodo alicubi ad terræ motum, & ad tonitrua ſolum, cum igne, lapides & ſaxa liquata, præter bituminoſa plurima ignis alimenta eructârit; in tantùm, ut torrens merè igneus comparuerit; quomodo porrò alibi poſt jactatos ignitos, humus hiſcere, hincq; terræ tremore cum tonitru, magnam vim lapidum in aërem elidere cæperit; in iſtam quidem altitudinem, ut oculorum aciem effugerint, cum quintuplo plus temporis deſcenſus horum viſus abſumpſiſſe quàm aſcenſus:* ut taceam alia admiranda, quæ pluribus ordine *laudata* offert *narratio*, quod per aliquot menſes horribilis iſta durârit eruptio: illud tamen non omittendum, *quod pacatâ tempeſtate cineres alio in loco mons ejaculatus ſabulo nigro aſſimiles, ad loca usque ſeptem milliaribus diſſita*. Quamvis nec deſint Hiſtoriæ poſt *Livium*, quibus lapidum pluviæ in Italia poſteritati ſunt transmiſſæ non adeò infrequentes. Videatur e.g. *Wolfius Tom. I. Cent. 10. ad Annum DCCCCLVI. & DCCCCLXIII.* &c.

§. VII. Genuinorum itaque lapidum iſtis, ſed & aliis modis, ex nubibus in terram præcipitia & Auctoritas Antiquo-

quorum, & Recentiorum fide digniſſimorum *αὐτοψία* ſuaſerit; unus *Bartholinus* hâc vice ſit inſtar omnium, qui varias Hiſtorias *loc. cit.* congerens, eorum, quæ ætas iſta vidit, *Anno M DC LIV. in Fionia lapidum plurium duriſſimorum & ponderoſorum pluviam* memorat; ex quibus ipſe unum nactus eſt libræ civilis pondere, majori duplô ponderoſiori, ad Regem miſsô. Nec contemnenda ipſius ſententia, quâ grandiorum lapidum pluviam apud ſe concepit. Sic & *apud Wolfium Tom. I. Cent. 15. ad Annum M DC XCIII.* mentio fit pluviæ lapideæ & apud alios paſſim. *Pumices Heclam ad litora Islandiæ* æſtu incendiorum evomuiſſe paſſim nautæ & advenæ commemorant. Pariter *ad pluvias aliorum foſſilium metallorumve ſtabiliendas*, fidem impetrabit *Georgii Agricolæ* in Metallicis curioſitas; qui licèt verba Avicennæ tacta arguat, dum enſes Alemannicos ex ferro cœlitùs delapſo fieri credidit, hoc tamen eidem largitur, fuiſſe tempus, quô ære ferroque pluerit, ſubdens; *& nos aliquot abhinc annis autumni tempore terrâ luteâ pluiſſe vidimus. L. 5. de Ortu & Cauſis ſubterr. p. 77. ſeq.* Neque *Scaligero* eſt, quod jure objici queat, quando *Exercit. 323. de Subtilitate ad Cardanum*, ferrum pluiſſe in Taurinis refert, cujus fruſtum apud ipſum exſtitit; ſubjungens: *tribus circiter annis antè, quàm ab Rege provincia iſta recepta eſſet, pluit ferro multis in locis, ſed raris.* Quibus Aa. addatur *Balduinus* Chimicæ gloriâ illuſtris, *Venerem auream in forma Chryſocollæ foſſilis, cum fulmine cœlitùs delapſam, propè Haynam die 28. Maji Anno M DC LXXVII.* non minùs eleganter ac fideliter deſcribens; extat *ad Annum VII. Ephem. Germ.*

§. VIII. Adſunt quoque teſtimonia incorrupta, quibus ſimilem in modum *pluvias frugum* adſtruere valeamus. Non memoro *grana tritici*, quæ pluiſſe in Gallia *apud Wolf. Cent. 10. ad Annum 995.* Aa. conſignarunt literis. Recentiora ſuppetunt documenta, quibus magnum pondus, addit Auctoritas ſcribentis; *Thuanus* is eſt, in quem virum omnes dotes Hiſtorica contuliſſe videtur; adeò ipſum excoluit, & ſuum eſſe voluit,

luit, cùm nec induſtriæ deſit candor, nec candori libertas dicendi, neque dicendi libertati concinnitas aut elegantia; ex hujus *L. 5. Hiſtoriarum ad Annum M D XLVIII.* hæc habe. *Fuêre & alia alibi prodigia. Nam in Carinthia, non longè à Clagenfurto & Villaco, oppidis X. Calend. Apr. horarum ſecundô ſpatiô, per duo ampliùs milliaria annonam pluit, ex qua regionis incolæ optimum panem confecerunt, qui ad Cæſarem cum granis ſiligineis cælô delapſis perlatus, & ſummâ admiratione conſpectus eſt:* addit: *Conrado Lycoſthene Auctore, id biennió poſt accidiſſe, jamq; olim Probi Imperatoris temporibus, in eadem Germania, genuinum huic prodigium contigiſſe, narrante Zoſimo. L. 1.* Quibus *ex L. 50. ad Annum M D LXXI.* ſequentia erunt annectenda. *Magna prodigia hoc Anno in Germania memorantur. Nam cùm anguſtiâ annonæ ferè ubiq; ſummâ, tum præcipuè in Suevia Norica laboraretur, rarò præter naturam beneficiô, piſa, rapula, frumentum ac triticum, compluribus locis Gottlebergi ac Lembergii in Quadis. XVII. Cal. Quintiles pluit, ex quo collecto trituratoq; homines undiq; accurrentes, triduo poſt panem eſu optimum confecêre; cui ſimile prodigium, jam ſupra ad Annum XLVIII. commemoravimus.* Adde his *Cl. Velſchii citatam Obſervat.* ubi grana hederæ falsò pro frumento pluviali venditata, allegârat. *At nobis,* inquit, *verum & genuinum triticum eſt, quod M DC XIX. è nubibus decidit cum pluvia, ejusdem planè formæ, quod olim Philippus Heinhoferus ad Ducem Pomeraniæ miſit in technoplinthio ſumptuoſiſſimo repoſitum. Neq; de noſtro hoc dubitari poteſt. Nam & in farinam redactum panem præbuit, nihil à vulgari tritico differentem; etſi nonnulli pauperibus tantùm famem exemiſſe narrârint, ditioribus nihil profuiſſe: Et ipſa forma externa adeò manifeſta eſt, ut ſi quis pro granis hederæ habere vellet, ludibrium certè nobis deberet haut exiguum.* H. I.

§. IX. Quod *animalium pluviam*, fateor, mihi hæret aqua: atque parùm abeſt, quin cum *Fromondo* evadam Ephecticus; neque enim video, quî tantorum virorum Auctori-

tati-

tatibus, e. g. ranarum pluviam ſtatuminantibus, aſſenſum denegare auſim, cùm αὐτοψίαν obteſtentur, uti *Fallopius de Metall. c. 9.* præter aliorum experimenta; neque tamen video, quî rationi atque experientiæ ſolidiori illorum concilientur placita. Quis enim citiùs quam aſparagi, quod ajunt, coquuntur, ranas ex ſpermate in animal ad Solem efformari vidit? neque enim ſpatium, quô fungi naſcuntur, horum animalculorum nativitati inter pluendum conceditur. Quis non, modô ſucceſſivô experimentorum uſu *ranarum Metamorphoſes* his oculis inſpexerit, meminit gyrinos illos fœtus haud parvâ morâ in piſciculi ſimulacrum tranſire; majori autem opus habere ad explicandos artus quadrupedis; atque tunc caudatos adhuc longiùs tempus exigere, quô in formam raninam decurtati, prorſus adaptentur. Pariter *culicum generatio* αὐτόπτης quisquam ipſam conſuluerit, non parva momenta temporis ſuarum viciſſitudinum depoſcere deprehendetur; ut taceam enim, quomodo ex horum ſpermate itidem galbæ prodeant, quæ dein piſciculorum barbatulorum, globoſis hirſutisque capitibus, facies induunt, propè caudam duobus apicibus conſpicuis, prodigiosâ agilitate ſub aquis luſitantes, donec languente illô motu in gyrum contrahatur corpuſculum agillimum, alterâ parte inflatâ, quô ſchemate ad ſuperficiem aquæ fluitantes, raro ima petunt, niſi contactæ fuerint aut commotæ ab externa vi; atque iſtum in modum præſtolantur caloris virtutem, quæ ipſarum involucrum alienum diſſolvat; quô factô, culices nitidi relictis ſub aqua exuviis, alienô elementô ſe committentes, ad ſuperiora liberè evolant. *Honoratus Faber L. 5. de Gener. Anim.* diverſas Culicum generationes recenſet: *Propoſitione 75.* quidem illorum, quos tinnulos vocat: *Item culices illi tinnuli*, inquit, *de quibus tamen nonnulli dubitârunt, coëunt & ova pariunt: immò majores quosdam ovis prægnantes inveni: in luto deponit ovum, ſub æſtûs finem, ex quo ſenſim vermiculus, & ex hoc ſuum chryſalidis genus, ex quâ demùm culex. Propoſitione*

verò

verò *76.n.1.* illorum, quos tipulas appellitat: *In aquis*, inquiens, *præcipuè ſtagnantibus varia animalcula ſponte naſcuntur, ut tipulæ, ex fece ſcilicet ſubſidente; imò ad tempus ſuæ origini adhærentia moventur, deinde abſolvuntur, & paucis poſt diebus aſcendunt ad ſuperficiem aquæ; mox diſruptô putamine, culex emergit; inſunt autem primordia terreſtri concretioni, ab aliquo excremento, vel animalium, vel vegetabilium aquæ admixtò. Unde enim illa terrena concretio aquis admixta? Pari modô ranæ gignuntur & anguillæ, ſed ex aliquo primordio relicto* &c. H.I. In quibus de Culicum generatione Obſervationibus *Cl. Viri placita peculiaria* noto: *Quod* ipſi Culicum omnium non eadem generatio; *Quod* tipulas, quarum ſucceſſivam generationem αὐτόπ]αι cognovimus, ex fece vellit prodire, iſtô quidem argumentô, quum huic ſuæ origini ad tempus adhæreant; *Quod* paucorum dierum intervallum metamorphoſibus hujus animalculi concedat. Ego quidem non negavero, aliam aliorum poſſe eſſe generationis rationem; quod tipulas verò, de quibus accuratam inſtitui obſervationem, illas in alveo ligneo puro, niſi quod vetuſtate exeſus eſſet, incorruptô, aquâ pluviâ pellucidâ in eodem ſtagnante, offendi; atque cùm maximæ, medioximæ, minimis, quæ ſubtile filum adæquabant, eſſent mixtæ, omnes, quando imum petebant, capita lignô infixa quaſi abſcondebant, protenſis caudis, egregiô ſpectaculô gregatim ad profundum ſe proripientibus, atque denſis ordinibus dictô modô ſtabulantibus omnibus: Illudque in more animalculis poſitum adverti, quando vitrô ipſorum copiam indidi, ubi ad commotionem aquæ, aut adſpectum accedentium fundum illicò petentia, capitulis abſconditis caudas erexêre. Tres autem ſeptimanæ abiêrunt, priusquam maximæ tipularum exuvias deponerent, atque criſtatæ ad chartam ſuperimpoſitam perforatam evolantes aërem captarent; minimarum verò metamorphoſes quatuor ſeptimanas, & ultra, exegerunt. Alia occurrit obſervatio *in Actis Anglicis Anno 1665. M. Maj.* ubi

ubi curioſa generoſi Angli circa rorem Majalem experimenta referuntur; *quod cùm circiter unam menſuram hujus roris, quem putrefactum & excolatum fuiſſe autumat, impoſuiſſet in apertum vitrum cylindricum, orificiô amplô, & ſiviſſet multas ſeptimanas ſtare in feneſtra Auſtrali, cui Sol multum incubabat, ſed cancelli tenebantur arctè clauſi; poſt aliquantum temporis veniens ad excipiendum rorem ſuum, invenerit pleniſſimum parvorum inſectorum magnis capitibus & tenuis textura corporibus, ſimilium nigris animalculis in aquis natantibus, quæ ſunt ranarum fœtûs caudati, ſed multò minorum: Illa, cùm accederet ad vitrum, fundum petebant, quaſi ſe occultare vellent; cùmq; recederet, denuò enitebantur in ſuperficiem aquæ. Cùm ita paulò longiùs ea reliquiſſet, poſteà reperit ſpatium pleniſſimum Culicibus, licèt janua & feneſtræ ſemper clauſa fuiſſent.* Addit, *ſe primò non ſuſpicatum, hos Culices aliquô modô affines eſſe rori, ſed cùm poſteà comperiſſet Culices multiplicatos & aquatica animalcula multum diminutos numero, eorumq; plurimas pelles vacuas ſupernatare rori ſuo, non immeritò ſe perſuaſum putat, ut crederet, hos Culices per regenerationem productos ex dictis animalculis.* H. I. Quæ obſervatio confirmat memorabile tempus intercedere, primos ortus inter & abſolutionem Culicum. Atque citra dubium ros Majalis culicum poſſedit ſperma, quale minutiſſimum, infra granorum papaveris magnitudinem mihi viſus ſum vidiſſe in rore Majali, quem ſtudio ex diverſis vegetabilibus ſeorſim collegeram: Nullos tamen ex iſto, utut ad feneſtram Auſtralem poſitô, eduxi Culices; Neque ullius alîus inſecti ex rore progenerationem mihi intueri licuit, quamvis operam dederim ſedulò; an quòd frigus priùs ſeminia corruperit, an quòd Calor non ſatis penetraverit, incertum relinquo. Cautionem autem adhibui ſemper, ut ne aliunde advenirent inſecta, chartâ ſuperimpoſitâ minutis punctis perforatâ. Moras autem, quas in Culicum generatione Metamorphoſes, ſive mutationes malis, requirunt, etiam *Illuſtris Boile* atteſtatur *in Actis Anglic. An. 1670. Menſe Septemb.* *Com-*

paravimus quædam iſtorum inſolitorum inſectorum , ex quibus Culices fuiſſe generatos ſub finem Auguſti , vel initium Septembris, viri quidam ingenioſi obſervârunt. Hæc ſpatiô quarundam ſeptimanarum continuô omnes unà vivunt in aqua (non ſecùs ac fœtûs ranarum caudati) ſurſum deorſum illi innatantes, donec matura ſunt transmigrationi in Muſcas. H. I. Vel *Muſcarum generatio* non paucorum dierum intervallum requirit , uti cuivis notum: Vel *Lucianô Coryphæô in Muſcæ encomio, Tom. I. p. 824.* Quodnam igitur miraculum raninos hos fraterculos, feliciùs ex pluviæ guttis quàm Cadmeos ex dentibus Draconis educet? Non poſſe ita fieri, ut dum delabuntur , aut delapſæ illicò guttæ in ranas transformentur, certus ſum: Videri tamen poſſe cœlô delapſas ranas ſuprà dictis modis non nego, ut tamen minùs rectè ranarum iſta credatur pluvia. *Aliorum potiùs inſectorum quomodocunque conceſſero pluviam* imprimis illorum , *quibus in aëre* adminiculo qualium qualium alarum *ſe librare eſt datum;* ſcarabæorum &c. cùm iſtiusmodi ad nubes facilè ob levitatem efferantur ; ob aſſuetudinem in iis quoque hoſpitentur commodè , donec gravitate pluviæ depreſſæ humo non difficulter affligantur; *ſic & genus aranearum*, quod filis ſuis tantùm non ex aëre ſe novit ſuſpendere, hôc velô per liquidum volitans æthera, facilè etiam cum pluviis quandoque catervatim deturbari poterit, quemadmodum ſaltûs integros unâ nocte araneis iſtiusmodi oppletos novi , telis adhuc manè madentibus. *Perfectiorum animalium & non volatilium* , minimè concedam iſtos ad cœlum progreſſus, iſtos ex cœlo lapſus.

CAPUT

CAPUT II.

De
Nupera in Curonia Annonæ & Bracteæ ſive Telæ ſingularis prodigioſa Pluvia.

§. I. *Quod attentione opus ſit ad Hiſtorias prodigiorum dijudicandas.* §. II. *Qualem induſtriam adhibuerimus ad prodigioſæ pluviæ iu Curonia fidem examinandam.* §. III. *Relatio de pluvia annonæ & bracteæ in Curonia, quam nanciſci licuit accuratiorem.* §. IV. *Phyſico ſtudio non indignum eſſe ejusmodi annotare Hiſtorias.* §. V. *Deſcriptio annonæ, qualem anatome oculis ſubjecit.* §. VI. *De fabis, quas itidem rumor in Livonia cœlitùs delapſas divulgavit.* §. VII. *Deſcriptio telæ, qualem Analyſis exhibuit.*

§. I.

CUm tot modis â veritate aberrare queant τερατολογοῦντες (*Ariſtoteli* dicti, *2. Meteor. cap. 8.*) ſive prodigiorum Scriptores, utique attentionem meretur, dignotio verarum Hiſtoriarum de hisce talibus; quando & Philoſophi notentur *Lucianô* (πολλὰ τεράστια καὶ μυθώδη συγγεγραφότες) quòd multa monſtroſa & fabuloſa conſcripſerint. *L. I. Veræ Hiſtoriæ ſub init.*

§. II. Neutiquam itaque fidem adhibui rumoribus, quibus inaudieram *in Curonia alibi annonam, alibi papyrum delapſam cœlitùs;* ſed quàm primum tulit occaſio, dedi operam, ut certior fierem, ſi quid veri ſubeſſet Vulgi fabulis, acceptisque à non uno literis, quibus & ex utroque genere oſtentorum aliquot incluſa erant momenta, non potui non illicò perſpicere, quomodo fama, mobilitate vigens, vires eundo acquiſierit; Quòd enim telæ nigræ aut bracteæ nomen quo-

 modo-

modocunque ſuſtinet, illud Vulgus abſque cautela, papyrum (Papier) nuncupare; neque contentus papyrum dixiſſe, inſcriptam inſuper ipſam promulgavit; ita enim quædam epiſtola: Es ſind Schrifften vom Himmel gefallen. Atque cùm animus eſſet prodigiis iſtis in noſtra Exercitatione locum concedere, in id incubuimus, ut nulla ſubterfugeret circumſtantiarum, quæ quidem Phyſicæ Hiſtoriæ fidem conciliare, aut uſum promittere poſſet, iſtum in finem pluſculis *quæſtionibus* amicorum curioſitatem exercentes, ut his excitati ſingulis invigilarent intentiùs. Etenim, *quod fruges*, ſcire ex illis deſideravi, qualis elapsô annô in Curonia conditio fuerit meſſis? qualis conditio agrorum vernô labentis anni tempore? an grana frumenti glumis ſuis excuſſa per adjacentes campos Ver uſquam viderit? atque cùm cœlum effuderit iſta, matutinisne horis an ſerotinis? pluviane comite an vento? hocque placido, vel ferociente? pluribusne in locis an unicô? cultô, incultô? ſparſim an acervatim? extantia an immerſa? homogenea an heterogenea? cum folliculis aut deglupta? fibris illicò aſpera, aut immunia? ſi quoque ad vitium frugum Curonienſium reduci poſſent? *Quod telam ſive bracteam* ſimiliter percontati ſumus, quæ ſcire multum noſtra intererat.

§. III. Verùm quòd ad iſtas quæſtiones nondum ex voto fuerit reſponſum, omnibus quidem numeris abſolutam Hiſtoriam minimè polliceor; illam tamen, quæ melioris notæ mihi ſuppetit, uti eſt ab Erudito perſcripta vernaculâ Orbi Erudito intereà temporis cenſendam æquô offero animô. Den 1. Apr. A.C. (1686.) iſt das ſo genandte Papier in Curland / bey dem Gute Rauden / dem Herrn Obriſt Seefeld zuſtändig / gefallen / und zwar des Morgens in einem Stück. Iſt aber hernach vom Sturm alſofort zerriſſen / und in viele Stück hin und her zerſtreuet worden. Im ſelben Monat / iſt der Roggen bey Papen-See auf der Vieh-Weide im ſandigten Ort nicht weit von der See gefunden worden / ſo ordentlich / als wäre es geſäet worden. Es hatt

ein

ein Feld von ohngefehr 2½ Scheffel-Saat bedecket. Quibus quod adderem, licet ex inſtituto quidam Amicorum, *locum, qui Ducalis Ditionis ſeptem milliaribus Memelâ diſtat,* adierit, & ex Domino Præfecto, accolisque colonis, ſedulò percontatus ſit omnia, memoratu dignum necdum acceperam, niſi *quòd nives papyrum delapſam illicò inſecutæ* memorarentur: elapsô verò annô (1687.) à CL. M. GEORGIO KRüGER pleniorem, & quod tempus accuratiorem hiſtoriam *Calendario* annexam nactus ſum, quam vernaculâ, quâ conſcripta eſt, legentibus ſiſtere juvabit. Es iſt nunmehro Landkündig / was von dem Papier / ſo im Ambotſchen zu Rauden an der Littauſchen Grentze am 31. Januar. ſtyl. nov. gefunden / ſpargiret iſt: Welches denen Unwiſſenden / und andern zum Gedächtnüß zu erzehlen nöthig iſt. Es wohnet in dem Felde Rauden genandt / nahe an einem Teiche / der auf 1½ Looff-Stete in ſich begreifft / da man anderthalb Looff oder Scheffel Getreydicht ausſäen kan / ein Curiſches Bauer-Geſinde / ſo aus befugtem Teiche des Waſſers ſich bedienet / welches dann auch dieſen Tag (am 31. Jan.) ſo wol des Morgends / als vor Mittags geſchehen / und haben dennoch ſelbige Leute an dem Orte dazumal nichts vermercket. Da ſie aber nach dem Mittags-Eſſen wiederum zu ihrer Arbeit gegangen / werden ſie mit Beſtürtzung gewahr / daß der gantze Platz des Teiches gantz ſchwartz überzogen / nicht wiſſende / was ſie daraus machen ſollen / oder wo dieſes herkommen / ſintemal dieſe nichts geſehen haben aus der Lufft fallen: der Nachbar aber ſolls geſehen haben / daß es mit einem Schnee Flocken-Weiſe aus den Wolcken gekommen. Kein Menſch getrauete ſich dieſe Materie anzurühren / in Meynung / es möchte eine Zauberey ſeyn. Nachdem aber ein Lettiſcher Bettler ſein Brod zu ſuchen nach dem nächſten Adelichen Hofe zu da fürüber gehet / hebt er ein Stücke davon auf / daſſelbe als etwas ſeltzames im Hofe zu zeigen: da es dann bald für Papier / bald für Blätter angeſehen worden. Man iſt dahin gegangen / und hat befunden / daß es groſſe Stücken-Weiſe / als eines Tiſches groß / daſelbſt über und aneinander an theils Orten Finger dick in groſſer Quantität gelegen. Des folgenden Tages

 ſolls

ſolls ein Wind (ich finde Nordwind in meinen Annotationibus) zeriſſen / und hin und her verworffen haben. Bald darauf ward mir ohngefehr am 4. Febr. von einer fürnehmen Adelichen Perſon aus der Ritterſchafft / wiewol zuſammengewickelt / ein Theil hiervon zugeſchickt / und mein geringes Judicium hiervon begehret: Welches auch von vielen andern geſchehen / die mich zu dieſem unvorgreifflichen Diſcurs veranlaſſet / meine Schuldigkeit auf einmal allen abzuſtatten. Nun ich muß geſtehen / daß mir dieſes ſeltzſam fürgekommen: Die Materie war ſchwartz / als wäre ſie etwa durch ein Fege-Feuer gangen: hielt ichs gegen des Tages-Liecht / ſo wars an etlichen Orten bergichter / an etlichen dünner / natürlich wie Löſch-Papier oder Druck-Papier zu ſeyn pfleget: An dem Orte aber / da es zu Rauden ſehr feucht gelegen / ſoll es auf der oberſten Seite ſchwartz / auf der andern aber (wegen des weiſſen Schnees) grauer oder fahl geweſen ſeyn: Man fand auch hin und her auf beyden Seiten veraltete Fäſerlein vom Gras anklebende / die man aber abreiſſen konte / welches eine Anzeigung / daß es etwan im Gras gelegen: Der Geruch war nach See-Miſt; trocken aber hatts gantz keinen Geruch; ſondern gab einen natürlichen Papier-Geruch von ſich / wenns angezündet ward: Zerrieſſe ichs feucht / ſo faſelte es gleicher Geſtalt wie ander Papier / wenns voneinander geriſſen wird / alſo daß zwiſchen dieſer Materie und Papier kein ander Unterſcheid iſt / als die ſchwartze Farbe. Darum nennet mans Papier / ſintemal ſo wol wegen der Gröſſe / als auch anderer Umſtände es für Baum- oder andere Blätter nicht zu achten iſt.

§. IV. *Phyſicô* autem *ſtudiô minimè indignas has* æſtimo *Hiſtorias; quòd non vehementiâ* aliquâ *manifeſtâ* aut obviâ ad ſuperas regiones elata, & ad inferas continuò inde detruſa, memorata recenſeantur corpora; *quin quòd potiùs aliquid ingenii reconditi* videtur continere horum peregrinus ex aëris Regione partus, ut qui in admirationem rapuit complures: illa autem, quæ ſunt admirationis, ex Phyſicis præprimis ſcire deſiderant homines, id quod Iridem Thaumantis filiam finxit antiquitas: *Partim quod magis afficiant* res geſtæ, quarum

ad pag. 23. Appendicis.



in Figuram I.
Cujus aliæ partes exhibent grana
cum ſemine denudato, num: 1. 4.
cum fibris radicum æmulis, 3. 5.
cum duplici gluma, 2.
geminis apex ex grano eminens, 6.
Aliæ pelliculam Roris Majalis cum fungis:
major congeries cum globis floridis, 7. 8.
mediæ magnitudinis, 10.
minimæ magnitudinis et ſubnascentes, 9.
Aliæ deniq; fabas et pisa, 11.

rum in propinquo eſt memoria, cùm harum major ſit ſenſus: *Utq́; fit à facto propiore* homines *priora renarrant: Præterquam, quòd plurimus ad Doctrinam de Generatione & Corruptione* ex illis qualibuscunque redundare queat *uſus:* Cùm ante oculos ponent, nec illos, qui ſunt casûs aut fortunæ, naturæ adſcribendos fœtûs; nec illos ſpurios proclamandos, quos Natura ſuô eduxit ſinu legitimos.

§. V. Grana autem, quæ indeptus ſum, ut legentibus deſignem, ſciant, *alia* minora, *alia* majora oblata; pleraque tamen omnia fuiſſe quaſi compreſſa, imâ parte latiori, ſummâ acuminatâ, exilia & minimè robuſta, ut cum *Columella L.2. de re ruſtica c. 9.* loquar. *Quædam nuda* prorſus fuerunt, omni tunicâ exutâ, intimum ſolidum, quod *Varroni L. 1. de R. R. c. 48.* propriè granum, unicè exhibentia; ſingula tamen media diviſa erant *lineolâ* quâdam; quam accuratè examinans, animadverti *germen* eſſe, quod acutiori parte in pluribus exeruerat apicem. *Quædam Vaginæ* aut folliculo *incluſa* erant, alia ſimplici, alia duplici: in iis, quæ duplici gaudebant, exteriorem glumæ adſigno, interior tunicæ fuerit propria. Atque *ſive gluma ſive tunica* illa fuerit arida, pleriſq́ue dehiſcebat, ut tamen quomodocunque obvelaret granum: aliis in filamenta capillaria diſcerpta, non ampliùs tegebat granum, ſed ad imam latiorem partem protruſa, radicum fibrillas lacera æmulabatur, unde quibusdam proditum, *illicò frumentum hoc germinâſſe:* daß es zur Stunde aufgegangen: nonnullis gluma has effinxerat radices, ſalvâ tunicâ propriâ: *unicum* quod aderat *teres granum*, inciſum germinis apicem, inſtar gladioli, peculiari vaginâ circumdatum obtulit; *in* hujus *ſolido* quoque aliquid *farinæ* dentium attritus probavit; in reliquis verò compreſſis glutinoſum corpus pulverem ſuppeditavit quàm ægerrimè. Literis certior factus eram, fuiſſe, qui areolâ qualicunque, ſubvertendo glebas, *in terram*, in quam inciderant, *noſtra grana demiſerit*, areolamq́ue ſæpè muniverit: Atque poſtremis idem amicus aſſe-

vera-

veravit, *prodiiſſe ex terra , anguſto-tenui folii graminis herbâ*, ab odorato Pruſſico gramine parùm abludente , parciſſimè licèt ; oblatis unà aliquot *germinum exemplaribus* ſeſquiſpithamum & ultra longis, nullam tamen ſpem culmi ſive calami facientibus. *Ad quodnam* autem *genus referenda ſint grana noſtra*, licèt ambigi poſſit, ad frumentum tamen jure reducenda videntur ; in medio autem fortè relinquendum, an ad ſiliginem , an magis ad triticum , an verò ad ſecale , aut ad avenam ? hordeum non eſſe viſu dignoſci poteſt; neque etiam alicujus alius generis eorum , quæ vitia frumenti audiunt, ſpeciem refert. *Ratio* verò *germinis intra grana noſtra* quandoquidem iſtud contulimus , *cùm primùm germinantibus tritici & ſecalis granis, non fuit prorſus eadem ;* quamvis enim *& his , ex acumine exeat germen ,* imprimis *ſecali*, tamen maximam partem *exteriùs à baſi exoritur , ubi corculum horum ſeminum* radices verſus terram dimittit, & ſurſum erigit granum ſive ſolidum , ut duplici alimentô proſpiciat germini , aliô ſcilicet ex terra per radices, aliô lacteô ex grani uterô; proximis enim à ſatione diebus attentè luſtranti, extra granum *germina* aſſurgere in ortûs ſuos videbuntur, *ut lateri illi arctè adhæreant, quod non habet crenam.* Inveni quidem *in aliquibus granis germen*, quando adhuc valdè exile eſt, adhuc intra propriam tunicam iſtâ parte latitare, ſed non diu patitur, ſe ibi abſcondi; neque per totum corpus ita occultatum excurrit , nec adeò profundè illud dividit ; *Neq; grana tritici aut ſecalis terræ mandata illicò tunicas ſuas exuunt*, ſed propriam retinent; donec omnis lacteus humor, atque hinc etiam lacteo ſuccedens lymphaticus fuerit abſumtus, ubi poſt longum tempus demùm tunicæ hæ ſiccæ exareſcunt; *neque* tamen intereà *ita plana fiunt grana* , ſed manent ſtrongylæ. Quô ipsô patet *diſparitas noſtrorum granorum*, quæ tunicâ ſpoliata, nec crenâ diviſa, nec iſtum in modum oſtenderunt germen aut corpus ſolidum. *Avenam* autem , ubi terræ mandâram , fateor , hanc ex glumis quidem media ſua extruſiſſe germi-

germina, non tamen ſimilem in modum ex ſolido grano: Utut mihi *analogia inter avenacea & noſtra grana* videatur *omnium convenientiſſima*.

§. VI. Retulerant plerique, à quibus horum prodigiorum Hiſtoriæ ad nos *(An. 1686.)* perſcriptæ, & *fabis ac piſis in Livonia* iſtô temporum tractu *pluiſſe*; verùm cum fabis analogum legumen memorarent alii; Eine Saat denen Bohnen nicht ungleich; quidam illas prorſus tacerent; neque nobis copia facta erat iſtas qualescunque fabas inſpiciendi; easdem attigiſſe ſat eſſe judicaveramus. Nec ſilentiô prorſus erant prætereunda, ſiquidem dum latuiſſe credita fuiſſent, quæ eadem fermè regio, idem fermè tempus, eadem fama nuncia, gemina obtulerat miracula, aliquid labis inde affricari induſtriæ inquirentis facilè potuiſſet. Verùm poſteà temporis non ſolùm *in Calendario cit. promiſſa hiſtoria*, von denen ſchwartzen Bohnen und Erbſen/die eben da im Ambotſchen im Martio geregnet; ſed & *A. C. 1688. Calendario à laudato Auctore inſerta*, iſtô quidem tenore. Anno 1686. ohngefehr um Oſtern/ da der Schnee abgetauet geweſen/ hat man ſechs Meilen von hier im Ambotſchen auf der Erde auf einem Acker / da das Jahr vorher Gerſten geſtanden / eine groſſe Menge ſchwartze Kügelein / klein und groß gefunden / die Leute nennen es ſchwartze Erbſen oder Bohnen; aber es iſt nicht: ſie ſind inwendig ſchnee-weiß / laſſen ſich ſchneiden als ein ſehr vertrockneter Schwamm; wann es geſchabet und angezündet wird/gibts einen greulichen Geruch / als verbrandte Erbſen: Etliche meynen / es ſeyn Früchte von Seeblättern. Ob Seeblätter in den kleinen ſüſſen Seen Früchte tragen/ können die jenigen wiſſen oder erfahren/ welche an denſelben wohnen: ich zweifele. Solche ſchwartze Erbſen ſind auch an andern Orten zerſtreuet gefunden worden. H. I. Quin & fuit, ut tandem Amici ſtudiô *fabulas* ſic dictas, quas itidem *in Curonia* im Abotſchen cœlitùs delapſas, annotârat, obtinerem. *Forma* quidem illis non prorſus fabarum; neque enim in lobos dehiſcunt, nec hilum in illis comparet, nec oblonga ipſis ſpecies, ſed ad rotunditatem devergens, citra ul-

 lum

lum in medio receſſum. *Superficies* undiquaque ſcrobiculis exaſperata *cuticulam* oſtendit nigerrimam: *intùs* quod eſt ſolidi albiſſimum promittit farinam, aſt *manſum* dentibus neſcit cedere, cùm in duriſſimo & cultri acies lentorem experiatur, nec Spiritu Nitri edomandum: *Sapori* toſtum offert obtusè; fabacei nil quidquam exprimens: *ignis*, corticem faciliùs depaſcitur quàm granum, quod admodùm reluctatur; *nullô fœtore*, niſi qui ſarmentorum ſolet eſſe, *flammam* luculentam neutrum ſpargit, minùs tamen granum. Eſſe inter aquatica, aut paluſtria, aut marina, quòd tales fructus ferat, non memini à quoquam *Botanicorum* traditum.

§. VII. *Telæ ſeu Bracteæ fragmenta*, quæ mihi transmiſſa, *non ſunt prorſus nigra*, cùm aliquid albedinis interluceat, ſi Soli obvertantur; *tenuiora* ſunt papyri communis foliis, à quibus non penitùs exuſtis *quoad externam formam* parùm abludunt; arctiùs tamen illorum cohæret compages, nec ita facilè contacta in pulverem abeunt: Quin quodammodò *crepitant & plicabilia ſunt*; id quod me induxit, ut potiſſimùm bracteæ aut bracteolæ nomine venire vellem prodigium, cum metallicis laminis & aliis ligneis, corneis operibus iſta congruat appellatio. Saliva *madefacta*, nihil atri aſpergebant digitis; nec *manſa* in pulverem comminuebantur, ſed glutinoſum quid inſtar pelliculæ alicujus humecta relinquebant. *Igni admota flammam* luculentam concipiebant, eâque excuſsâ, *ſcintillæ* ad vicinas partes proſerpendo, fomitem in ipſis facilè adinveniebant. *Odorem* exhalabant, primô quidem ſenſu, qualis papyri exuſtæ, qui dein magis ſulphureus nares ingrediebatur, nullô tamen fœtore aut graveolentiâ ipſas feriente. Extinctis ſcintillis, relinquebant aliquid *cineris*, non ampliùs reſinoſi. *Spiritus Nitri affuſus*, ipſa non corrodebat, ſed mollitiem pelliculæ tenacem concilians, nigrum in rubicundum mutabat colorem. *Affuſus & Spiritus Sal. Armon. Urinoſus, Oleum item Cinerum Clavellat. per deliquium affuſum*, ſed ut nullam inde proderent varietatem, niſi quod niger

niger color intenſior evaderet; idem eventus fuit *aſperſô acetô.* Pluribus non licuit committere Prodigium, ob penuriam bracteolarum, aliàs Analyſi intimiori ſubjiciendum fuiſſet ulteriùs.

CAPUT III.

De

Cauſis pluviæ Vegetabilium juxta Auctores.

§. I. *Expoſitâ quæſtione An ſit, progrediendum ad quæſtionem Cur ſit: Cur primùm de Cauſa pluviæ Vegetabilium agatur?* §. II. *Quod, quæ venti aut ignis vi deferuntur aut decidunt, habeant manifeſtas cauſas; quæ autem citra talem vehementiam delabuntur, de illis quæri, an in nubibus ſint generata, aut quibus aliis modis ad illarum regionem pervenerint. Quod animalia, de iſtis quidem traditum eſſe à Meteorologiæ Scriptoribus; non ita de Vegetabilibus.* §. III. *Quod Aa. diſſentientes, alii in aëre animalia ſimpliciter generari ſtatuerint, alia ex ſeminibus illatis: iſtum in modum etiam diſſenſuros Aa. circa generationem Vegetabilium in aëre.* §. IV. *Auctores qui ſimpliciter, ſive citra ſemen, novè generari Vegetabilia in aëre ſtatuerunt, eorumq; rationes.* §. V. *Auctores, qui ex ſeminibus eadem in aëre generari ſtatuerunt, & horum rationes.*

§. I.

IStas, quæ fidâ relatione, de annona & bracteâ Curonienſi cœlitùs delapſis, addiſcere, & oculatâ experientiâ cognoſcere datum fuit, compendiô expoſitis, *non ſuffecerit noviſſe, quod ita res ſe habuerit,* qualis ſenſuum ope impetratur cognitio; *ſed* cùm ſcire *magis* ſit, nôſſe, *quibus rationibus idem*

evenerit, quod negotium eſt intellectûs; danda eſt opera, ut illuc hâc vice quoque penetremus. Iſtum certè in uſum retulimus Hiſtorias, ut quomodo de Cauſis ſit habendum, quantum fieri poſſet, conſtaret liquidò; ad quod nos accingentes, cùm *difficilior ratio pluviæ Vegetabilium*, hanc primò aggrediemur, ut in illa altera, quæ ex foſſilium cenſu ſua videtur hauſiſſe, labor finem ſortiatur.

§. II. Conſtat autem ex dictis; *quando ventorum vehementia impetu ſuô rapit* ſive vegetabile, ſive animale corpus, ex alio loco in alium iſtud projiciens, hujus rei cauſam eſſe manifeſtam: cùm evidens ſit, quantâ ſpiritus violentiâ gaudeat, ut quâ arboribus aut herbis ſeminia elidere, montibus ſaxa avellere, terris exturbare foſſilia, & de viis abripere animalia novit: *Pariter ſi poſt incendia res alienæ aëri illatæ cœlitùs delabuntur*, & hujus non obſcurum proſtat cauſa. *Citra vehementiam peregrinam autem, ſi ex nubibus decidunt, quæ non eſt liquidò oſtendere à vento aut aliô caſu iſtis momentis temporum ablata, maximè inveſtigatione dignum erit, quomodo nubibus ſint credita; an quòd in illis ſint generati hi fœtus; an verò quod aliis tacitis modis aſcendere*; atque apud easdem per intervallum longiùs habitare, hincque ad proprios redire Lares valuerint? *Aa. Meteorologiæ*, cùm *multi* ſint *in reddendis cauſis animalium ac mineralium*, quæ ex nubibus, tanquam ex Trojano equo deſubitò prodiiſſe memorantur; *in Vegetabilium pluvialium Origines, non intenderunt adeò animos, ſive* quòd hæc rariora fuerint, *ſive* ex illis, quæ de animalibus protulerunt, de his quoq; judicium voluerint ferendum.

§. III. Scilicet cùm ſint, *qui ſtatuant, animalia in nubibus generari poſſe, iidem etiam ſtatuminabunt, Vegetabilium in illis eſſe poſſe natales. Duplici autem modo in nubibus animalium origines naſcendi quæſiverunt, alii* quod ſemina illuc fuerint translata, ex quibus in aëre formarentur animalia; *Alii*, quòd ipſa rerum genitrix natura, citra ſueta ſemina, ipſa produxerit; *prior ſententia fuit Cardani*, qui ranarum ovis in

aërem

aërem ſublatis ranunculas excludi ſcripſit; *in alteram verò ſententiam Scaliger propendet*, contra *Cardanum* aſſerens, licere naturæ in aëre non ex ovis generare. *Nam ſi mus*, inquit, *non ſemper è parentum ſemine, ſed è quisquiliis in navi, ſic in aëre ranæ, haut ex ovo, ſed ex aqua genitali, cœleſti calore condenſata conformataq;:* Atque Hiſtoriæ appendicem ſubjiciens: *Mirambellum oppidum eſt in ejus agro, tantum pluit ranarum, ut cumulatim totæ viæ tegerentur. Oppidani neq; pedem efferre domo, neq; veſtigia ubi ponerent, haberent; quô ſi totius penè Aquitaniæ ranina ova convecta eſſent, vix ille numerus expleri potuerit. Exercit. 323.* Atque videtur ad partes Scaligeri tranſire & *Fromondus L. 5. Meteor. c. 6. art. 4. Durus tamen & contumax*, inquit, *adverſus tot Aa ſim, ſi pernegem in nubibus quandoq; generari.* H. I. Conf. *Aa. apud Geſnerum. Iſtum* itaque *in modum*, quô animalia, vel ex ovis, vel citra illa, in nubibus generari poſſe arbitrati ſunt *Aa, & Vegetabilia, vel ex ſeminibus vel citra illa, in iisdem generari poſſe autumabunt*.

§. IV. *Scaliger* ſanè, citra ſemen novè naſci in nubibus Vegetabilia cenſuerit, id quod his *L. cit.* innuit: *Quid multa? nonne quotidiana fœtura cœleſtis genii, quæ natura eſt, potentiam declarant, plantæ nullis ortæ ſeminiis.* H. I. Scilicet cùm animalia nova generare queat natura, citra quam, quòd illi ſubſternantur ova, quidni & Vegetabilia produxerit citra ſeminiorum ſegetem? Atque *Scaligero* absque dubio adſtipulabuntur *Democriti Sectatores*, quibus corpora animata quoque ſunt mera compoſitio particularum aliter atque aliter locatarum; uti & *Grevv in Dial. de Mixtione* minimè diffitetur. *Carteſius* dux horum redivivus *c. 7. Meteor. §. XIII.* ſimilem apud ſe concepiſſe ſententiam videtur: *Et prætereà, quoniam valdè varia eſt & multiplex exhalationum natura, mihi facilè,* inquit, *perſuadeo, fieri poſſe interdum, ut à nubibus compreſſæ, materiam quandoq; componant, quæ colore aut ſpecie lac, carnem aut ſanguinem aliquô modò referat; vel quæ aliquô modô accenſa*

 aut

aut combuſta fiat talis, ut pro ferro, aut lapidibus ſumi poſſet; vel quæ deniq; corrupta & putreſcens in exigua quadam animalia brevi tempore convertatur. Ut inter prodigia ſæpè legimus, ferro, ſanguine, locuſtis, aut ſimilibus pluiſſe. H. I. Quem exſcripſit *Joh. de Mey in Commentariorum Phyſic. Part. 2. c. 5. in Job. 38. v. 28. ſeqq.* exiſtimans harum pluviarum ut & reliquarum cauſas eſſe planè naturales; *quodq; illa res, quæ in pluvia decidunt, ſi non vi ventorum illud contingat, à calore Solis & aptitudine, varioq; motu minimarum particularum, materiæ diſpoſitione ita immutentur, ut colorem vel duritiem, vel ſaltem figuram illarum referant* &c. H. I. *Neq; illi diſſentient, qui panſpermiam* ſtatuerunt ex Phyſiologis, de quibus inter alios conſule *Theophr. 3. H. Plant. c. 2.* ad quos inclinant multùm, *qui de ſpiritu mundi ſive univerſi* tot mira prædicant, quibus & *Burſerus* favere videtur *Introd. ad Scient. Natur. L. 1, 14. Non minùs inter Chymicos* arcanorum glorioſi jactatores his adſtipulabuntur, qui ex aqua ſingulari, ſe non ſolùm foſſilia, ſed & vegetabilia & animalia, absque ullo ſeminiorum ſubſidio, educere poſſe promittunt. Vid. *de Rochas apud Ill. Boyle in Chymiſta Sceptico.* Ad hanc claſſem quoque referendi, *qui ex terra Virginea*, aut ex illa *roris Majalis* citra concurſum ſeminis, varias naſci plantas ſe experimentis addidiciſſe ſtrenuè prætendunt: ſcil. hæc *omnis fert omnia tellus.*

§. V. *Cardano* tamen *adſtipulabuntur* magis illi, qui certiori & obviâ experientiâ cognitum habent, poſſe ex minutiis ſeminum, vel alienis in locis, protrudi aliquod germen; e. g. *qui ex terrâ uſtâ vel calcinatâ* mille plantas, copioſô imbre accedente, illicò germinare tradiderunt; *non minùs qui ex ſatis cineribus* herbarum, ipſas herbas prodiiſſe retulerunt; ita *Cl. Honoratus Faber* ex ſato cinere tritici non ſemel triticum pullulâſſe affirmat: *Vid. L. 2. de plantis propoſ. 103. conf. prop. 99.* Atque illis pollicem premunt, *qui in animalibus non ſolùm* muſcum, ſed & ſemina & plantas, & flores, variè producta memorant. *Ita traditum* ex punctione apis tumorem, tandem

aper-

apertum, ſolidum frumenti granum obtuliſſe. Quam in rem conferantur Aa. *Borellus Cent. I. Medico-Phyſ. Obſervat. 10. & Cent. IV. ult.* uti & *Bartholinus in Actis Medicis Volum. I, III. Athan. Kirch. in M. S. Tom. II. Lachmund in Oryctologia.* Curioſa eſt etiam iſta, quam nuperè *Ephem. Gallic. Tom. III. p. 527. ſeqq.* attulit *Hiſtoria, de germinatione granorum avenæ,* (quæ comederat) in ventriculo militis; atque intra ventriculum non ſolùm radicem projecerant, ſed & ſpicam atque ariſtas protulerant, ut grano tamen gluma fuerit deſtituta. Conf. quæ *Exc. D. Mart. Bernh. à Bernitz Obſervatione LIII. An. II. Miſcellaneor. Curioſorum* memorabilia congeſſit. Et quæ *Exc. D. Paullini Obſervatio* inter illas *Anni VIII, LXXXI. de ſpica ſiliginea, in Tumore* circa coſtas, affert. Quibus addo geminam ipſis non tactam ex *Crameri Lib. 4.* der Pomeriſchen Kirchen-Hiſtori *c. 31.* Anno 1604. wird ein Kind kranck / und kriegt endlich ein Geſchwär auf dem Rücken unter dem rechten Schulterblat / abwerts gehend in der Länge / welches auf einem Ende das Anſehen gehabt / als reiffete es zum Aufbruch. Derowegen hat mans endlich eröffnet: als das geſchicht / da gibt ſich ein ſcharffer Stroh-Stengel herfür / welchen die Frau heraus zeucht mit dem Eyter / und ſihe / da iſt es eine ledige Rocken-Aehre / welche hat Herr Johann Florus zu ſich genommen / und zu verwahren beygelegt. *Iſtum itaq; in modum,* cùm ex minimis ſeminiorum, aut plantarum particulis in *corpore humano* Hiſtorica monumenta *germina prodiiſſe* atteſtentur; *quidni in nubibus quoque?* præſertim cùm in *Actis Eruditorum Lipſ. Anni LXXXVI. ex Obſervationibus de Ortu ac Ve[illegible]tatione Plantarum Joh. Baptiſtæ Triumfetti* conſtet, ex *ſeminibus,* ab aëris Soliſque acceſſu ſervatis, in vitreo vaſculo germinâſſe ac radices egiſſe, *abſq; terræ vel aquæ admixtione:* quidni aëris & Solis favore eadem germinabunt? ſanè extra terram, aquis ſolùm contigua pleraque frigida ſemina poſſe germina projicere, ſæpiùs demonſtravimus. Atque *iſta minima, ſi non ad ſpicam* prorſus in aëre exſurgant, *ſaltem ad germina aut grana* ſeſe extollere poterunt. *Præter-*

quam

quam quòd ipſa aptiſſima compareant, cùm *levitas* tenerrimorum *Embryorum* aut *hilorum*, facilè obſequatur blandæ virtuti Solis ad ſuperiora ipſa unà cum vaporibus educenti; Neque gravitas eorundem prohibet, quò minùs ſuſpenſa pluſculas moras in aëre trahant; *locô nec prorſus ineptô* ad ſuppeditandum his corpuſculis alimenti, quanto indigent.

CAPUT IV.

Rejiciuntur Argumenta, quibus in aëre Animalia aut Vegetabilia generari probârunt Auctores.

§. I. *Contra Scalig. Democritum &c. quod natura non poſſit producere plantam, nedum animal, citra ſemen aut ſeminis analogum, ex re inanimatâ. Ubi de analogo ſeminis in partibus plantarum.* §. II. *Chymicorum miracula utplurimùm non invenire fidem ampliùs, e. g. circa generationem plantarum citra ſemen, ubi de arbore Dianæ; item de arboreto & fungis ex rore Majali; item de reſuſcitatione plantæ cum ſemine hujus roris adminiculo.* §. III. *Plenior Hiſtoria de pellicula Roris Majalis cum fungis.* § IV. *Quòd neq; ex ſemine in aëre generari poſſint Vegetabilia.* §. V. *Quod noſtra cœlitùs in Curonia delapſa grana non ſint ex ſeminibus, aut ſeminum minimis, in aëre nata; quæ fuiſſe corrupta per æſtatem udam probabiliter colligitur, ex ſimili germinatione frugum udis meſſibus.* §. VI. *Quomodo contingere potuerit eadem ad nubes evehi, atq; inde rurſus in terras delabi?* §. VII. *De piſis & fabulis.*

§. I.

VErumtamen cùm *neutrâ ſententiâ* ita comparatum eſt, ut ulli omninò aſſenſum præberemus; *quoad priorem*, *neutiquam Scaligero largiemur*, *naturæ viribus*

ribus, citra ſemen, aut analogum ſeminis, plantam produci nedum animal; quô ipsô etiam *negamus, naturam ſemen viventis corporis, aut analogum, extravivens corpus ſuâ virtute conficere.* Neque enim ſaltum adeò facit, ut ex exanimi, non ſolùm actu, ſed & potentiâ tali, animatum corpus producat: Parùm enim abeſſet, quin iſtô modô ex nihilo aliquid eadem procrearet. *Democriti* autem & *ſequacium hypotheſes* ejusmodi Hiſtoriæ refutabunt; neque enim cauſam nôrunt, cur ſemine aut Analogô opus habeat natura in condendis viventibus, ſi ex ſitu ſolùm partium, aliô atque aliô, hæc talia & talia exſurgent: Cur ergò non totis æſtatibus cœlum pluit fruges? Si naturæ ſolùm eſt iſtud muneris relictum, ut componat partes has illas, hôc illô ſitu: An hoc non æquè apud ſuperos præſtabit ac apud inferos? detur ratio; Cur natura non in Meteoris tales adaptat figuras, *citra ſemen aut Analogum*, ex quibus fruges aſſurgant, ac quidem adaptat in terris, *virtute ſeminis aut Analogi. Quale Analogum in partibus Plantarum latitare* egregiô *experimentô* evincitur; quô ex caulibus perfecta ſemina oleris, vel brumali frigore non obſtante, *feliciter educi*, unà mecum inſpexerunt plurimi. Cujus rei periculum jam olim Fautorem noſtrum *Excell. D. Garmannum* feciſſe eruditiſſima *Obſervatio CLXXIV. An. VI. VII. Miſcellan. Curioſ.* atteſtatur. Haut abſimilem errorem incurrunt *Aa. qui panſpermiam ſtatuunt;* ſi enim adeſſent illa ſeminia æquè in meteoris ac ſubterraneis, non poſſet non fieri, ut æquè prompta ſuccederet germinatio per aêris ac terræ latifundia, atque deſinerent, quæ nunc ſunt, pluviarum prodigia. BURSERUS quidem *loc. cit.* per rationem Mixtionis expedit hanc difficultatem ſequenti modô: *Circa piſcinam*, inquit, *vel lacum vel paludem, eſt aqua, terra, aër, fortè etiam ignis. Horum portiones tempore vernô permiſcentur calore Solis, aut aliorum etiam aſtrorum influxu (aut variis à Spiritu adhærente, aſtrorum vi actuatô vel adjutô) tractanturq; & mutantur eousq; (agentibus ſimul invicem ipſis elementis alteroque infrin-*

gente qualitates alterius, tanquam ſibi contrarias, donec anima ranæ, aut lumbrici, aut muſcæ, aut alterius inſecti proſiliat, materiamq; illam informet. H. I. Aſt ſupponit, quod *nos cum Cl. Redo neutiquam concedimus,* placitum, ac ſi *inſecta aut animalia unquam generata ſint ex re prorſus non animatâ;* quæ adhuc ipſi gravis incumbit probatio: meritò etiam *deſideramus* in hac noſtra controverſia *exemplum, quòd plantam ita ſpontè naſci liquidò arguat, ut ex materia omnis vitæ expertè aſſurrexerit.*

§. II. *Chymicis* verò tot arcanorum, tanquam monſtrorum domitoribus, non adeò facilè fidem habebit circumſpectum & cautum ſeculum noſtrum: *ludibria plantarum erunt, & ſimulachra rudiſſima,* quibus neceſſe eſt, uti quondam picturis priſcorum, nomina adſcribi, ſecùs, nec divinare quiſpiam poſſet, qui quidem nec ſtupidus, nec perſuaſus acceſſit, eſſe iſta certarum plantarum corpora. *Imaginatio* quid poſſit *in glaciei tumultuariis figuris,* manifeſtum eſt. Et quot hyperbolis *arbor Dianæ* quondam crevit; non ſolùm in foliorum luxuriem, ſed & in ramorum robur, & in fructuum penum, quibus dubiam redderet Heſperidum hortis gloriam; hæc quæ nunc cadit ingens, & ſatis habet ſe cryſtalli aut Salis, variè coagmentati ac figurati titulô defendere. *Quòd terram Virgineam,* de illâ rectiſſimè *Honoratus Faber locô cit. ſi aliquando Virgo terra ſit, ut vocant, ex imis terræ latebris effoſſa ac educta, illa profectò ſemina aliundè, vel accepit ab illa manu, quæ mundum ipſum fabricavit. Neq; diſpar ratio roris* erit modò nos non vana lactet ſpe, *quæ ros Majalis* per lintea candida primùm, dein per chartas bibulas trajectus, cavendo per duos annos & ultra, ne ipſum Sol videret, *protuliſſe refertur; Arborem ſcilicet cum variis ramificationibus pulcherrimis, pendentibus è ramis, piris & pomis argenteis & aureis, ipsâ non minùs arbore auro argentoq; coruſcante, idem ros Solis tandem expoſitus radiis, undiq; protrudere parvulos truncos & ſaliceta, edere ramos, hi creſcere & vineam aliquam, quàm pluribus ſudibus minu-*

minutis repræſentare, imò continuante Sole radios ſuos, ad ſuperficiem usq; aquarum ſurgere, & tunc quoq; amæniſſimum arboretum ſive viridarium, arboribus auro argentoq; condecoratum oſtendere, quarum ramis variæ animalium ſpecies hinc inde inſedêre. Miror, quî *Lucianus* iſta *in itinere ſuo ad Lunam* non obſervârit; ſanè *poterat graphicè, tantùm non poëticè, ediſſeruiſſe, ſibi viſam plantam non-plantam; ex ſemine citra ſemen; cum aqua citra aquam; in terra citra terram, quæ neq; Solem Patrem, neq; Lunam agnoverit Matrem; Nympharum alumnam; Umbrarum clientem: absq; foliis floridam; absq; tubere fungoſam; Niveam ex tenebris; ex Lanugine hiſpidam: Quæ ad Solis contagium, non minùs contabeſcebat ac Phaëton; Eadem radiis è longinquo blandè illuſtrata ſive Margaritas ſive Cryſtallos argento coruſcantes offerebat innumeras. Fungos* naſci *ex rore* vidit generoſus quispiam *in Actis Philoſ. Angl. Anni M DC LXV.* & hoc absque miraculo; ſunt etiam *nobis viſi fungi pluſculi ex pellicula, rori Majali innatante, prognati, albicantes, cauliformes, non capitati, niſi quòd floridi ſummâ parte Cornu Copiæ æmularentur*, quos in ampliorem ſilvam cæduam, ſcilicet ſedulò curabamus, uti *Schema* exhibet *adjectum;* nunquid illos etiam ſeriò arboretum appellitemus; nunquid nitentes globulos per Microſcopium viſos, Margaritas nuncupemus? Atque *poſitò quòd ex rore iſta prodierint, non tamen citra ſemen aut ſeminis Analogum fuerunt nata.* Cùm enim probaverimus, *nullum eſſe rorem, niſi qui ex herbis aſcendat; neq; cœlò delabi rorem* alium, quàm quem ex herbis primùm accepit: uti pluribus illud documentis *in Colleg. Phyſ.* confirmavimus, ecquid abſurdi erit ex liquore Vegetabilium nativo rurſus prodire progeniem nativam. Quæ *Tachenius* von der Beeck *&c.* habent *de Reſuſcitatione plantæ, roris adminiculô*, illa huc minimè facient, cùm ſemen ad iſtum proceſſum adhibeatur, utut mihi nondum licuit in veritatem rei pericula facere; quòd proceſſuum tædioſorum Nomenclatores raró vel nusquam prodant ſeipſos manum admoviſſe

operi; non omiſſuri occaſionem, quâ gloriæ velificari adprimè licitum eſſet, modò in conſcientia habuiſſent confidentiam.

§. III. Atque animus erat ænigmatibus acquieſcere, ut illos ulciſcerer, qui prodigioſis narrationibus ſuſpenſos tenent animos. Abſit tamen, ut cujusquam fidem in dubium vocem! Ingenuè modò fateor, quoties in talium admirandorum qualemcunque notitiam omnia fruſtrà experior, me hærere, atque incertum eſſe, infelicitatemne an credulitatem accuſem magis? Quòd verò *Excell. D. Mentzelius Pelliculam meam Roris Majalis, quæ Ephemeridibus inſeratur, mereri cenſeat, hujus venerans auctoritatem, Hiſtoriam candidè impertiam.* Multùm quotannis de Rore Majali ſolicitus fui; atque tunc quidem ſeorſim ex herbaſcente tritico, nec minùs ex hordeo & avenâ itidem adhuc herbidis ſeorſim; ſed & ſeorſim ex pratis Rorem Majalem Menſe Juliô à Diſcipulis colligi curaram. Peculiaribus vitris peculiares quosque rores in cella, ad experimenta alia atque alia reponens, elapſis ſex hebdomadibus vitra, quibus hordearius ros erat aſſervatus, inſpexi: Ex quibus illud, quod ad ſummum usque rore erat impletum, & veſicâ atque aliô lutô arctè clauſum, ruptum omnem laticem effuderat. *Ex* tribus autem *lagenis vitreis quadrangularibus,* quas veſica ſolùm bubula, cochleis ſubſtrata, munierat, *duæ* diverſa Phænomena exhibebant: *Alia* ad orificium admodùm repleta, orificiô reſpondentem *rotundam* griſeô fuſcam, ſtraminis craſſitie, *pelliculam* oſtentabat; *Alia* ad medium plena *ſimilem pelliculam, ſed quadrangularem, germinibusq; ſingulariter pictam commendabat. Fungorum* autem *nomen* ſibi vendicabant hæ plantæ non plantæ, ſi res citra ambages ſuô quæque appellanda venit nomine. *Alibi* autem *Fungi* iſti radicibus & caulibus impliciti ac conſerti inſimul accreverant, ſeſquiarticulum alti, qui ex maximorum numero erant, in quibus omnia etiam magis erant conſpicua; *Alibi* articulum longitudine emetiebantur: *Alibi* adhuc infra iſtam

quan-

quantitatem viſebantur; Quibusdam etiam *alibi* punctis vix capita exſerentibus. *Præter radiculas* pelliculæ infixas *fungi* memorati *caulibus diſtinguebantur*, majores *& capitulis. Caules* aliis incurvi, aliis erecti; utrisque fiſſiles, & hiſpidi candicante tenui lanugine. Non ſunt, quibus magis extremâ ſpecie ſimiles dixero, quàm flores Martis, candicante corporis ſplendore, & lævore filamentorum adhærentium delicatiſſimô. Craſſisſimi ex caulibus ad pennam perdicis ægrè accedebant. *Capitula* verò niveô candore formoſisſima, innumeris ſectionibus in flores complures ſparſa, pilulam formabant. Erat autem *florum diſtinctio* vaginulis crenatis, & gladiolis, quorum apices globuli tegebant, memorabilis; ut *rectè florida ſtellata capitula dici* poſſent. Magnitudo capitulorum inſigniorum à grano piperis albi parùm aberat. *Microſcopium caulem*, nigris vaſis diſtinctum, totumque transparentem hinc inde pellucidis micantibus gemmis; *Caput* autem, variis aliis protuberantiis, exaſperatum detegebat. Ad Solem hic Solis filius, dum Microſcopio ſubjiciebatur, deſubitò exaruit, quô ipsô translucidum & gemmeum caulis unà diſperiit. Sic nec *pellicula* Solis calorem ſuſtinuit, quin protinùs arida corrugabatur. *Subnaſcentes roralis hujus pelliculæ fungi* colliculos ex ſplendentibus gemmis coagmentatos præſentabant. Cæterùm in opaco loco diutiùs, novô modicè aſpersô rore, iſtam pelliculam detinebam, atque iſtâ *culturâ feci, ut fungi, qui priùs punctis ſolùm erant notabiles, non ſolùm capita extollerent, ſed & caules unà protruderent*; quamvis non ad unguis altitudinem ipſos daretur educere. *Pellicula* ex meris fibroſis partibus erat contexta; uti etiam illius rei *experimentum* cepi, ſedimentô roris aquam affundens, atque ſucceſſu temporis rudimentum ejuscemodi pelliculæ ex illo pronatum. *Duo* autem ſunt, *quæ* cum *eadem protulit Obſervatio* eâdem operâ cognoviſſe juvabit: *Alterum* quidem ab inſtituto noſtro alienius, quod tamen mihi *de generatione inſectorum ex ſemine in rore* ſuſpicionem non levem injecit;

Alterum propius noſtrum negotium tangens, quod Curioſis fortè volupe erit conſpexiſſe, quô ſuis hypotheſibus, *de latentibus Vegetabilium ſeminiis*, velificari commodè queant. *Quod prius*; ubi limpidiorem laticem *roris* effuderam leniter, *ſedimentó* ad latera vitrorum reſiduô in hoc *innumerabilem ovulorum minimorum numerum*, quantum viſu licebat aſſequi, deprehendi: Vicies minora erant illis bombycum, tenuiſſimæ tunicæ, concatenata alibi, alibi racemoſa cohærentia, alibi prorſus ſporadica; majora ex his albore Margaritas æmulabantur. Erat prætereà, ut *in eodem ſedimento vermium ſimulachra* contuerer, ſed omni vivaci motu deſtituta. *Quod poſterius*: Cùm hyemis injuria, in alio magno globo vitreo, *quod* in ſingulare experimentum aſſervâram *roris congelâſſet*, prouti FIGURA commonſtrat, pars frigore invicta hic illic reſtitans varios loculos hinc inde excavatos occupârat, major autem hujus portio ad fundum contendens elegantem *nemorum ſaltum* conſtruxerat. Percuſsô itaque dexterrimè vitrô, quâ pictura exprimit facie illum exemi, ſpectaculoque Diſcipulorum expoſui. Sed & *fruticetum* ab illo erat avellere, uti ſpicatæ iſtæ effigies ſingulariter declarant: iſtis enim erectis totum illud nemus denſis ordinibus ad latera ferè vitri ſuccreverat. Fuſci autem coloris erat omnis liquor, tam qui ſaltum inundârat, quàm qui in loculis diſperſus fluitabat, utut is qui in loculis per vitrum Mercurii æmulô ſplendore luderet.

§. IV. *Quod alteram Sententiam*, iſta licèt probabilior videatur, ægrè tamen & hæc aſſenſum impetrabit; utut enim certum ſit, *minimum eſſe, quin hilo minus in pluribus, quod virtutem germinandi continet*, illud tamen non usque adeò certum eſt, *an minima iſta à ſeminiis ſive granis avulſa* progenerare valeant Plantæ germina. Laudatus enim *Triumfetti* rectè annotavit; illud corculum, quod in ſemine obſervatur, & ab omnibus pro vero ſemine habetur, ſi eximatur

Annus VII.



Fig. II.
appendicis.

ad pag. 38.

in Rore Majali congelato.

A.A.A.A. maſsa roris congelati
b.b.b.b. loculi quibus ☿ii ſpecie, frigore invictus latex flavitabat.
c.c.c.c.c. nemoroſus ſaltus latice rorali ingelido diſtinctus.
d.d. fruticeta ſpicata ex illo ſaltu ſingulariter exemta.

NATURAL HISTORY

tur è caſtaneâ nuce, v. g. aut amygdalis, vel cucurbita non germinare; quanquam omni curâ concredatur terræ; id quod eſſet illuſtrare ex generatione animalium; Tamen *conceſſerimus in minoribus ſeminiis Vegetabilium per minimum iſtud, accedentibus imbribus, non minùs hâc ſeminiorum minutie prægnantibus, poſſe fruges, e. g. exſurgere in granum, in herbam, in ſpicam, intra uterum terræ matris;* Neque difficiles nos præbebimus Hiſtoricis monumentis tale quid aſſerentibus, *poſſe iſta minima embrya, vel alienis uteris excepta in fœtûs non prorſus adulterinos adoleſcere.* e. g. *ſi intra animalia* condantur, quorum exempla allegata; *ſi in peregrinas alias ſtirpes demittantur*, uti notum eſt Phyſicorum filiis, in ſalicibus vetuſtate exeſis & in aliis annoſis atque marcidis arboribus varia gigni heterogenea; cùm ex ſaliceto allata, chelidonium majus, ribes, perſicaria &c. *ſive ab avibus* per alvum illa minima excreta granis integris, *ſive alio quopiam latente principio (vid. Theophr. de Cauſ. Pl. 5, 4.)* iſtis hoſpitiis illata, excitatô calore nativô in ſui ſimiles plantas ſuccreverint: *Non minori tamen & hæc ſententia difficultate premitur; non quidem quaſi minima illa non eſſent apta, quæ in aërem aſportarentur leniori aurâ aut virtute etiam Solis unà cum exhalationibus: Neque, quaſi non poſſet ex aëre aliquale nutrimentum in horum incrementum attrahi;* cùm udus aër ſufficiat, quòd & aqua educendis iſtis ſit ſatis, uti probatum dedimus; *Sed maximè omnium, quòd quiete deſtituantur ſeminia per aërem volitantia*, cùm impoſſibile videatur poſſe nutriri, quod non alicubi fixum habeat corpus, quô diſpoſitô certum excipiat ſuccum. *Quiete igitur cum opus ſit, eâq; non exigui temporis, ut in granum exſurgat hilum iſtud, ſive minutum ſemen;* hoc quomodo in nubibus, cujusvis venti agitationi obnoxiis, ipſi concedi commodè queat, minimè eſt perſpicere. *Quodſi igitur quiete conſtanti caret ſemen, neceſſe eſt, collidatur perſeverante fluctuatione*, unde ejus primi conatûs illicò obtundentur, antequam in germen, nedum in herbam, aut caulem turgeſcat.

Notum

Notum enim eſt, qui *Mercatores* germinationi granorum occurrant, illorùm ventilationem curando ſedulò. *Neque eſt, quòd ſemina vitro indita extra terram & aquam ſuccreverint*; quies tamen illis conceſſa, *ut* radicibus projectis minimèque perturbatis & conquaſſatis, aliquid humidi ex aëre qualicunque ritè excipere, *aut* lacteum illud intra ipſa reconditum in primam alimoniam commodè digerere valuerint; *Sic alcën, ſedum, &c. ex filo ſuſpenſa*, non tamen, vel per hibernos menſes, marceſcere videmus in hypocauſtis. *Neque* enim ſufficiebat *Tantalo* natare inter aquas, easque captare, ſi non illas ore aſſumere & *didere in artus per caulas corporis omneis* licuit; *Sic nec ſatis eſt*, plantas in udis eſſe locis, ſed neceſſe eſt, ut radicibus ſuis aptè humorem in corpus digerant; Cùm experientia conſtet *ſemina pleraq; aquis continuò immerſa non irrigari in fertilitatem*, ſed ſuffocari.

§. V. *Quod noſtra grana* attinet; *hæc non eſſe in aëre nata, ex minimis talibus, nedum ex ſpicis, facilè figura* commonſtrat, cùm non ſint cylindrica ſive ſtrongyla, ſed *compreſſa* variè: ſi natura ipſa generaſſet, generaſſet homogeneis conformia. Quin quòd *tunicæ laceræ cum folliculorum diſcerptis fibrillis* redarguant, iſta grana quodammodò fuiſſe corrupta: *Germina* quoque tanquam *lineæ nigræ* ipſa media quæ dirimunt, indicant humectationem protruſiſſe capita, ſed debilem calorem non ſuffeciſſe propullulationi: *Emarcida* enim comparuerint non ſolùm germina, ſed & *corpuscula ſolida*: Neque in his farina, aut lacteus in novellorum germinum alimentum humor; idque adeò meſſis ex hac ſegete rara admodùm fuit, & multùm degenerans à genuino frumento, uti inſpectio herbæ ex horum granorum ſemente enatæ, (cujus aliquot exemplaria mihi transmiſſa retuli) dilucidè demonſtrat. *Ratio* idem *quoque ſuadet*, quòd *præcedentis anni æſtas* madida hîc locorum meſſem haut paucis reddiderit difficillimam; fieri itaque potuit, ut grana memorata glumis ſuis excuſſa, aut adhuc ſpicæ adhærentia, madore continuô

deſu-

deſuper perfuſa, non minùs terrâ humectâ, compreſſa ante tempus progerminârint; hiems verò poſteà accedens tenerrima germina exuſſerit. Quô conſiliô, cùm nobis *afferri curaverimus ex ſecali ſpicas ob pluvium cœlum itidem grana intra ſe germinantia adhuc complectentes*, horum germinationem, granorum noſtrorum propiùs, quàm ad alteram eorum, quæ terræ illum in finem mandaveramus, acceſſiſſe, oculis fuit diſcernere. Habebant enim grana propter udam tempeſtatem intra ſpicas germinantia ſimilem in modum fibrillas radicum æmulas; pleraque etiam ex illis erant compreſſa; omnia fermè germen exile haut abſimilem in modum nigricans & emarcidum offerebant. Quamvis *in arenâ* iſtiusmodi nondum experiri datum, cujus tamen *germinationem* ſolennem *illi noſtrorum granorum* maximè *reſpondere* annotavimus: Eaque etiamnum nobis ſedet opinio, *avenacei eſſe generis*, quod promptiùs avena glumis aut ariſtis excutiatur; quàm quod eadem facillimè omnium in herbas graminum degeneret.

§. VI. *Iſta* itaque, *cùm noſtra ſit conjectura*, prioris meſſis incondita grana hujus annonæ pluviam aëri ſubminiſtrâſſe, *quæritur* meritò, *quomodo grana iſta cœlô delabi contigerit? An veneficiis patratum dicamus facinus?* neque enim deſtituitur ſagis *Curonia*, quin frequens ipſarum perhibetur numerus: *Aſt non liquet, quem in finem ſagæ* iſtiusmodi ludicrum inſtituere voluiſſent; nimis vacivæ horæ dæmoniis fuiſſent, ſi in tales nugas, citra damnum mortalium tantum temporis impendere habuiſſent; Eſt enim veroſimillimum, non temerè quid à ſagis patrari, niſi inimicis incommodum, aut ſibi commodum, quomodocunq; exinde promittere queant; Ejusmodi autem pluviale frumentum nec nocumento, nec uſui erit. *Præterquam*, quòd non illicò confugiendum ad veneficia, imprimis, ſi planior per alios eventûs explicandi datur ratio. *Caſu potiùs eveniſſe arbitror*, ſupponens udam meſſem hæc grana ſpicis ejecta, aut cum illis humi afflicta, feciſſe,

ciſſe negligi; inſepulta autem per terras jacentia, ubi plus juſtò imbiberunt humoris in germina propullulâſſe, quæ ſuccedentis hiemis injuria opprimens fecerit emori: Adventante autem Aprili Anni labentis, nivibus ſolutis, ſerenô Vere, quale nobis t. t. obvenit, ſiccitate ſuâ exaruiſſe grana projecta; inde evenit, ut levitas illorum, vento an Soli etiam obſequens? dubito; ad nubes evecta ibi aliquamdiu hæſerit, donec natales ſuos arenoſo in loco repetierit. *Quod* verò *in iſtum definitum locum* irruerint, fortè viciniæ agrorum, qui tales meſſes ſenſerunt infelices, debebitur; atque conſtat *Curonienſes præprimis operam dare frumentis exſiccandis*, quæ pretium apud Belgas præ aliis inveniant; inde puto tantò majori copiâ per agros abjecta iſta grana relicta, *ut ſufficere potuerint* deſignatæ areæ opplendæ. *Quod ordine ſparſa*, ac ſi de induſtria ſata fuiſſent, iſtud minimè mirandum relinquit pluvia: Cùm guttas, modò non impetuoſis imbribus aut nimbis effundantur, decenti ordine ſæpiùs arenas pingere concernamus.

§. VII. *De piſis* autem *& fabulis eadem* ineunda *ratio:* temporis injuriis aliis atque aliis *corrupta* in alienam transmigrâſſe naturam vero ſit quàm ſimillimum: *iisdemq; viis*, quibus ad aërem commeârunt, ab illo in terram remeare potuerunt; *modò non*, quæ ita diu jacuerant neglecta, detecta, errore quodam de cœlo delapſa ſint credita.

CAPUT V.

De

Tela ſive Bractea nigra.

§. I. *Non occurrere Aa. qui talem poſteritati transmiſerint; utut ſint, qui de niveis telis Norvvegicis ſint commentati.* §. II. *Ol. Wormii & Sim. Pauli diſſenſus circa origines ſeu cauſas telarum Norvvegicarum.* §. III. *De Originibus ſeu Cauſis noſtræ Telæ.* §. IV. *Cl. Krugeri ſententia, quòd*

ſit

ſit papyrus artificialis. §. V. *Ejusdem argumenta examinantur.* §. VI. *Quòd probatio deficiat, adverſante etiam hiſtoriâ.* §. VII. *Quòd nihil prodigii in hac occurrat, cùm Meteoris ſit deputanda.* §. VIII. *Anacephalæoſis.*

§. I.

REliquum eſt, ut *de bractea ſive tela illa*, quæ papyrus credita, nobis quid in mentem veniat, paucis ediſſeramus. *Non* quidem memoriam ſubit, *ejusmodi telam nigram alicubi à Scriptoribus traditam; Albicantem & niveam* duo illa Hafniæ Lumina, *Olaus Wormius, & Simon Pauli* Scriptis prodidêre; *ille in Muſæi L. 2. c. 3. Byſſinis telis,* inquit, *ſubtilior eſt arborea illa, quæ Anno M DC XXXIX. reperta in arboribus Norvvegiæ, ubi integræ ſilvæ arbores hisce ornatas oſtentabant; ſubtilitate planè aranearum telis reſpondent, ſed candorem niveum ab aëris, per quem feruntur, humiditate & Solis calore acquirunt.* H. I. Neſcio, an non eandem memoret & *Simon Pauli*, quando in *quadripartito Botan. Claſſ. 4. Ricinus;* refert, *ex nobiliſſimo regno Norvegia miſſam, quæ ſuperiori vere aut æſtate aliquot jugera in ea obduxiſſe obſervata fuerat tenera, telam Cambraycenſem aut potiùs papyrum Chiniticam repræſentans, denſa ac albicans.*

§. II. Diſſentit verò *à Wormio* multùm *Simon Pauli in cauſis illarum telarum Norvvegicarum adducendis*, modò de iisdem utrique fuerit ſermo. *Wormius* quidem ſuſtinet inſectis deberi iſtarum Originem, *cùm ejusmodi telas jam aliquot annis in horto ſuo ſe conſpexiſſe obteſtetur; in unica arbore Evonymi, quæ vermibus ſcatuit, qui has telas,* ipsô arbitrô, *elaborârunt tenuiſſimas, longiſſimas, candidiſſimas; præterquam quod in campis ejusmodi telas ſtipitibus ſegetum exciſarum adhærentes ſæpiùs ſe vidiſſe, eodemq; Anno in Auguſto, maximam copiam per aërem volitantem conſpexiſſe, paulò ante tradiderat.* Credidit itaque *Wormius* à vermibus, erucis, araneis, & aliis id genus inſectis iſtiusmodi elaborari; deinde circa brumam vento-

rum vi abrumpi, per aërem ferri, atque ſi in ſilvam impegerint, arborum procerarum comis adglutinari atque adhærere. *Contra ea* verò defendit *Simon Pauli* non eſſe illud animalculorum opificium, ſed bituminoſarum exhalationum aëreum eſſe fœtum: illudque probat ab ipſo momento, quô telam memoratam accenderat, ipſaque nondum penitùs conflagrarat, quòd ſulphuris abundantiſſimæ ſine crepitu & ſtrepitu luculentiſſimè flagrantis fumo ipſi exaſperatæ ſint fauces, ut tantùm non elinguis evaſerit. Quibus addit, quòd à concrematione, colophoniæ inſtar cohæſerit.

§. III. *Noſtram* autem *quod attinet telam*, procul dubio *illa naſcendi originem in aëre ceperit; neque* enim *ex telis animalculorum* inſectorum in terra fuerit conflata, cùm telæ horum neque flammam ita concipiant, neque odorem iſtum incenſæ exhalent, uti re ipsâ agnovimus. Aëreæ itaque fuerit ſortis, *materiam ſuggerentibus exhalationibus ſulphureis*, in quibus aridum terreſtre, gummosô aqueô prædominari, fuit animadvertere; hincque fortè contigit, ut ſubnigra evaſerit ex aduſtione qualicunque. Et *poſſe iſtiusmodi ſubterraneorum opificiorum æmula in Meteoris quoque præter ſolitum generari in proclivi eſt demonſtrare; vel ex eo*, quòd Mineralium & Meteororum natura non ita longè à ſe invicem diſtent; utraque enim materiam & efficientem cauſas ſolùm agnoſcunt: Atque *ſi Meteora* habenda *ſunt alterata elementa, mineralia* non minùs *habebuntur alterata meteora;* Eôdem enim naturæ inſtituto, eôdem conſiliô exhalationes humidæ & ſiccæ, vaporibus & fumis ad primordia foſſilium concurrunt; niſi quòd arctior horum unio, in ſolidiorem fœtum & perennantem, non in horas mutabilem atque adeò fluxum. *Et quidni natura illud præſtiterit, quod ars ſuis ſublimationibus* arctiſſimæ unioni præſtat; cùm toties alia atque alia in ſuperioribus partibus vaſorum Chymicorum ad ignis virtutem variis modis concreſcere videamus? imprimis verò *reſinoſa ſicca* apta ſunt

ad

ad inducendam nigram pelliculam alembicis, ſi urgentiori vi caloris ad iſtas ſedes fuerint propulſa.

§. IV. Hanc meam ſententiam ubi jam tum in chartam conjeceram, poſteà *Cl. Krügerum in laudato An. 1687. Calendario* diſcrepantis longè opinionis animadverti. Scilicet Artis opus eſſe genuinum, *nec analogum papyri, ſed ipſiſſimam papyrum, quam naufragia* inter reliquas mercium jacturas ad littora Sinûs Finnici *feciſſent exponi;* expoſitam verò à ventorum vehementia ſublatam, atque ad Curonienſem lacum transmiſſam deciduam. *Argumenta, quibus* perſuaſus, *genuinam papyrum* (natürlich Papier) aſſerit, ſunt fermè ſequentia: (1.) quòd texturam referat chartæ bibulæ: (2.) quòd incenſa odorem papyri exhalârit: (3.) quòd diſcerpta uda fibrillas papyri exhibuerit laceras. *Ex naufragis* autem Oceani *rejectaneis iſtam fuiſſe papyrum* colorem & odorem potiſſimùm vult arguere; Colorem, quem nigrum Neptuni ſalſum hoſpitium conciliavit: Odorem, quem nauſeabundum (See-Miſt-Geruch) algæ marinæ dedit vicinia. Fortè & illud erit indiciô, quòd graminis herba hinc inde adhæſerit. An quoque & hoc? quòd digiti craſſitie alicubi jacuerit coacervata. Quare concludit; Ich ſetze/ ſolch Papier ſey von geſtrandten Gütern herkommen/ nicht aber bey uns in Curland/ ungeachtet der Ort vom Strande über acht Meilen ohngefehr. Denn es gieng zwar denſelben 31ſten Tag Januarii ein Wind aus Nord-Oſten; Aber nicht ſo ſtarck/ daß er ſolche Laſt hätte heben können. So würde man auch bey unſerm Strande im Dondangiſchen beſſere veſtigia haben/ wenn ſolche Güter geſtrandet. Darum will ich meyne Meynung aus meinen Ephemeridibus Meteorologicis wiederholen/ und dem Leſer für Augen ſtellen. Es war gerade um die Zeit/ da Jupiter und Mars in Oppoſitione ſtünden/ und die Erde von beyden Seiten ihr natürliches Vermögen heraus zu geben/ preſſeten. Da am 27. 17. Jan. zu uns ein ſtarcker Wind aus Süden kam/ und je mehr und mehr ſich verſtärckende mit Schneejagen und Stürmen nach dem Nord-Pol zugieng/ alſo daß er unfehlbar am 28. 18.

in Schweden / Lappen / und Finnland ſeine Kräffte verlohren. Dieſer 28ſte Tag aber war bey uns ſtille. Aber am 29. Jan. kam ein greulicher Sturmwind aus Nord-Oſten / dem vorigen faſt contrarie, welcher ohne Zweiffel den Tag zuvor in den Nordiſchen Oertern entſtanden: Er ſtürmete bey uns und jagete mit Schnee dergeſtalt / daß man ſich auf der Gaſſen nicht bergen konte. Den folgenden Tag / als den 30ſten Jan. gieng zwar eben derſelbe Nordwind / aber nur mäſſig / und continuirte alſo den 31ſten Jan. da diß Papier gefallen. Diß finde ich in meinen Annotatis Meteorologicis. Nun iſt wol zu præſumiren / daß der Nord-Oſtenwind in Lappland entſtanden / daſelbſt hefftiger geweſen / und an dem Finniſchen Ufer / in Sinu Finnico, ein ſolches geſtrandetes Papier / welches in einem Packe eine geraume Zeit im See-Miſt gefaulet / und daher die Farbe / nebenſt dem Geruch an ſich gezogen / ergriffen / mit Gewalt in die Höhe geführet: da es ſich mag aufgelöſet und ausgebreitet haben / und ſo mit dem Winde gemählich biß in den dritten Tag (ſintemal eine Wolcke wol biß 2. oder 300. Meilen gehet / nachdem ſie dicke und der Wind beſchaffen) herwarts geführet / und zugleich mit etwas Schnee und Hagel herab gefallen. H. I.

§. V. Atque quemvis ſuô facilè patiar abundare ingeniô. Me ſanè nulla ambitio impellit, qui ægrè ſententiarum feram divortia. Neque tantum mihi tribuo, ut ſolus rem acu tetigiſſe videri velim. Abſit! quin fateor lubens *Cl. Krügerum* opimâ magis gaviſum eſſe occaſione, cùm udam illam papyrum, & majori copiâ nactus fuerit, quæ mihi ſicca, & exili quantitate, vix palmam adæquante, oblata. Cum pace tamen ipſius liceat afferre *dubia, quæ aſſenſum prohibent.* Præterquam *quòd* allata *argumenta* placitum ipſius *minùs* ſolidè *probent, in Relatione occurrunt, quæ iſtud redarguunt* prorſus. *Argumentum à textura* quod attinet; poſſe artificialium ſpecie ludere naturam, tot foſſilium eloquuntur monumenta, cùm egregiè cælata opera effodiantur, ut jurares artificis acceſſiſſe ingenium. Quidni etiam leviter compactam bracteam, quæ papyrum aſperitate aut tenuitate æmularetur, ef-

for-

formaret natura? Præſertim cùm chartam analogicam, fatente Auctore, nives & grandines inter, cœlô demiſſam viderit Pomerania. Utut enim hæc ſpontè reſoluta priſcos repetiit natales, telæ tamen Norvegicæ nobis memoratæ, non ſolùm texturam retulerunt, ſed eam adverſus temporis ac Solis virtutem ſatis obfirmatam. *Odorem autem ab incenſa noſtra tela;* quod illum papyri incenſæ, objecerit naribus, hôc neutiquam verè papyrum fuiſſe demonſtraveris; Cùm ferula quoque, ac ſtramen, &c. incenſa talem odorem oggerant: & pleraque ex gummi, terreſtris ſortis, ſimilem, admota igni, ſpargunt. *Udam porrò laceratam fibrillas oſtendiſſe;* neque huic vis ineſt argumento: ſiquidem probandum, easdem fuiſſe, quæ propriè dictæ papyri, lini filamenta referentes. Alioquin plurima afferam, quæ dum uda ſunt diſtracta villos præſentabunt, nullâ ipſâ & papyrum intercedente affinitate. *Quod noſtram telam* tamen, verè atteſtari poſſum, *illam ſalivâ madefactam, ac Spiritu Nitri imbutam,* in loco divulſionis non oſtendiſſe fibrillas, quæ hirſutie oras extremas exaſperaſſent, quales in lacerata papyro eſt videre, ſed potiùs inſtar membranarum, quæ in gluten coctione jamjam ſunt abituræ, divulſarum partium margines obtuliſſe læves, minimè hirſutos, id quod non unâ vice experti ſumus. *Sicca verò eadem tela* admodùm fragilem ſe præbet, in fruſta levi flexu diſſiliens, attritu facilè in pulverem comminuenda. *Nec, mari immerſam fuiſſe, Color evincet aut Odor; Non color;* ſiquidem necdum experimentô aliquô Cl. Auctori conſtat, papyrum, ſalſæ marinæ inditam, nigrorem induere: *Non odor;* quippe non ſtatim quod algam marinam redolet, illicò fœtorem hujus debuerit contagio. Nôrunt Chimicorum filii quàm varios odores mineralia ſuppeditent. Vel fulmine tactorum odor aut fœtor, qui non exiſtit multiplex. *Neque* indubitatò edoceor, *gramineas fibras adhæſiſſe;* fortè laciniæ udæ hujus noſtræ telæ iſtam conciliârint ſpeciem: ſed & ſi adhæſerit graminis quidpiam, incertum eſt, unde locorum acceperit.

Certè

Certè mari, aut maritimæ oræ illud vindicandum minimè.

§. VI. Quod rem totam conficeret, illud foret, ſi pleniùs *de craſſitie, quâ alicubi conſpicua fuit tela*, edoceri poſſemus; nempe quomodo illa craſſities obtigerit, an per ſtratum ſuper ſtratum, cum Chimicis loquendo, ut folia foliis impoſita illam confeciſſent. Sanè ſi illius rei penitiorem notitiam indipiſci daretur, an nempe juſtâ formâ, ut faſciculi papyri à Mercatoribus componi ſolent venales, foliorum congeries deprehenſa fuerit, ut ordine quoque certô ab invicem potuiſſet ſeparari; tunc probabilitate ſuâ ſententia *Cl. Auctoris* applauſum mereretur. Verùm cùm nullum hujus in tradita Hiſtoria obvium ſit veſtigium, neutiquam demonſtratum arbitror, quantum quidem mihi licet perſpicere, papyrum eſſe propriè ſic dictam, illamque à mari ejectam: quæ enim allata ſunt, cuivis alii corpori naturali æquè ac papyro artificiali competunt. Accedit, *quod narratio quædam contineat, quæ papyro artificiali minùs congruunt*. Memoratur enim, quòd lacus, quantus quantus fuit, nigrâ iſtâ bracteâ fuerit obductus; (daß der gantze Platz des Teiches gantz ſchwartz überzogen;) quòd menſæ amplitudinem fragmenta æquârint; (Stücke eines Tiſches groß; daß es groſſe Stücker-weiſe / als eines Tiſches groß daſelbſt über- und aneinander gelegen;) iſtâ verò latitudine papyrus nulli unquam viſa, neque officinæ immanis iſtius amplitudinis ullam efformare nôrunt. Atque ipſe *Vir Cl.* à magnitudine nectit argumentum, quô colligit, telam noſtram non eſſe foliis arborum aut aliis quibusvis adſerendam. (Darum nennet mans Papier / ſintemal ſo wol wegen der Gröſſe / als auch andern Umſtände es für Baum- oder andere Blätter nicht zu achten iſt.) Quin quòd viſa cœlo delapſa cum nivibus inſtar floccorum: (daß es mit einem Schnee Flocken-weiſe aus denen Wolcken gekommen:) quæ, ſi rectè ſunt obſervata, arguerent fruſtillatim decidiſſe bracteolas, quæ in lacum incidentes fortuitô contactu in pelliculam integram conceſſerunt. Id quod

non

non faciliùs evenire potuit, quàm minerali unà exiſtente bituminoſô; hoc enim facillimè in continuam pelliculam jungi aptum eſt; Cùm & puteorum, quibus minerales ſcaturigines aquas largiuntur, ſuperficies integris variegatis pelliculis tectas ſæpiùs concernamus. Huic etiam adſcribendum puto, quòd alibi craſſior tela (Finger-dicke:) ubi plura fruſtula, cum nive delata, coagmentatam reddiderunt elatiorem. *Omnia* verò *iſta à me æquiſſimô prolata ſunt animô.* Æquitatis enim arbitror, nec timidè aſſerta deſerere, nec temerè incerta aſſerere.

§. VII. *Nihil* itaque *prodigii in hac* occurret *telâ*, niſi prodigium fecerit raritas; Meteoris ex ſicca exhalatione conſtantibus deputanda meritò. Aſt dices, qui in laminam adeò tenuem deduci potuit maſſa? Conjicio, quòd haut abſimilis materia, qualis ſtellis cadentibus adſcribitur, viſcoſa, latè ſparſa, cohærens, terreſtrior tamen in ſuperis regionibus hæſerit, quæ virtute ignis ſublimioris perſtricta in folium amplum quaſi concreverit; excuſſa verò cum nive variè diſcerpta, in lacum dilapſa, vi glutinis nativi, rurſus in unum coïerit. Atque cùm meteora dentur, quæ aliquando latiſſima ſpatia pratorum deſubitò unâ nocte obducant, itidem telarum ad inſtar, *de quibus alibi egimus*, quidni & in hoc noſtro efformando; parili ingeniô uti potuerit natura.

§. VIII. Iſtud itaque ex dictis liquere æſtumamus, *non confugiendum facilè in rebus, quæ naturæ ſubſunt ad peregrina & extranea;* ſed *neq; confundendas eſſe veras* rerum naturalium *cauſas, cum iis, quæ fortè fortunâ aut caſu* tale quid efficere poſſunt. Idque ſtatum eſſe nobis placitum, *vivacia corpora, qualia ſunt & vegetabilium, non poſſe generari citra ſemen aut ſeminis analogum; quin nec ex minutiis ſeminum in aëre volitantibus poſſe inibi produci granum, nedum ex grano ſpicam. Quæ* autem *mineralis ſortis ſunt minùs ſolida*, licèt rariùs obveniant, *meteoris tamen eſſe vindicanda, cùm horum effecta ſint ex contingentibus non unius generis;* quòd inconſtantia cauſa-

rum, ſi ullibi in latifundio Phyſico, in Meteororum ſanè regno principem facilè obtineat locum.

CAPUT VI.
Quis uſus ex noſtra Exercitatione in Medicam redundet.

§. I. *An ad Medicum etiam ſpectet Meteororum Contemplatio, & quomodo?* §. II. *Quod inſolitorum in aëre generatio aliquid ſanitati animalium portendat.* §. III. *Iſtius ergò quæſitum, an animalia & Vegetabilia generentur in aëre; ubi dubium, an ex pluvia animalium morbi?* §. IV. *Quod Hiſtoriæ doceant animalia, e. g. locuſtas ſubitò irruiſſe citra Morborum ſequelam; De nocumento autem à Vegetabilium pluvia nullum traditum exemplum.* §. V. *Mineralium pluviarum diſparem eſſe rationem, quoad ſanitatem & morbum, quæ Tractatio alii Exercitationi ſervatur.*

§. I.

QUæ quidem ita à nobis tradita, parùm facere ad *Medicinam*; quin *prorſus non* hanc artem *tangere videntur Meteorologica*; quamobrem *Hippocr. Lib. de Princ. (Tom. I. Sect. I.)* fatetur, ſe de Meteoris non opus habere dicere: (περὶ δὲ τῶν μετεώρων ὐδὲ δέομαι λέγειν.) Verùm enim verò *Idem* Phyſicâ æquè excellens ac Medicâ, cùm diſcipuli Ariſtotelis profectus Præceptoris laudes ſatis ediſſerant, *in libro de Aëribus, Aquis, Locis (Tom. I. Sect. I.)* quando edocet, quæ, quisquis vult rectè Artem Medicam inveſtigare, neceſſe habeat facere; *primùm omnium expendenda Anni tempora dictitat, quidnam illa præſtare valeant;* Atq; *(Sect. II.) objectioni, quod alicui hæc Meteorologica videri poſſent, occurrit*, quòd non minimam partem Aſtronomia, ad quam ipſe Μετεωρόλογα revocat, ad Artem Medicam conferat, ſed omninò pluri-

plurimam *εἰ δὲ δοκέοι ταῦτα Μετεωρόλογα εἶναι, εἰ μεταστᾶίη τῆς γνώμης, μάθοι ἂν ὅτι οὐκ ἐλάχιστον μέρος, ξυμβάλλεται ἀστρονομίη ἐς ἰητρικὴν ἀλλὰ πάνυ πλεῖστον.* Quod equidem, quomodo ſit intelligendum *L. c. de Principiis* ſummatim exponitur; Ubi *non opus ſe habere,* ait, *de Meteoris dicere, niſi in quantum ad hominem & reliqua viventia, quæ ſunt, & nata ſunt, pertinet,* unde ſe demonſtraturum dicit, *& quid anima ſit, & quid ſanitas, & morbus, & quid in homine malum ac bonum, & unde moritur.* H. I. Quare, cùm Princeps noſtræ Artis exigat à Medico, ut temporum anni rationes & mutationes habeat perſpectas, quò ex illis præcognoſcere poſſit Occaſiones morborum; *utiq; cognitio pluviarum prodigioſarum ſive generationum inſolitarum in aëre, huic ſtudio inſerviet.*

§. II. *Etenim* inſolitorum generatio in aêre, inſolentem aëris convincet immutationem, quæ nunquam non nativum temporum Anni temperamentum, ut cum *Quinto* loquamur apud *Galenum,* inficiet; quô infectô, neceſſe eſt corpora animalium etiam affici; tantò gravius, quantò inſolentius iſtæ aêris immutationes fuerint ſubortæ: *Quando enim temperamentorum, Anni temporum mutatio naturalis paulatim fit, ut à nemine totô tempore ſentiatur; aut quando confertim quidem, ut quoq; ſentiatur, non tamen affatim aut immoderatè: ubi in iſtum modum anni tempora procedunt & in ſe mutuò convertuntur, tunc non exiſtit peſtis ulla, neq; quisquam alius morbus vulgaris, ſed ſoli diſperſi, quos Hippocrates vocat morbos, qui victûs ſunt comites;* docente *Galeno in 1. Hippocr. de Morbis Vulg. Comm. I.* Contra illa verò, ubi ſubita temporum fit inter ſe converſio, id quod ob aërem immutatum ex generatione inſolitorum fieri neceſſe eſt, tunc verò maximè mortalium ſalus periclitabitur.

§. III. Quem in finem, cùm *neceſſe ſit illum, qui vult componere Tractationem de Arte Medica commune principium ſententiis ſupponere, uti itidem Hippocrates nos docet L. c. de Princ.* Nos hâc vice indagavimus, *ex quibus cælitùs delapſis aëris im-*

mutatio colligi poſſit. Atque cùm *Vegetabilia & Animalia* in aëre generari poſſe pernegavimus, illo palàm reddimus *nil periculi* ex iſtiusmodi *pluviis prodigioſis Sanitati pertimeſcendum*, cùm minimè arguant aliquam aëris immutationem alienam, quæ mutationis Anni temporum p. n. atque ita etiam morborum communium foret cauſa. Licèt enim contingat & aërem immutari poſt animalium pluviam, ut *apud Wolfium Richardus Waſſeburgius* ex Hiſtoriographis adducit, *quòd circa Annum 873. univerſam Galliam maximè verò Lotharingiam & terras finitimas ac vicinas Germanorum invaſerint innumerabiles beſtiæ & vermes locuſtis longè grandiores, habentes ſex pedes, ſex alas; atq; hinc graſſatam fuiſſe tantam peſtem in animalia bruta, ut canes, fugientes hoc malum, omnes amiſerit Lotharingia, adeò, ut ibi diu, nec mortui nec vivi fuerint reperti.* H. I. Tamen per ſe aëris mutationem non infert inſectorum pluvia, cum illo, quòd commeatum animalculis præbeat, aër inquinetur minimè; per accidens verò ubi cadavera horum inſepulta diu exponi contingit, utique & aër illis inficietur: Ita enim apud Aa. cit. quòd cùm hæ locuſtæ ſubmerſæ fuerant in profundo maris, poſtmodùm verò mare mortuas rejecerat ad litora & ad flumina, tunc demùm putrefactis illis corruptum aërem & ingentem enatam peſtilentiam. Id quòd etiam *Julius Obſequens cap. 90.* aliô exemplô confirmaverit; *Locuſtarum ingentia,* inquit, *agmina in Africa, quæ à vento in mare dejectæ, fluctibusq; ejectæ, odore intolerabili Cyrenis mortiferô vapore, gravem peſtilentiam fecerunt pecori, hominumq; DCCC millia conſumpta tabe proditum eſt.* H. I. Quam Hiſtoriam pleniùs *Auguſt. 3. de C. D. 31.* enarrat: quod cauſam verò peſtis, *Aëtii Sermonis 5. c. 94.* vide ſis.

§. IV. Præterquàm quod obvia erunt *exempla*, quibus *locuſtarum pluvia nil monſtri ſanitati attulerit;* ut quando locuſtæ multæ, in ipſam urbem Romam devolantes, ab hirundinibus conſumptæ memorantur à Scriptoribus rerum Romanarum: ſic & circa Annum M D XLI. in plurimis Europæ

pro-

provinciis; & ſequenti Anno M D XLII. peculiariter in Marchia incredibilem ingentium locuſtarum multitudinem ſubitò exortam, annalibus eſt creditum, nullô aêris vitio, ſanè *pluviam Vegetabilium ullô modô corrupiſſe aërem, nullis indiciis Hiſtoriarum probabitur;* fortè *nec ratio illud conceſſerit*, poſitô etiam, quòd in aëre eadem generari poſſent.

§. V. Contra illa verò, *Mineralium* in aêre cùm adſtruatur à nobis generatio, utique horum *pluvias aliquid ſanitati portendere*, nobis videtur vero quàm ſimillimum. Quæ tamen res quòd pleniorem exigat Tractationem, cùm inquirendum: An omnium iſta ſit conditio, an verò quorundam; & an horum magis, an magis illorum; atque an eadem ratio iſtorum reſpectu anni temporum? reſpectu animalium? &c. quòd in hiſce talibus, *præeunte Galenô in l. de Morb. Vulg. Hipp. Com. I.* non ſolùm aër, ſed & anni tempora, ſed & corpora animalium, variè in conſilium ſint adhibenda: Quæ omnia peculiari Exercitationi ſervamus, finientes cum *Hippocrate lib. de aëribus l. c. quòd qui iſtô modô rimatus fuerit & præcognoverit temporum occaſiones, maximè de ſingulis ſciet, utplurimumq́ ſanitatem aſſequetur, & rectâ viâ procedet, non minimâ ſuæ artis gloriâ.*

SOLI DEO GLORIA.

D. JOHANNIS IGNATII MUSCHEL de Moſchau

THEOREMA PHYSICO-MATHEMATICUM.

1. Calor, qui producitur à Sole exiſtente in Zenith, habet eandem proportionem ad calorem, qui producitur à Sole exiſtente extra Zenith, quemadmodum habet ſinus totus ad ſinum elevationis horizontalis Solis exiſtentis extra Zenith.
2. Quemadmodum ſe habet ſinus unius elevationis Solis ad ſinum alterius elevationis Solis, ſic ſe habet calor, qui producitur à Sole in elevatione priore ad calorem, qui producitur à Sole in elevatione altera.

ANtequam ad demonſtrationem progrediar, Benevolum Lectorem admonere volui, quòd non intendam demonſtrare proportionem exactiſſimam, quæ ad quantitates incommenſurabiles ſe extendit, nam talis non tantùm in materia propoſita eſt impoſſibilis, ſed etiam licèt poſſibilis foret, nullam tamen utilitatem adferre poſſet. Quapropter ſufficiet, ſi proportio demonſtrata ordinariô calculô trigonometricô ſubjici poſſit. Ne autem in progreſſu demonſtrationis rem dubiam afferre videar, hinc quædam evidentia theoremata phyſica, quæ demonſtrationem ingrediuntur, priùs proponere volui.

THEOREMA I.

Manifeſtum eſt, quò plures radii ſolares ad idem ſpacium cadunt, eò intenſiorem ibidem producunt calorem, & viciſſim quò pauciores cadunt radii ad idem ſpacium, eò remiſſiorem ibidem producunt calorem. Hanc notitiam benè de-

mon-

monſtrat Optica, dum per collectionem radiorum Solis res combuſtibiles accendit, ſive hæc collectio fiat per ſpecula ſive per vitra ſphæricè elaborata. Quapropter propoſitum theorema pro indubitato habeo, & pro principio demonſtrationis aſſumo.

THEOREMA II.

Pro manifeſto habeo, quòd duo radii ſolares ad idem ſpacium cadentes in duplo majorem producant effectum, quàm ſi unus tantùm cadat, ſimiliter in triplo majorem producent calorem, ſi tres cadant radii ad idem ſpacium, quàm ſi unus tantùm cadat. Denique univerſaliter calorem proportionaliter ad copiam vel paucitatem radiorum in idem ſpacium cadentium intendi aut remitti pro indubitato habeo.

THEOREMA III.

Cauſâ ejusdem energiæ, & eodem modô diſpoſita ſemper eodem modô, & æquè multum operatur.

His præmiſſis ad demonſtrationem progredior, pro quâ intelligenda, vide Figuram III.

N. 1. Sit linea horizontalis LK, hujus medium ſit punctum C, circa quod deſcriptus ſit circulus verticalis LBAK. Punctum A Zenith, & centrum Solis ibidem exiſtens. B centrum Solis extra Zenith exiſtentis.

N. 2. Connectantur AC, & quia ABL eſt quadrans circuli, idcircò fient anguli ACG & ACH recti.

N. 3. Connectantur B & C, & quia B eſt extra Zenith, idcircò arcus BL eſt quadrante minor, adeoque angulus BCZ fiet acutus.

N. 4. à centro Solis A elevetur (per Prop. II. lib. I. Euclid.) perpendicularis AM ad ipſam AC, item ab eodem puncto A elevetur verſus alteram partem perpendicularis AN ad eandem AC, quæ perpendiculares ſeca-




Fig. III. *appendicis.*
ad pag. 56.




Fig. IV. *app. p.* 65.

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY.

ſecabunt peripheriam Solis in N & M, fientque anguli MAC & NAC recti.

N. 5. à centro Solis B eleventur (per Prop. II. lib. I. Euclid.) perpendiculares BO & BP ad ipſam BC, quæ perpendiculares ſecabunt peripheriamSolis in O & P, fientq; anguli OBC & PBC recti.

N. 6. Per Prop. II. lib. I. Euclidis elevetur perpendicularis NG à puncto N ad ipſam NA, item à puncto M elevetur pariter perpendicularis MH ad ipſam AM, fientq; anguli GNA & HMA recti.

N. 7. Per Prop. II. lib. I. Euclidis elevetur perpendicularis OD à puncto O ad ipſam OB, item à puncto P elevetur pariter perpendicularis PE, fientq; anguli BOD & BPE recti.

N. 8. Extendantur rectæ OD & PE indefinitè verſus I & T.

N. 9. Per Prop. II. lib. I. Euclidis elevetur à puncto C perpendicularis CD ad rectam BC, item ab eodem puncto C elevetur perpendicularis CE verſus alteram partem ad rectam BC, fientq; anguli BCD & BCE recti.

N. 10. Per Prop. II. lib. I. Euclidis cadat à puncto B ad rectam LK perpendicularis BZ, quæ ſinus erit anguli BCZ.

Dico Calor, qui producitur in ſpacio GH à Sole exiſtente in A, habet eandem proportionem ad calorem, qui in eodem ſpacio GH producitur à Sole exiſtente in B, quam proportionem habet recta AC ad rectam BZ.

Quoniam anguli GNA, NAC & ACG (per n. 6. 4. & 2.) ſunt recti. Ergo (per Prop. 21. ſupplement. in Euclidem) ſpacium NACG eſt parallelogrammum rectangulum, item quia anguli HMA, MAC & ACH (per n. 6. 4. & 2.) ſunt recti. Ergo pariter (per Prop. 21. ſupplem. in Euclid.) ſpacium HMAC eſt parallelogrammum rectangulum; ha-

 bent

bent autem hoc & præcedens parallelogrammum baſes NA AM, utpote ſemidiametros Solis æquales; item communem altitudinem AC. Ergo (per Prop. 26. ſuppl. in Euclid.) erunt præfata parallelogramma æqualia ſimiliter, & conſequenter GC & CH ſunt æquales, item anguli NGC & MHC propter rectos oppoſitos (per Prop. 34. lib. I. Euclidis) recti erunt. (α)

Intelligatur figura EPOD ſuperponi ſuper figuram GNMH, & quia CB & CA utpote radii ejusdem circuli ſunt æquales, idcircò ſibi mutuò congruent, cadetque C ſupra ſe ipſum & B ſupra A, item quia OBC eſt angulus rectus (per n. 5.) ſimiliter MAC eſt rectus (per n. 4.) idcircò ſibi mutuò congruent cadetque BO ſuper AM, quæ utpote ſemidiametri Solis æquales pariter ſibi mutuò congruent, cadetque punctum O ad punctum M, item quia BOD & AMH ſunt recti (per num. 7. & 6.) pariter ſibi mutuò congruent, item ACH & BCD ſunt recti (per n. 2. & 9.) adeoque ſibi mutuò congruent. Quapropter (per Prop. 30. ſuppl. in Euclid.) totum ſpacium CBOD & parallelogrammum CAMH ſibi mutuò congruent, eruntque ſimiliter æqualia. Rurſus anguli CAN & CBP utpote (per n. 4. & 5.) recti ſibi mutuò congruent cadetque BP ſuper AN, quæ utpote ſemidiametri Solis æquales ſibi pariter mutuò congruent cadetque punctum P ſuper punctum N, item anguli ANG & BPE utpote (per n. 6. & 7.) recti ſibi mutuò congruent, item anguli ACG & BCE utpote (per n. 2. & 9.) recti ſibi mutuò congruent. Quapropter (per Propoſit. 30. ſuppl. in Euclid.) totum ſpacium EPBC & parallelogrammum GNAC ſibi mutuò congruent eruntque ſimiliter æqualia, & conſequenter EPOD erit ſimiliter æquale ipſi ſpacio GNMH, eruntque lineæ GC & EC æquales; item CD & CH, eritque etiam ED recta eò quòd GH ſit recta: item quia GC eſt æqualis ipſi CH (per α) pariter EC æqualis erit CD, item quia NGC eſt rectus (per α)

etiam

etiam PEC rectus eſt. Similiter quia CHM eſt rectus (per α) etiam CDO & CDI recti erunt, & pariter BC & OD parallelæ erunt, ſicut & BC & PE parallelæ ſunt. (β)

LK ſecat unam parallelam BC in C (per n. 1.) Ergo (per Prop. 12. ſuppl. in Euclid.) & reliquas parallelas PE & OD ſecabit in punctis F & I, facietque (per Prop. 29. lib. I. Euclid) angulos BCZ & DIZ æquales. (γ)

In puncto B eſt idem Sol, qui eſt in puncto A (per n. 1.) & lineæ PE & OD eôdem modô ſunt limbis Solis P & O applicatæ, ſicut NG & MH applicatæ ſunt limbis Solis M & N, ſuntque PE & OD reſpectu Solis B eôdem modô ſitæ, quemadmodum ſitum habent NG & MH reſpectu Solis A (per β) Ergo (per theorema 3.) Sol exiſtens in puncto B non poteſt plures nec pauciores radios projicere intra parallelas PE & OD, quam projicere poteſt exiſtens in A intra parallelas NG & MH. (δ)

FI ſecat & conſequenter claudit lineas PE & OD (per γ) & GH ſecat & conſequenter claudit lineas NG & MH (per α) Projicit autem Sol exiſtens in B tot radios intra lineas PE & OD; quot projicit exiſtens in A intra lineas NG & MH (per δ) habetque FI & GH à centro Solis quoad punctum medium C eandem diſtantiam (per n. 1.) Ergo Sole exiſtente in B tot radii intra lineas PE & OD cadentes recipiuntur in ſpacio FI, quot radii Sole exiſtente in A intra lineas NG & MH cadentes recipiuntur in ſpacio GH. (ε)

Linea FI (per Prop. 9. lib. 6. Euclidis) concipiatur diviſa in tot partes, quot radios ſolares (Sole in B exiſtente) recipit, unde quia ſingulis partibus ſinguli correſpondent radii, idcircò (Sole exiſtente in B) radii recepti in GH, erunt æquè pars vel partes radiorum (Sole pariter in B exiſtente) receptorum in FI. Quemadmodum pars vel partes eſt GH ipſius FI, & conſequenter (ſecundùm definitionem proportionalitatis) radii recepti in GH (Sole in B exiſtente) eandem habent proportionem ad radios (Sole in B exiſtente)

 rece-

receptos in FI, quam proportionem habet ipſa linea GH ad FI. (ζ)

Tot radii ſolares (Sole exiſtente in B) recipiuntur in FI, quot radii ſolares (Sole exiſtente in A) recipiuntur in GH (per ϵ) Ergo (per Prop. 7. lib. 5. Euclidis) radii ſolares (Sole exiſtente in B) recepti in GH eandem habent proportionem ad radios ſolares (Sole exiſtente in A) receptos in GH, quam proportionem habent iidem radii ſolares (Sole exiſtente in B) recepti in GH, ad radios ſolares (Sole exiſtente in B) receptos in FI. Atqui radii ſolares (Sole exiſtente in B) recepti in GH, eandem habent proportionem ad radios ſolares (Sole in B exiſtente) receptos in FI, quam proportionem habet ipſa linea GH ad FI (per ζ) Ergo (per Prop. II. lib. 5. Euclid.) radii ſolares (Sole exiſtente in B) recepti in GH, eandem habent proportionem ad radios ſolares (Sole exiſtente in A) receptos in GH, quam habet linea GH ad lineam FI. (η)

Per theorema 2. proportio caloris unius à radiis ſolaribus producti, reſpectu caloris alterius à radiis ſolaribus producti eſt eadem, quæ eſt radiorum in uno eodemque loco receptorum calorem priorem producentium, reſpectu radiorum in eodem loco receptorum calorem poſteriorem producentium. Habent autem radii ſolares (Sole exiſtente in B) recepti in GH, eandem proportionem ad radios ſolares (Sole exiſtente in A) receptos in eadem linea GH, quam habet linea GH ad lineam FI (per η) Ergo (per Prop. II. lib. 5. Euclid.) Calor à Sole exiſtente in B producitur in ſpacio GH, habet eandem proportionem ad calorem à Sole exiſtente in A productum in eodem ſpacio GH, quam habet linea GH ad FI. (ϑ)

In triangulis FEC & IDC ſunt baſes EC & CD æquales (per β) item anguli DCI & FCE ad verticem ſunt æquales (per Prop. 15. lib. I. Euclid.) item anguli CDI & CEF ſunt æquales eò quòd ſint recti (per β) Ergo (per Prop. 5. ſuppl.

ſuppl. in Euclid.) tota triangula ſunt ſimiliter æqualia, & conſequenter latera æqualibus angulis oppoſita æqualia ſunt: idcircò FC æquale erit CI, & conſequenter FI duplum erit ipſius CI; ſicuti & duplum eſt GH ipſius CH eò quòd (per α) GC & CH ſint æquales. Quapropter cùm FI ſit duplum ipſius CI, ſicuti duplum eſt GH ipſius CH, erit CI ipſius FI æquè pars, quemadmodum CH ipſius GH pars eſt, & conſequenter CI ad FI eandem habet proportionem, quam habet CH ad GH. Habent autem CD & CH utpote (per β) æquales eandem proportionem ad CI (per Prop. 7. lib. 5. Euclid.) Ergo (per Prop. II. lib. 5. Euclid.) CI ad FI eandem habet proportionem, quam habet CD ad GH, & conſequenter (ſi fiat permutatio terminorum ſecundùm Prop. 16. lib. 5. Eucl.) habebit CI ad CD eandem proportionem, quam habet FI ad GH. (ι)

In triangulis ZBC, & DCI, ſunt anguli BZC & CDI æquales, eò quòd prior ſit rectus (per n. 9.) poſterior verò (per β) rectus eſt, item æquales anguli ſunt BCZ & DIC (per γ) & conſequenter anguli ZBC & DCI (per Propoſit. 32. lib. I. Euclid.) æquales ſunt. Ergo (per Propoſ. 4. lib. 6. Euclid.) ſunt præfata triangula ſimilia, quapropter latera circum æquales angulos ſunt proportionalia, & homologa ſunt, quæ æqualibus angulis ſubtenduntur, eritque proportio CI ad CD eadem, quæ eſt BC ad BZ. Quia autem proportio CI ad CD eſt eadem, quæ ipſius FI ad GH (per ι) Ergo (per Prop. II. lib. 5. Euclid.) proportio BC ad BZ eſt eadem, quæ ipſius FI ad GH. (κ)

BC & AC utpote (per num. 1.) æquales eandem habent proportionem ad BZ (per Prop. 7. lib. 5. Euclid.) habet autem BC ad BZ eandem proportionem, quam habet FI ad GH (per κ) Ergo (per Prop. II. lib. 5. Euclid.) AC ad BZ eandem habet proportionem, quam habet FI ad GH, & conſequenter (invertendo ſecundùm Prop. 4. lib. 5. Euclid.) BZ ad AC eandem habet proportionem, quam habet GH

 ad

ad FI. Habet autem calor à Sole in B exiſtente productus in ſpacio GH eandem proportionem ad calorem à Sole exiſtente in A productum in eodem ſpacio GH, quam habet linea CH ad FI (per 8) Ergo (per Prop. II. lib. 5. Euclid.) calor à Sole in B exiſtente productus in ſpacio GH eandem proportionem habet, ad calorem à Sole exiſtente in A productum in eodem ſpacio GH, quam habet BZ ad AC, & conſequenter (invertendo ſecundùm Prop. 4. lib. 5. Euclid.) calor, qui producitur in ſpacio GH à Sole exiſtente in A, habet eandem proportionem ad calorem, qui in eodem ſpacio GH producitur à Sole exiſtente in B, quam proportionem habet recta AC ad BZ, quod erat oſtendendum.

Secundò, ſi fuerint duæ elevationes horizontales diverſæ Solis extra *Zenith*, v. g. BL & SL, quarum ſinus ſint BZ & SR. Dico calor, qui producitur à Sole exiſtente in B, habet eandem proportionem ad calorem, qui producitur à Sole exiſtente in S, quam habet BZ ad SR.

Per concluſionem præcedentem habet calor, qui producitur à Sole exiſtente in A eandem proportionem ad calorem, qui producitur à Sole exiſtente in S, quam habet AC ad SR. Ergo (per Prop. 4. Euclid.) calor, qui producitur à Sole exiſtente in S habet calorem, qui producitur à Sole exiſtente in A eandem proportionem, quam habet SR ad AC. Atqui per concluſionem præcedentem calor Sole exiſtente in A habet eandem proportionem, ad calorem Sole exiſtente in B, quam habet AC ad BZ. Ergo (per ordinatam proportionum compoſitionem ſecundùm Propoſit. 22. lib. 5. Euclid.) calor Sole exiſtente in S ad calorem Sole exiſtente in B eandem habet proportionem, quam habet SR ad BZ, & conſequenter (invertendo ſecundùm Propoſit. 4. lib. 5. Euclid.) calor Sole exiſtente in B ad calorem Sole exiſtente in S eandem habet proportionem, quam habet BZ ad SR, quod erat ſecundò oſtendendum.

Hæc

Hæc demonſtratio nullam patitur difficultatem, dummodò linea FI concipiatur tam brevis, ut differentia angulorum BF*z* & BIZ ſit tam exigua, quam in calculo trigonometrico attendere non ſit opus, tunc quidem lineæ PF, BC & OI non erunt parallelæ, erunt tamen quaſi parallelæ, & conſequenter in calculo trigonometrico non relinquent difficultatem ullam.

Ut autem manifeſtum fiat, quare linea FI tam brevis, uti dictum eſt, concipi debeat, inſpicienda eſt figura prima, in quâ primò occurrit triangulum BFI cum angulo externo BFZ, qui (per Prop. 32. lib. I. Euclid.) æqualis eſt duobus internis oppoſitis, nimirum: FBI, & BIF, & conſequenter angulus BIF minor eſt quàm BF*z*, quapropter Sol reſpectu puncti F magis elevatur ſupra horizontem, quàm reſpectu puncti I. Hinc plures radii recipiuntur in linea FI circa F quàm circa I. Secundò facilè demonſtrari poteſt, quòd linea BF ſit brevior, quàm BI, demonſtravi autem quondam, quòd cæteris paribus plures radii ſolares cadant ad locum approximatum quàm ad remotum, unde licèt Sol reſpectu I tam altus eſſet, quàm altus eſt reſpectu F, nihilominùs tamen quia remotior eſt ab I, quàm ab F, cadent tamen plures radii ad lineam FI circa F quàm circa I. Quapropter radiorum ſolarium inæqualem eſſe diſtributionem in linea FI patet. Hinc concluſio ζ, quæ æqualiter radios ſolares diſtributos ſupponit aliquam difficultatem pati videtur, quæ difficultas facillimè tolletur, ſi linea FI (quemadmodum ſuprà retuli) concipiatur tam brevis, ut differentia angulorum BF*z* & BIZ ſit inſenſibilis, & calculum trigonometricum effugiat, tunc enim tam ratione diſtantiæ, quàm elevationis horizontalis nulla remanebit difficultas, & conſequenter radii in linea FI æqualiter diſtributi concipi poſſunt, eò quòd differentia inæqualitatis ſit quâcunque datâ minor.

Modus

Modus autem concipiendi ſit talis: Linea FC concipiatur paſſuum paucorum, & quia Sol major eſt quàm terra, certum eſt, lineam PF à puncto F ad limbum Solis inferiorem ductam cum BC concurrere in aliquo puncto, à quo puncto concurrentiæ ſi ducatur rurſus recta ad limbum ſuperiorem, ſecabitur ZK in puncto I, poſteà concipiantur NG & MH ſimiliter convergentes, quemadmodum PE & OD convergentes conceptæ ſunt, fietque GH æqualis ipſi ED. His poſitis triangula FCE & CDI, modicè variabunt, quàm ſi lineæ PE & OD parallelæ fuiſſent, quæ variatio ob parvitatem in calculo trigonometrico non eſt attendenda, ſi tamen quis calculo trigonometrico inquirere præfatam exiguam differentiam cuperet, facillimè poterit, nam angulus FCE eſt complementum ipſius BCL. Angulus FEC ferè 16. minutis primis eſt major quàm rectus, unde ope trigonometriæ innoteſcit EC talium partium, qualium eſt FC, rurſus in triangulo CDI notus eſt angulus DCI, quia eſt æqualis ipſi FCE, item notus eſt angulus CDI, quia eſt æqualis ipſi CEF, item notum eſt latus CD, quia eſt æquale ipſi EC, unde invenitur CI talium partium, qualium eſt CD, ſeu FC. Quapropter patet, quòd proportio caloris alio modo calculo trigonometrico ſubjici poſſit, per quem præcedens examinari poteſt.

Quamvis per modò dicta omnis difficultas ablata ſit, nihilominùs tamen ad majorem confirmationem. Dico abſolutè non requiri ad proportionem demonſtrandam, ut in linea FI radii ſolares æqualiter diſtribuantur, nam proportio caloris inquiritur reſpectu puncti C & non reſpectu puncti F aut I. Unde ſufficit, quòd proportio caloris à parte rei ſic ſe habeat reſpectu puncti C, qualiter calculo trigonometrico demonſtratur. Ut autem hoc demonſtrem priùs ex ſupplementis in Euclidem, ſequens propoſitio cum ſua demonſtratione intelligenda eſt.

PRO-

PROPOSITIO.

Si à duobus punctis in baſi trianguli exiſtentibus (quorum unum ab una extremitate baſis eandem habuerit diſtantiam, quam habet alterum ab altera extremitate baſis) eleventur duæ rectæ inter ſe & alterutri lateri parallelæ, ſecantes alterum latus trianguli, tunc pars trianguli inter parallelas intercepta ad totum triangulum, habet eandem proportionem, quam habet linea à punctis illis intercepta (à quibus præfatæ parallelæ elevatæ ſunt) ad ipſam baſin trianguli.

VIdeatur Figura IV: Sit triangulum AFI, cujus baſis FI, diſtet punctum G ab extremitate baſis F, æquali diſtantiâ, quia punctum H diſtat ab extremitate baſis I, ſintque à punctis G & H ductæ rectæ GB, & HD inter ſe, & lateri AF parallelæ, ſecantes alterum latus AI in punctis D & B. Dico ſuperficies BGHD, habet eandem proportionem ad ſuperficiem totius trianguli AFI, quam habet linea GH ad lineam FI.

Dividatur FI per medium in C, ducatur parallela CK ipſi AF ſecans AI in K, ducatur per K parallela OM ipſi FI, ſecans AF in O, & BG in N, ducatur IM parallela ipſi AF, ſecans OM in M, extendatur HD, donec ſecet OM in L.

Quoniam OM & FI ſunt parallelæ, item OF & IM. Ergo OMIF eſt parallelogrammum: rurſus NL & GH ſunt parallelæ, item NG & LH. Ergo NDEL eſt parallelogrammum, & quidem habens æqualem altitudinem cum priore. Ergo (per Prop. I. lib. 6. Euclid.) ſuperficies NGHL habet eandem proportionem ad ſuperficiem OFIM, quam habet GH ad FI. (α)

CK eſt parallela ipſi FA. Ergo (per Prop. 2. lib. 6. Eucl.) ſecat latera FI & AI proportionaliter, eſt autem FC æqualis ipſi CI ex hypotheſi. Ergo & KI & AK æquales ſunt. (β)

In parallelogrammo KCIM ſunt latera oppoſita KM & CI æqualia; item in parallelogrammo OKCF ſunt latera oppoſita OK & FC æqualia, ſunt autem FC & CI æquales lineæ ex conſtructione. Ergo & OK & KM ſunt æquales lineæ. (γ)

In triangulis AKO & KIM ſunt AK & KI æquales lineæ (per β) item OK & KM ſunt æquales lineæ (per γ) & anguli AKO & IKM ad verticem ſunt æquales (per Propoſit. 15. lib. I. Euclid.) Ergo (per Prop. 4. lib. I. Euclid.) tota triangula AKO, & KIM ſunt æqualia, & conſequenter ſi addatur cuilibet ſuperficies communis OKDIF, evadet triangulum AFI ipſi parallelogrammo OMIF æquale. (δ)

In parallelogrammo NKCG & KCHL ſunt GC & CH æquales (quia ſunt reſiduæ æqualium FC & CI, à quibus lineæ FG & HI æquales ablatæ ſunt.) Ergo & latera oppoſita NK & KL æqualia ſunt. (ε)

In triangulis BNK & KLD ſunt anguli alterni BNK & KLD æquales, item anguli BKN & LKD ad verticem, item baſes NK & KL (per ε) Ergo tota triangula ſunt æqualia, & conſequenter ſi cuilibet triangulo addatur ſuperficies communis NKDHG evadet ſuperficies BGHD æqualis ipſi parallelogrammo NGHL. Unde cům (per α) ſugerficies NGHL ad ſuperficiem OFIM eandem habeat proportionem, quam habet GH ad FI. Ergo (per Prop. 7. lib. 5. Euclid.) ſuperficies BGHD æqualis ipſi NGHL habebit eandem proportionem ad triangulum AFI æqualem ipſi ſuperficiei OMIF, quemadmodum habet GH ad FI, quod erat oſtendendum.

Redeamus nunc ad noſtrum propoſitum, concipiamus radios ſolares in Figura prima taliter eſſe in linea FI diſtributos, ut circa I ſint pauciores, & circa F plures hâc lege, ut numerus ſemper proportionaliter creſcat ab I verſus F, tunc certum eſt, quòd radii inæqualiter diſtributi ſint, ſicut ſuperficies trianguli in ſecunda figura inæqualiter ſuper baſin ſuſten-

ſuſtentatur, nimirum major portio circa F quàm circa I, & ſicut manet eadem proportio ſuperficiei BGHD ad totum triangulum, quæ eſt lineæ GH ad FI; ſic in prima figura (cùm F à G & I ab H æquè remotum ſit) eadem proportio radiorum in GH receptorum ad radios in FI receptos erit, quæ eſt lineæ GH ad lineam FI, licèt plures radii recipiantur circa F quàm circa punctum I.

Ex dictis colligi poteſt, quòd omnis difficultas, quæ moveri poteſt, proveniat ex hoc, quod Sol ſit corpus valdè magnum, projiciatque radios à partibus ſingulis ſeorſim in totam lineam FI, ita ut circa F & circa I radii recipiantur projecti ex partibus Solis circa limbum ſuperiorem exiſtentibus, idem dicendum de reliquis partibus ſingulis. Quare patet, cùm partes inferiores Solis non tantam habeant altitudinem, quantam habent ſuperiores, neceſſariò ab illis minorem produci calorem, quàm ab iſtis. Si Sol omnes radios tanquam ex uno puncto projiceret, clariſſima propoſiti Theorematis poſſet fieri demonſtratio. Hinc cogitavi non ineptum eſſe, ſi Sol in plurimas partes diviſus concipiatur, & ſingulis applicaretur demonſtratio theorematis, nam tali modô plurimæ abſcinderentur difficultates. Inſpiciatur Figura V, in qua linea FI ſit paſſuum paucorum, ab F ducatur ad O utpote limbum inferiorem Solis extra Zenith exiſtentis recta FO, & poſteà ab I ducatur parallela IYP ipſi OF, abſcindens partem Solis OPY, poſteà ſecetur corpus Solis in partes per lineas QX, RV, ST &c. & ſic conſequenter donec de corpore Solis nihil ampliùs reſtet; debet autem quælibet linea à ſua vicina tantam habere diſtantiam, quantam habet YI ab OF. Rurſus per ſimiliter diſtantes lineas dividatur Sol in Zenith exiſtens in partes. His factis, quia FI eſt linea paucorum paſſuum, hinc in illa radii ex ſolâ parte Solis PYO cadentes æqualiter diſtributi concipi poſſunt, & conſequenter demonſtratio theorematis, quæ in prima figura toti corpori Solis in B & A exiſtentis applicatur, modò parti OPY, &

ABK applicanda eſt excutiendo timorem ex parallelis convergentibus ortum. Rurſus eadem demonſtratio partibus PQXY & BCLK applicari poteſt, veluti in Figura V. patet, & conſequenter ſimili modô omnibus partibus corporis Solis ſeorſim præfata demonſtratio applicari poteſt. Et cùm manifeſtum ſit, quòd radii ſingularum partium Solis extra Zenith, cum radiis ſingularum partium Solis in Zenith, eandem habeant proportionem, quam habet ſinus elevationis Solis horizontalis extra Zenith ad ſinum totum. Ergo (per Prop. 18. lib. 5. Euclid.) omnes radii ſimul Sole extra Zenith exiſtente cum omnibus radiis ſimul, Sole in Zenith exiſtente ſimilem vel eandem proportionem habent. Unde patet propoſitum.

Sed dicis verum quidem eſſe, quod dictum eſt, modò à parte rei omnes partes Solis eandem haberent elevationem horizontalem. Nam manifeſtum eſt, partes Solis extra Zenith exiſtentis circa limbum ſuperiorem habere majorem elevationem horizontalem, quàm partes circa limbum inferiorem habent, ſimiliter Sol exiſtens in Zenith unicô punctô elevationem requiſitam habet, eò quòd cæteræ partes extra Zenith exiſtant, quapropter cùm ultima explicatio requirat has conditiones, non videtur omni difficultati ſatisfacere. Reſpondeo quoad primum, licèt major ſit elevatio partium ſuperiorum Solis extra Zenith exiſtentis, quàm partium inferiorum, quia autem calculus trigonometricus dirigitur ad elevationem centri Solis, idcircò recompenſatur per excedentem elevationem partium ſuperiorum, quod negligitur per deficientem elevationem partium inferiorum. Quòd autem hæc recompenſatio aſſumi poſſit, patet, quia ſinus elevationis limbi ſuperioris additus ad ſinum limbi elevationis inferioris, dat ſummam, quæ per medium diviſa dat quotientem ferè æqualem ſinui elevationis centri ſolaris. Quoad ſecundum reſpondeo, licèt tantum centrum Solis ſit in Zenith, quia autem ſinus elevationum reliquarum partium, vix à ſinu toto differunt,

Fig. V.
appendicis.

ad pag. 67.





Fig. VI.



BRITISH MUSEUM NATURAL HISTORY.

runt, idcircò in calculo trigonometrico nulla orietur difficultas, ſiquidem tales minutias trigonometria negligit.

Objicies ſubindè in maxima elevatione eſt exiguus calor, & in parva elevatione eſt magnus calor, nam tempore pluvioſo in maxima elevatione eſt ſatis frigidum, & tempore ſerenô in parva elevatione Solis eſt ſatis calidum. Ergo theorema propoſitum repugnat experientiæ. Reſpondeo, demonſtratio propoſita tantùm theorema allatum verum eſſe cæteris paribus aſſerit, quapropter comparitio caloris cum calore ubique tempore ſerenô inſtituenda eſt. Similiter dicendum eſt, ſi objectio fiat ratione apogæi & perigæi, item ratione ſignorum, in quorum unô Sol majorem potentiam, quàm in altero habet.

Objicies ſecundò per refractiones radiorum in elevatione Solis humiliori tollitur veritas theorematis, nam refractio efficit apparenter Solem altiorem, quàm in re ſit, & conſequenter radii non tam obliquè cadunt, & idcircò calor erit major, quàm calculus trigonometricus monſtrat. Secundò per refractionem magis concentrantur radii ſolares ad locum anguſtiorem, ſiquidem Sol major apparet, & idcircò calor etiam ex hac ratione major erit. Reſpondeo quoad primum, quòd elevatio ob refractionem apparens major poſſit calculo inquiri, ſiquidem tabulæ in ſimiles uſus extant. Quoad ſecundum reſpondeo, quòd augmentum caloris ob concentrationem radiorum facillimè inquiri poſſit, ſi habeatur diameter Solis apparens, tam per refractionem aucta, quàm prout extra refractionem exiſtit. Et tunc calor auctus ob refractionem habebit eandem proportionem duplicatam ad calorem, qui foret, ſi nulla refractio in rerum natura eſſet, quam proportionem habet ſimplicem diameter per refractionem aucta ad diametrum extra refractionem.

Objicies tertiò horâ decimâ ante meridiem, & horâ ſecundâ poſt meridiem eſt eadem Solis elevatio, & tamen major calor eſt poſt meridiem, quàm ante meridiem, ergo theo-

rema fallit. Reſpondeo, concedo antecedens, nego conſequentiam, nam theorema demonſtrat, quantus calor à Sole producatur tam horâ decimâ ante meridiem, quàm horâ ſecundâ poſt meridiem, non autem quantus calor ſit in rerum naturâ utrâque horâ, nam calor in meridie productus à Sole valdè alto, horâ ſecundâ poſt meridiem adhuc aliqualiter perdurat, unde neceſſariò horâ ſecundâ poſt meridiem calor major erit, quàm horâ decimâ ante meridiem, quamvis eadem actio Solis ſit pro utrâq; horâ.

Præterea obſervandum eſt, quòd licèt in figura prima FI ſit linea, nulla ſequatur difficultas, ſi ſuper FI tanquam baſi in plano horizontali concipiatur parallelogrammum rectangulum ædificatum, cujus altitudo ſit exigua, v. g. unius paſsûs, nam hâc ratione parallelogrammum rectangulum æquè altum ſuper GH ædificatum habebit eandem proportionem ad parallelogrammum ſuper FI, quam habet linea GH ad lineam FI.

Præter propoſitas objectiones & difficultates, ſi adhuc aliquid moveri poſſet, facilè ex dictis ſolvi poterit, & licèt plerisque demonſtratio allata obſcura videatur, ſpero tamen, quòd à Mathematicis doctis intelligetur, ſiquidem demonſtrationes Euclidis libri quinti longè obſcuriores eſſe, illas legentes fatebuntur. Si autem vitiô typographicô præter ſpem error obſcurationem inducens contigerit, quod facillimè in hac materia fieri poteſt, ſequenti annô illum DEO dante detegere propono.

Quæret etiam Benevolus Lector, qualia ſint ſupplementa in Euclidem, quæ ſæpiùs in demonſtratione citata ſunt. Ad hoc reſpondeo, quòd præfata ſupplementa ſint mea, quæ conſiſtunt in centum & viginti aliquot propoſitionibus, quæ neque in Euclide, neque aliis authoribus continentur, inſerviunt autem præfata ſupplementa demonſtrationibus valdè benè, primò, quia multa ex illis compendiosè demonſtrantur, ſecundò, quia multa absque illis demonſtrari non poſſunt.

Unde

Unde ſi naſutus Momus mihi objecerit, quòd ex Euclidis elementis facilè mea ſupplementa demonſtrari poſſint, & idcircò ego fruſtraneum quid ſuperaddiderim. Huic impono, ut ex elementis Euclidis, aliiſque authoribus deducat & demonſtret: qualiter geometricè deſcribi debeant duo cubi æquales duobus ſegmentis coni, ſi conus ſectus fuerit per ellipſin, item qualiter deſcribi debeant duo cubi æquales duobus ſegmentis ſphæræ qualitercunque per planum ſectæ. Poſtquam hæc deduxerit, libenter mea ſupplementa nihil valere fatebor. Taceo; quòd librum quintum Euclidis, in quem plerique Mathematici tanquam in ſcopulum inciderunt, totaliter reformaverim & ad clariorem formam reduxerim, ſiquidem oſtendo, quòd in libro quinto Euclides ob defectum principiorum evidentium, in quantitatibus incommenſurabilibus à viâ demonſtrativa deviaverit. Et hoc obiter propter Momos inſinuaſſe ſufficiat.

Objicies ultimò, hoc theorema eſt contra communem Philoſophiam, quæ docet, quòd ideò calor in altiore elevatione Solis ſit major, quàm in humiliore, quia in illâ angulus incidentiæ radiorum ſolarium in planum horizontale eſt major, quàm in iſta, ſed in hac demonſtratione deducitur ex copia majori radiorum in idem ſpacium cadentium, major calor, & ex copia minori minor calor. Ergò hæc ſententia deflectit à communi Philoſophia. Reſpondeo, hanc ſententiam tantùm eſſe contra miſeros rixatores, non autem contra Philoſophos. Sufficit, quòd ſcientificè oſtenderim aliud, ubi illi nec umbram alicujus probationis afferunt.

[A. 1689. M. Jan. Noribergam miſſa.]

D. RO-

D. ROSINI LENTILII
NOTABILIA,
De
VENÆ SECTIONE ET URINA.
De Venæ Sectione.

A*Nn.II. Dec.II. Obſerv. 154. Ephemeridum* noſtrarum, Viri à me facta mentio, cui non, niſi motu corporis inſigni prævio, ſanguis è pertuſa vena profluxit; nunc plura circa Venæſectionem notabilia, hisce temporibus à me obſervata adducere non pigebit. Tinctor noſtrâs, Vir obeſus tam habuit anguſtas & profundas in utroque brachio venas, ut ſæpè jam pertuſæ, atq; adeò calloſæ, Sanguinem denique fundere recusârint; hic autem ſpleneticus & dolore lienis ſæpè laborans, ut ſolet vulgus, omnem ſpem in pertuſione venæ ſpleneticæ ſiniſtri brachii, hepaticæ dextri oppoſitæ, collocavit; ſuaſi proinde jam ante annum, ut corpus ante baſilice, & usque ad ſudorem moveret, quam Cheirurgum accerſeret, ſed irritô conſiliô; nam vena, tametſi ſaucia, vix guttatim ſanguinem ploravit: permiſimus tamen longâ morâ, ut unciæ circiter duæ exſtillarent; hinc ſuaſi, ut mediana dextri brachii ſecaretur, unde præterpropter ſex unciæ exhauſtæ. E duabus his venis unum ſanguinem collocavi ſeorſim, viſurus, numquid eſſet inter utrumque differentiæ. Pomeridiè, cùm redirem, qui guttatim è ſiniſtra plaga ſtillavit ſanguis, floridiſſimus, absque ſero, aut hoc ſanè paucisſimo, repertus: E mediana dextri brachii proruens, ferè, nil niſi ſerum, & exigua concreti cruoris pars, cruſta è viridi cœruleſcente tenaciſſima (bilem vocant Raſores) obducta, Cheirurgo magis, quàm mihi, miraculo fuit.

Idem

Idem Tinctor ante biennium obductum tali cruſtâ ſanguinem, cum multo ſero, exhibuit. Poſt, cùm me ſuaſore, *balneis Bollenſibus, Ducatûs Würtembergici* uteretur, inde vegetior longè rediens, exhibuit nobis ſub auctumni initium, ſanguinem ſatis laudabilem. In antiquos autem errores diætæ lapſus, idem denuò ſanguinis vitium ſibi accivit. Quoties autem venas manuum aut pedum aperuit, heic, uti mos eſt, impoſitis aquæ calenti artubus, ubi per pauca minuta ſanguis in vaſe conſtitiſſet, mirum dictu! hujus ne guttam in eo repeiſſes, ſed in aqua loturæ carnis æmula, natantem gelatinam albicantem, pellucidam, ſciſſilem, quales ſolent eſſe gelatinæ pedum quorumlibet, aut oſſium, ſine croco paratæ. Hic præteritâ æſtate balneas prælaudatas equidem repetiit, ſed ita, ut ſingulis diebus, etiam cùm jam balnearet, ad tres nonnunquam quatuor menſuras generoſiſſimi Neccarini exantlaret. Inde reverſus aſcito-tympanitem incurrit. Uſus autem eſt ope vicini cujusdam, ejusque famoſi, nunc equidem ingratiis Practici, quondam Carnificis, qui iteratis, alternis diebus, purgantibus δραςικοῖς, eumdem ad internecionem excarnificavit. Senator hujus urbis, Vir toroſis lacertis & vultu roſeo intuentium oculis abblandiens, ante hos annos Venæſectione profudit ſanguinem, qui concretioni expoſitus, intra duas vel tres horas, locô ſeri, lac merum, conſiſtentia, colore, ſapore ſeparavit, elegantiſſimâ cruoris & lactis confuſione. Suaſi, ut *acidas Göppingenſes* biberet, quod effectu haut equidem contemnendo, ab ipſo præſtitum. Cùm tamen rediiſſet, cucurbitulas ſcarificatas patitur, poſtridièque innatantes cruori guttas propemodùm lacteas, non ſine terrore vidit, mihique conſpiciendas præbuit. Juſſi, eſſet bonô animô, alicunde has guttas eſſe derivandas. Sub initium enim autumni, vulneratâ brachii ſiniſtri venâ, ſanguinem eructavit, cujus ſerum, equidem pallore quôdam lactis ſerum, neutiquam verò lac ipſum æmulabatur. Attamen vere præteritô, cùm iterum venam aperiret, rurſum albicantius ſerum repertum, ſed,

iteratis *acidis Göppingenſibus*, auctumnus pallidius vice ſecundâ exhibuit. Quid porrò ſit futurum, ignoramus.

Circa Venæſectionis adminiſtrationem cumprimis notanda quinque veniunt: *1. an? 2. cui? 3. quomodo? 4. quantum? 5. quando?*

I. Qui Venæſectionem omninò non, & nusquam admittunt, ii næ faciunt intelligendo, ut nihil intelligant. Sunt autem illi vel Antiqui vel moderni, utrique magni nominis Auctores. Illos, quidpe ficulneos Adverſarios referre, quid attinet? Sunt autem *Eraſiſtratus & Aſſeclæ Apæmantes, Strato*, &c. quorum ratiunculas ipſe *Galenus* refutare non eſt dignatus, ridiculas eas meritô jure cenſens *lib. de Venæſect. contra Eraſiſtr. c. 2.* Id autem laboris per ſanè doctè in ſeſe ſuſceperunt, Excellentiſſimi Viri *D. Maur. Hofmannus, diſp. pecul. de Venæſectionis neceſſitate An. 1661. Altdorfii habita*, & *Frid. Hofmannus Meth. Med. l. 2. c. 13. p. 202. ſeqq.* quos, qui volet, adire poteſt. Fatentibus autem his ipſis Viris, majoris ſunt roboris & ingenii, quæ *Helmontius* paſſim, in odium Venæſectionis, evomit, *ne ſcilicet* (prioris *Hofmanni* elogiô) *quid inauſum intentatumq; relinqueret, quod Academiarum & nationum conſenſu probatum cerneret.* Sed reverà, ſi rem omnem oculis mentis intueamur, & ejusdem *Helmontii*, ejusque Mimi, *Gremſii*, argumenta, tanti ponderis minimè ſunt, ut propterea remedium utile debeat exulare. Vanus eſſem, ſi in omnibus refutandis occuparer, ut, quod feliciter ſatis, locô dictô, bini *Hofmanni* fuerint exſequuti. Verùm, ut pauca quædam addamus: Quisquis cum *Helmontio* ſtatuit, plethoram ad vires in homine nullam, nec etiam, ſi quædam adeſſet, eam nocituram, cùm ſanguis & vires ſint correlata, hæ autem, etiam in Mathuſalem, non abundare queant, is, dico, grandem reverà & inexcuſabilem errorem errat. Cur enim Natura ſæpè febres, aliosque ex ὀργάσμῳ ſanguinis dependulos morbos, hæmorrhagia critica ſolvit? Cur tantum, in hæmorrhoidibus ritè fluentibus, præſidii poſitum, ni ſanguis

abun-

abundare poſſet, eaque ſui abundantia naturæ vim inferre? Sed verò, quid ſubeſt impedimenti, quò minùs abundare ſui copiá viribusque ſanguis queat? Num ergò non huic datum, quod reliquis humoribus? Quoties in lactantibus lac abundat, ut inde diſtendantur mammæ, ut ipſum vel effluat copioſè, vel coaguletur in mammis, & malorum cohortes procreet? Immò, cur abundat ſerum, ſanguinis frater genuinus? Siccine nec hoc per ſudores & diureſin eliminandum, per fonticulos & alia? Certè, ex voluntate *Helmontii*, per legitimam conſequentiam, evacuationes iſtæ deberent è Medico apparatu exulare: Nam, quid privilegii præ ſero ſanguis habeat, & evacuatio una præ altera? quin & ſeri vitia vel copiam præcipitatione ſolâ corrigemus? In ſalacioribus abundat ſemen, excernitur ſpontaneâ pollutione, cur non & ſanguis abundare poſſit? Sed in ſanguine vita hoſpitatur. Quid tum? numquid exſiliet vita per venæ hiatum? atqui fortè & in ſero vita lateſcit, ut ſit metus, ne cum ſudore eadem exhauriatur. Si ſanguis abundare non poteſt, cur in feminis abundat? immò, cur aliquæ parcam ſanguinis menſtrui profuſionem patiuntur, aliquæ ad octiduum, & quod excedit, largiſſimam, utræque perinde ſanæ? nonne in his ultimis major eſt ſanguinis probi, quàm in primis, copia? nam ſanguinem menſtruum eſſe aut alio per ſe impuriorem, aut planè venenatum, hodiè vix credimus. Quum itaque ex laudabilis nutrimenti copiâ poſſe ſanguinem plus augeri nimio, nil quidquam prohibeat, inde quoque ſequitur iſthanc copiam haut parum quidem ſanitati adferre detrimenti. Nam, quum venis determinata ſua capacitas è trinitate dimenſionum obtigerit, numquid hæ non à ſanguinis mole diſtendantur? at, quid ex illa vaſorum diſtenſione nimiâ, niſi è vitiato ſanguinis motu orta anxietas, cordis palpitatio, ſuffocationis metus? quod autem hi promtius auxilium, quàm ſanguinis ſubtractio, ſolâ venæſectione & analogis, perficienda? Igitur, cùm probatum ſit, ſanguinem copia peccare poſſe, & proinde dari plethoram, il-

licò per ſe *Merodenſia* fundamenta corruunt. Sed & ſanguis qualitate peccans Venæſectione corrigitur. Hic rurſum *igneus Philoſophus:* Quòd ſi muſca aut aranea incideret in cyathum vini, quis adeò demens eſſet, ut, relictâ in vino muſcâ aut araneâ, illud effunderet? aut vinum ſimul cum muſca peſſumdaret? annon convenientiùs, ſolam muſcam aut araneam, intactô vinô, ex vaſculo exterminare? Largimur Tibi, *Helmonti,* ambabus manibus, priùs fore ſtultum, ſi quis id faceret, cùm muſcam ſine vini diſpendio eximere datum eſt. Sed, en Tibi exemplum aliud? Si vinum tuum muſcarium fluctuaret in vitro anguſtiſſimi & longioris colli, v. g. in phiola, pelicano &c. quid tum eſſes facturus? Numquid ſanguis in humano corpore, ceu cupâ cereviſiariâ, natat? num in eo impuritates muſcarum & aranearum adinſtar vehuntur, ut liberum ſit cuiquam, eas forcipe comprenſas eliminare? adeò hoc ſimile non eſt tantùm diſſimile, adeò non tantùm claudicat, ſed omninò catalepticum decumbit. Quum igitur, e. g. in febribus, ex nimio Sulphure per Salia exſuſcitato in ſanguine oritur ebullitio, quâ, per expanſionem ſanguinis, venæ diſtentæ, anxietates pariunt, non video, queî Venæſectio cum emolumento adhiberi non queat. Demptô enim ſic ſanguine, non tantùm, qui in venis reſtat, ſpatium ſibi liberiùs adipiſcitur, ſed & effera maximè ſanguinis pars, per mobilitatem ſuam, quâ datâ portâ, tunc proruit, pacatiore & minùs fermentabili relictâ, cum ægri levamine grandi. Qui balnea juſtò calidiora ingrediuntur, hiant ore, quaſi ſuffocandi, cum anxietate plus ſatis affligente. Quæ, amabo, cauſſa? Quòd ex Aëre per calorem ſubtiliato, & inſpirato, ſanguis in ebullitionem, ſuique expanſionem, cietur, unde venæ diſtentæ & cor conquaſſatum, ſanguinis motum ordinarium depravant, hinc anxietas? cùm quis exit balneô, illicò quieta omnia. Succus nutritius etiam in vegetabilium genere haut raró abundat: Hinc in aliquibus locis, ne juſtò lætiùs ex pingui ſucco frumenti grana ſuccreſcant, & mole pro-

priâ

priâ corruant, oves depaſcuntur culmina, vel ipſa falcibus demetuntur, quod vocant, frumento ſcarificare (dem Saamen ſchrepfen.) Sic ex nimia ſucci abundantia non rarò ſterileſcunt & prorſus emoriuntur arbores, quod, cùm futurum hortulani ſuſpicantur, cultrô corticem ſauciant, ductô per truncum & ramos inſigniores vulnere perpendiculari, ut latici detur illinc egreſſus, quam ipſam operationem, analogicè Venæſectionem appellitant, (den Bäumen laſſen.) Adeò non verum eſt, ſuccum nutritium, nec poſſe ſui copiâ detrimentum afferre, nec eſſe propterea minuendum. Sed objiciunt nobis *Helmontius* & Adſeclæ, dari alia quædam arcana medicamenta, quibus longè promtiùs morbi, Venæſectione curari ſoliti, ſine exhauſtione ſanguinis, tolli queant: Rogo, quænam iſta ſunt arcana? per amorem Dei, cur iſta non propalatis? Cur vos, & ejusmodi farinæ ſodales, eſtis tam invidi arcanorum veſtrorum celatores, (Germ. vocant, Tuckmäuſer) qui vobiscum ſepeliri vultis arcana, ſi qua habetis, ut certè rarò habetis? Sed habeatis ſanè! Vehementer tamen ego, cum *Fr. Hofmanno, l. c.* dubito, num ea ſint virtutis tantæ, ut Venæſectionis eſſe vicaria queant? Atque, ſi maximè vos habetis, nos tamen, quia iis deſtituimur, cogimur iſtis uti remediis, quibus nos eſſe profuturos confidimus. Intereà quemlibet Arcaniſtam in arenam provoco, veniat, ſi vir eſt, & ſuis arcanis, ſive Corallinis, ſive margaritinis, idem, quòd ego unicâ Venæſectione, in certis affectibus, efficiat! Populos Septentrionales quod attinet, fateor equidem, eos rariùs uti Venæſectione, & ſatis eſſe vivaces: Sed 1. Cœlum eorum frigidius eſt, & inclementius, quàm, ut ſanguis tam promtè efferveſcat, ideoque & rariores apud eos febres malignæ, & omnes morbi, à vitio ſanguinis plus juſto ſulphurei, oriundi, crebriores ſeroſi & ſalini; hinc, quum Venæſectione non adeò indigeant, cur eam admittant? Secùs ſe res habet in Climatibus calidioribus, id quod expertus loquor, qui Medicinam in *Curlandia* feci. 2. Iſti populi non ſunt adeò luxui dediti, ſed utuntur victu

ſimpliciore, propterea nobis in genere vegetiores. Reliqua *Helmontii* & *Poterii* vide locis *Hofmannianis* refutata. Sed & ſunt plures alii Venæſectionis in ſe ſaluberrimæ inſectatores, inter quos primus prodeat *M. Kergerus, tr. de ferment. Sect. 3. cap. 3.* Hic enim in omnibus febrium generibus, niſi plethora urgeat, Venæſectionem damnat, & quamvis *Helmontio* mitior ſit, ut qui plethoram agnoſcat, in eo tamen præmodùm videtur rigoroſus, quòd Venæſectionem in omnibus febribus exulare jubeat, niſi, ubi ipſa plethora adeſt; cujus propemodùm ternas adfert rationes: 1. Conſideremus, inquit, annon ſufficiens indicium inutiliter adminiſtrati tam generoſi remedii ſit, quòd paroxyſmus Venæſectionem ſequens non minuatur, ſed omnium ſit vehementiſſimus, teſte *Sennert. de febb. c. 18. p. 271.* Reſp. *Sennertum* loqui de febribus intermittentibus, non continuis, malignis &c. quô in caſu plures magni nominis Practicos ſibi conſentientes habet, quin & me, omnium minimum, in *diſp. inaug. de febre tertiana:* immò ipſam rerum Magiſtram experientiam. Nec deeſt ratio, ubi notandum, non æquè ſubſequum calorem eſſe atrociorem, ſed frigus potiùs, ſeu horrorem. Dum enim cauſſa febrium intermittentium non primariò latet in ſanguine, ſed in chyli viſciditate, qui propter Salium puriorum, acidi lymphatici & alkali chyloſi efferveſcentiam, in lumbis primò, poſt, ob ductum thoracicum, dorſo, denique totô corpore, frigoris ſenſum excitat: quis non videt, neceſſario, demtô ſanguine, frigus ſeu paroxyſmum vehementiorem excitari, cùm ſanguis, ſulphure ſuô depauperatus, jam debilior eſt, ut iſti frigori reſiſtat, ſed victas quaſi manus dare cogitur. Quomodo infusô denique chylô in venas ſubclavias & cor, excitetur poſt frigus calor, vid. fuſiùs in *dicta diſput. mea.* Diſtinguendum igitur inter febres continuas & intermittentes: in illis utique, in his raro Venæſectionem admiſerimus. 2. Cur laticem illum pretioſiſſimum ſtudiô exantlamus, qui à febre, (quem febris) heu nimium! depaſcitur? ut planè in febribus abſumtum fuiſſe,

fuiſſe, obſervatione conſtet. Reſp. Obſervationum illarum circumſtantias ego non novi, quibus ignotis de cauſſa depaſti ſanguinis judicium ferre non licet. Quod autem latex ille, utcumque pretioſus, in malignarum & ardd. febrium initio, non exantletur, ſed minuatur, fit (α) ne cor, focus caloris, à ſanguine ebulliente, non plus nimiô obrutum, ſtatione ſuâ dejiciatur, cum vitæ periculo: cùm ſatiùs ſit, illud paucum, eumque bonum ſanguinem continere, quàm furioſô cruoris impetu in opere ſuo ſufflaminari. (β) Ut ſanguinis & ſpirituum ferocia mitigetur, & in pacatiorem ſtatum omnia redigantur. (γ) Ut Salibus illis volatilibus, fermenteſcibilibus, detur exitus, & tametſi aliqua in receſſu maneant, ea tamen tantam naturæ vim inferre non queant ampliùs, quàm ſui copiâ poterant. Natura quippe (dicant alii Archæus;) quò debiliores experitur ſuos hoſtes, eò promtius iis reſiſtere valet. Non ſtatuo, cum vulgo, ſolum ſanguinem impurum à Natura per plagam tuſæ venæ extrudi; ſed interim ſpiritus ferocientes non confertim, unà cum ſanguine, quâ datâ portâ, ob mobilitatem ſuam erumpere poſſe, & ratione ſuæ naturæ actu erumpere, quis negabit? Nos ſæpè illudimus raſoribus, quum ſuadent, in affectibus cumprimis pectoris flatulentis, aſthma comitem habentibus, minimam ſanguinis portionem emittendam (man ſoll eine Lufftläſſe thun/) ſed non prorſus eſſe de nihilo, qui rationi jungunt experientiam, Practici teſtabuntur, &, qui vel tantillum ſanguinis emittunt, illicò ſpirare liberiùs, ego plus vice ſimplici ſum expertus, quidnî enim flatus, factô per plagam exitu, proruant cum ægri levamine? 3. Crebra ſanguinis miſſio, homines febri aptiores reddit, *Williſiô teſte cap. 9. p. m. 75.* Reſp. *Williſius* ibi hanc opinionem, ceu vulgi, videtur adduxiſſe, & neſcio ſanè, num rationes ibi adductæ punctum omne ferant; ſed his miſſis, quis non videt, *Williſium* loqui de Venæſectionibus præſervatoriis, non curatoria in febre; ſcilicet eos dici ad febres proclives, qui ſingulis annis, bis vel ampliùs, vernô & autu-

autumnali temporibus, vigore conſuetudinis, ſanguinem profundunt? quæ res, quam huc minimè quadret, eſt in aprico. Noſter equidem *Arion in Ephem. Dec. II. An. IV. append.* Veteranum cujusdam exemplum profert, qui, quoties venam ſecaret, corriperetur tertianâ; ſed hoc rurſum nihil ad nos, quia tertiana eſt intermittens. Porrò audio, adeſſe remedia, & præſentiora, & jucundiora & tutiora, quæ ſanguinis fermentationi ſedandæ dicata. Reſp. Poſito, quòd ejusmodi remedia dentur, at eſſe præſentiora, vix conceſſerim; ſiquidem unâ Venæſectione in momento, ſed tempori, peractâ, plus effecero, qàm ſenis pulveribus præcipitantibus; ideoque, dum inducias malum non patitur, tantiſper Venæſectione ſanguinis tumultum ſiſtere licebit, ne ſit in mora periculum. Videamus autem, quænam celebrentur præſentia illa, jucunda tutaque remedia? Commendatur itaque *humiditatis ſubtractio* è maſſa ſanguinis, quam ſcilicet preſsò pede ſequatur deferveſcentia; hanc Veteres peregerunt (α) *abſtinentia.* Reſp. Abſtinentia in febribus per ſanè multùm valeat; ſed eſt ea vel cibi, vel potus: Cibi abſtinentiam maximæ febricitantium cohorti imperare ſuperfluum eſt, dum ab ipſo ſtatim initio morbi, dejectô appetitu, ſine Medici imperio ſatis abſtinent; Dum autem interiùs uruntur ægroti, eos à potu arcere, minimum abeſt à latrocinio. Quur enim ſeri depaſtio non ſarciatur potu, & cur ægri nimiâ ſiti fatiſcant? Cur ignis ille internus non debilitetur acceſſu humidi? Et, ſi maximè valeret abſtinentia, Medicus hodiè tota Germania exigeretur, ſi ægris ſuis abſtinentia quadraginta circiter dierum (ſic enim antiqui ſolebant) mederi vellet. (β) *Per diuretica & ſudorifera.* Et hæc quidem eſt via curandi febres tritiſſima, ab omni tempore magni habita, eò, quòd malignitas, ſub vehiculo ſeri, tunc eliminari per veſicam aut corporis peripheriam crederetur, id quod non eſt adeò veritati diſſentaneum; ſiquidem Salia ſolvuntur in ſero: Et ſudorifera ſanè locum ſibi vendicârint in intermittentibus, quin & exanthematibus nonnun-

nunquam: Sed, ne quid nimis! Nonne quis oggeſſerit, quod *Helmontius* venam ſecantibus facit, nempe ſerum utile unà cum Salium μιάσμασι protrudi, quum fortè medicamenta dentur, quæ Salia iſta, ſine ſeri depauperatione, ſupprimere queant? Et, cùm ſanguis in continuis (de quibus ſemper loquor) ſit fervidiſſimus, cur eidem ſubducimus ſerum, ejus refrigeriô tam neceſſarium? Cur Sulphur ſanguinis hôc modô exaltatur, ut eò lubentius ardere queat? Cur perpetuis ſudoribus ægri exhauriuntur? Certè mihi non parùm ſuſpectos eſſe ſudores, in quacumque ſanguinis ζέσει univerſali, liberrimè fateor, qui, cum aliis, expertus ſum, ſanguinem in malignis è vena ſecta eductum, quò minus eſt ſeroſus, eò majus ægro periculum portendi, eò quòd ab Igne interno ſerum jam ſit protenus abſumtum; item, multum ſpei affulgere, ſi cutis ſemper ſit ſubuvida, parùm, ſi arida, ob eumdem ſeri defectum. Proinde nec Diuretica, nec Sudorifera, tutum nobis, ob ſeri exhauſtionem, auxilium ſuppeditârint. Meliùs longè *Kergerus* eruditus videtur ſentire, de *exceſſu humidi*, febres quaſi ſuffocante, dum per idem fermentatio ſiſtitur, & proinde frigidæ potum, tempeſtivè adhibitum, è *Galeno* commendat. Sed tamen in præcipitantibus anchoram ſpei fundavit omnem, quum ita infit: Ego ab anno 1649. in hunc diem, per integros quatuordecim annos, ultra mille febricitantes, ſine Venæſectione, ſine purgatione, ſine ſudoriferis, ſine diureticis, ſine alterantibus, ſine corroborantibus, ſine topicis, & ſi quid prætereà, *unicô ferè medicamentô præcipitante* curavi &c. quas febres, tametſi maximam partem intermittentes fuiſſe judico, attamen & continuas cùm Vir Excell. recenſeat, eum verè felicem exiſtimo, me verò infelicem, qui ſine Venæſectione vix unam aut alteram continuam tam promtè debellare novi: Dico, tam promtè, nam, ubi jam per dies aliquot febris duraret, coactus, intermiſsâ Venæſectione, ad alia confugere, utcumq; iis medicatus ſum. Sed pace omnium modernorum dixerim, me vehementer dubitare, an cuncta

iſta alkalia , terrea , fixa , quæ præcipitandi fine , in febribus præcipuè, tum & aliis affectibus propinantur, ſui quod eſt officii, *præcipitando* magis, *an contemperando & dulcificando Salia effera*, exſequantur? Nemo non hodiè *præcipitantia*, *præcipitantia*, loquitur , & plures eum in finem , ne videantur *Galenici :* Sed , quis ejuſmodi præcipitationem , qualis eſt Chymica, in vaſis, præcipuè ſanguifluis, comminiſcatur? In præcipitationibus Chymicis, quod præcipitatur & ad fundum ſubſidet, procul dubio eſt magma craſſius, ſeu pulveris, ſeu reſinæ facie, quàm ipſe liquor, ex quo præcipitatum erat: jam, ſi talis eſt fecum ſalinarum in venis præcipitatio, quorſum deponitur iſtud magiſterium (liceat ita loqui) morboſum? Certè, ſi quid tale præcipitaretur, venas procul dubio infarciret, non ſine ſecutura grandi noxa, quòd in podagricâ tophorum præcipitatione videmus. Quod igitur præcipitantia facere perhibentur , id ego magis adſcripſerim *dulcificationi & mitigationi Salium,* unde fermentatio ceſſat. Objiciat aliquis, ſive præcipitantia , ſive dulcificantia vocentur iſta medicamenta, perinde eſt , modò febris absque Venæſectione tollatur: Huic ego reſpondeo: Febres iſtiusmodi quidem poſſe ſine Venæſectione tolli, ſed non commodè; & cum ſtatuo mitigatione & dulcificatione Salium fermentantium ebullitionem ſanguinis eſſe tollendam , me requirere non tam illos pulveres præcipitantes communes, quàm alios quosdam huic ſcopo magis aptos jam recenſendos. Itaque de febribus continuis ita ſtatuo: Indicationes primariæ ſunt (1.) *Efferveſcentia humorum ſedanda:* (2.) *Æſtus compeſcendus.* Primum ſcopum duplici ratione attingimus, & quidem *Venæſectione*, quâ tantiſper utemur, dum *Helmontiani* arcana ſua nobis aperiant; hæc adminiſtranda ab initio, inque ſucculentis larga vel duplex : poſteà *medicamentis ſedativis demulcentibus*, qualia ſunt blandè adſtringentia , & abſorbentia , ut *Spec. Diacret. Pulv. Hepat. r. abſorb. Wedel. Cinnabarina, Martialia, Lap. hæmat.* &c. Ego tali pulvere uti ſoleo: ℞. *Spec. Diacret. Mynſ.*

(quæ

(quæ ſimul tonum ventriculi reſpiciunt) ℈j. *Vitrioli, Martis, Cinnab. nativ. āā. gr. v. Lap. Prunell.* ℈ß. *M. F. Pulv.* propinandus bis in die. Secundum ſcopum attingimus *humectantibus & refrigerantibus: decoctis variis cum ſero lactis, emulſionibus, papaveraceis, Sirupo de papav. ſimpl. cum Aqua Malv. hauſto* & ſimilibus, quin & *epicerasticis & incraſſantibus:* Obſtructioni medemur *largiori potatione;* ſiquidem ex ſola inteſtinorum ſiccitate dependet, quæ humectationem indicat, aut, ſi cedere nolit, *Clyſteribus ſimpliciſſimis, non omiſſis etiam convenientibus externis.* Et ſic dimiſſô *Excell. D. Kergero,* aliqua adhuc reſpondere cogimur egregio *Tackio,* qui in illuſtri tractatu *Chryſogoniæ animalis & mineralis,* Venæſectioni haut ſuave encomium occinit, cum *p.m.111.* ita loquitur: (1.) *Sinarum* populi in *Nanking* longè vivaciores nobis ſunt, & Medici ibidem Venæſectionem graviſſimum meritò autumant errorem; unde jejunio potiùs, aliisque refrigerantibus ſanguinem ad debitam temperiem reducunt, quàm ſanguinis depletione, dicuntque, non ideò, quòd ferveat in olla, effundendum juſculum, ſed, ſi compeſcere velis, ignem ſubducendum. Reſp. Iſti *Sinarum* populi, ut ſint nobis vivaciores, fortaſsè ipſorum diætæ magis, quàm intermiſſæ Venæſectioni adſcribendum. Simile juſculi in olla ferventis eôdem locô poni meretur, atque ſuperiùs *Helmontianum:* Ignem tam promtè ſanguini ſubducere non licet, affuſo refrigerio, ac ollæ; interim Patiens intereat, dum id fiat ſucceſſivè. Hodiè vix eſt Regio ſuper Terram, quantumvis barbara, quæ Venæſectionem non adminiſtret; hinc una *Sinarum Regio* nobis (liceat hoc uti verbô) non præjudicat; quamvis nec *Sinos* hanc omninò abhorrere infra probaturi ſimus ex *Itinerario Saarii.* In Regno *Tunquin* Venæſectionis uſum non eſſe, ceu mirabile quidpiam *Tavernier deſcript. illius Regni cap. 10.* notat, quod non facturus erat Ulyſſes ille Gallicus, ſi eam plures Orientales plagæ reſpuerent. (2.) Sanguis eſt humor ille, in quo defertur Spiritus vitalis. Concedo: Sed hìc unà cum ſanguine poteſt

peccare copia, & efferari quoque, hinc ſubducendum nonnihil. (3.) Ante inventam phlebotomiam per aliquot mille annos homines ſalubriori conſtitutione vitam exegerunt, noſtrâque ætate ruſtici & *Weſtphali* vitam, ad cervorum pænè ætatem vegeti prorogant: Noti ſunt mihi (*Tackio*) ætatis decrepitæ ſenes octuagenarii & ultra, qui nunquam Venæſectione uſi ſunt, vegetiores aliis quinquagenariis, eò quòd vitales ſpiritus non minuerint, calidumque innatum & humidum radicale unà cum ſanguine non emiſerint. Reſp. Sunt fallaciæ ſecundùm non cauſſam ut cauſſam: Ante aliquot millenarios tantus non erat hominum luxus, hinc illi vivaciores, diſtinguendum itaque inter tunc & nunc. Plurium medicaminum apud Veteres non erat uſus, quæ hodiè ſaluberrima experimur, cujus cauſſa moderni feliciores eramus prædicandi. Ruſtici noſtrates, tantum abeſt, ut Venæſectionem negligant, ut potiùs ſui ſint ſanguinis plus ſatis prodigi, nihilominùs infumatis illis *Weſtphalis* vivaces, quos venam non ſecare in dubio relinquo. Sint octuagenarii Venæſectionis contemtores quinquagenariis vegetiores, ego in contrarium producere poſſim exempla octuagenariorum, qui Venæſectione in ipſa hac provecta ætate maximô ſuô commodô uterentur. (4.) Hippopotamus, unicum animal, nos Venæſectionem docuit, cùm alia hoc animante vegetiora dentur animalia, ſanguinem non profundentia. Reſp. Ibis Ægyptiaca Clyſteres monſtravit, quæ non propterea deterioris ſunt conditionis, licèt aliæ aves Guttur inferius hâc methodô non eluant. (5.) Vitis aliæque arbores, ad radices vulneratæ, emiſsô ſuccô in Naturam ſuam convertendo, multum deperdunt. Reſp. Radix eſt cor arboris; nemo cor vulnerat, ut inde ſanguinem educat; rami ſauciati nil incommodi arboribus adferunt: præciduntur vites, ne ſuccus luxurians officiat fructui, quod argumentum pro nobis militat. Vid. quæ ſupra paullò de arborum Venæſectione ſunt dicta. Poſtremò, quum *G. Hornius in ſua Arcæ Moſis præfatione* dicit: Vires humanas male-

maledictâ Venæſectione & adhuc peſtilentiori purgatione exhauriri, eam ego quidem opinionem longè peſtilentiſſimam cenſeo. Quidquid ſit, ut maximè nullâ ratione Venæſectionis uſus probari poſſet, experientia tamen totô die reclamat, quæ melior eſt mille rationibus. Quot apoplectici, quot catarrhis ſuffocativis enecandi, quot ex aſthmate ſuffocandi, quot hæmorrhagiis nimiis per nares, hæmorrhoides, uterum, plagas interimendi, longè ſaluberrimam Venæſectionis opem ſenſerunt? Hanc, quoties in uteri hæmorrhagia, lochiisque ad exanimationem usque profluentibus, inſigni cum ſucceſſu, adminiſtravit ſummus noſter *Aretæus*, cujus *in Dec. II. Cent. I.* obſervationes utiliſſimæ proſtant? In febribus malignis, petechialibus, præteritâ hyeme graſſantibus, qui ab initio & maturè Venæſectione eſſent uſi, nulli periêre, reliqui verò ſanis urinâ & pulſibus, propemodùm omnes. Profectò, ſi nulla ſupereſſet ratio, fidem mihi tamen, ratione potior, experientia faceret. Hinc laniones & ſanguiſugæ non ſunt, qui Venæſectionibus utuntur moderatè; qui ſecùs paſſim, ſine urgente neceſſitate, venas exhauriunt ad libras & animi deliquium, ii quidem & mihi culpantur. Ergo demonſtravimus: *Venam eſſe ſecandam.*

II. In quæſtione, *Cui?* breviores erimus, ubi primò *Ætas* occurrit, &, quum formidetur Venæſectio in minoribus 13. annis & majoribus 60. illicò hîc occurrit quæſtio, *num & infantibus & pueris vena ſit aperienda?* Inclinat *Excell. Fr. Hofmannus l.c.* in ſequiorem partem: Huic autem meritò rationem, quam ille mox in adferenda ſenum, etiam decrepitorum, Venæſectione attulit, oppono, & hæc eſt: Si graves & acutos morbos poſſunt experiri ſenes, omninò etiam illorum remedia ferre poſſunt: quidni hoc etiam ad infantes & pueros applicari queat? Venæſectio itaque prudenter adhibita, in tenella iſta ætate nil formidanda, cùm & hæc ſanguineis fermentationibus ſit ſubjecta; ubi proinde indicatio, ibi & indicatum, cùm, præter metum, contraindicans nihil videam.

deam. Immò cùm refractarii ſint plurimùm pueri in ſorbendis pharmacis, Venæſectione præſentius utemur, ut tamen id fiat prudenter. Quum examen *Altdorfii* ſuſtinerem, *Exc. Maur. Hofmannus* inter alia quæſivit: quid eſſem facturus, ubi infantem profuſione ſanguinis opus habere cernerem? Quam ipſe quæſtionem ita ſolvit: *Naſi radicem eſſe millefolio recenti fricandam, &, vi hæmagogâ, ſecuturam hæmorrhagiam:* ergo nonnunquam opus habent ſanguinis miſſione infantes. Fatendum eſt in noſtris urbibus cautè procedendum, eò quòd res ſit hactenus inſueta, venas infantibus pertundere, quod ſi fieret inauſpicatò, in Medicum faba cuderetur. De ſenibus hodiè nemo dubitat, progredior itaque ad *ſexum*. Occurrunt hîc *gravidæ, num & quando miſſione ſanguinis indigeant?* Hîc iterum videatur *Fr. Hofmannus* controverſiam hanc doctè dirimens, quibus inſuper hoc addo: (1.) In plethoricis utique venam eſſe tundendam, nec id aliquando ſemel ſufficere, ſed opus eſſe, ut ſub terminum partûs iteretur. (2.) In iis, quæ menſtrua poſt conceptionem patiuntur, quales dantur complures, & quidem copia ſat larga, neceſſariam eſſe primis menſibus Venæſectionem. (3.) In iis, quæ appropinquante menſium fluxu concipiunt. Hîc per tranſennam quaſi noto, mulieres aliquas interdum totô gravidationis tempore, vivere ſaniſſimas, nil paſſas aut vomitionis, aut proſtrati appetitûs, aut aliorum ſymptomatum, gravidis alioqui negotium faceſſentium, easdemque mulieres, ſecundâ, tertiâ vice concipientes his malis plus ſatis affligi: Rationem eſſe hanc arbitror: Mulieres, quæ aut inſtantibus menſibus, aut iis ſuppreſſis, inſuper concipiunt, à motu ſanguinis inhibito, per totum gravidationis tempus, longè pejus illis habere, quæ ſtatim poſt menſium fluxum concipiunt. Illæ igitur primis ſtatim à conceptione menſibus Venæſectione ſummoperè videntur opus habere, nimirum, ut alia, ſanguini circa uterum ſtagnanti, porta aperiatur. Nobilis Matrona in vicinia aliquoties abortum eſt paſſa, cùm impprægnata denuò Venæſe-

ctione

ction uteretur, fœtum eſt enixa vegetum. In feminis debilibus, laxis, ſeroſis, tenuibus, præſtat illam omittere, quàm celebrare, ut enim in prioribus præcavetur abortus, ita in his promovetur. Eleganter in hanc rem commentatur *Excell. D.Bruno in Jeſſen. de judicio ſanguinis è Venâ ſectâ miſſi, p. 154. ſ.* In quibus autem affectibus tundenda ſit Vena rurſum *Fr. Hofmannus loc. ſæpè cit.* docet, ubi monendum nihil habeo, niſi quòd in genere morbis ſanguineis, ſulphureis &c. conveniat, minùs morbis ſeroſis, in quibus ſæpè repetita Venæſectio ad hydropem diſponit.

III. Progreſſum facimus ad quæſtionem *quomodo? quibus è venis & quibus inſtrumentis.* Conſideremus primùm, curioſitatis gratiâ, nationes quasdam exteras: *Jac. Sponius Itin. ſui curioſi l. 4. p. 94.* depingit inſtrumentum phlebotomis Græcis uſuale, quod inſtar teli cum arcu ex oſſibus balænæ fabrefactô per ſyringam exploditur, quaſi certiſſimâ & utiliſſimâ encheireſi, in venam. Ibidem addit, in *Alepenſi* diſtrictu Turcas lanceolæ locô, uti fruſtô vitri acuato (geſchliffen) & cum ſmirite præparatô. Alius eſt modus & nobis vix imitandus, *Chinenſium in Batavia Javana*, de quo *Saar Itin. Ind. Orient. cap. 2. p. 24.* Quum ægrotare *Chinenſes* occipiunt, eorumq; Medici, (Viri experientiâ commendabiles) Venæſectionem ſuadent, prehenſi hominis & ligati collum faſciâ conſtringunt, & pronum concutiunt, quaſi ſuffocaturi, ut tota facies, turgente in venis ſanguine liveſcat, hinc venam frontalem gladiolô incidunt, impoſitô deſuper bombacinô ſpleniô, vulnus deligant; quamvis eorum plures etiam brachiales venas, idque unô ſæpiùs annô, aperiant. In noſtris regionibus utimur inſtrumentô duplici, quorum alterum communiter vocatur *ferrum venæſectorium* (ein Laßeiſen/) quod rurſum duplici modô applicatur, vel enim unâ manu prehensô, & acie venæ applicata, alterâ manu talitrum impingunt, vel baliſtæ applicatum (einem Schnäpperlein) in venam, quaſi ſclopum, explodunt. Tutior & præſentior eſt *gladiolus vel lanceola,* quâ

quâ quippe mediante, dum alterâ quaſi manu venam, ne ictum ſcalpelli ſubterfugiat, comprendere licet, tutiſſimè eam ſcindimus. Verùm Ruſtici noſtrates malunt uti priori inſtrumentô, ut cui ſunt magis adſueti, quàm lanceolâ, à quâ malè ſibi metuunt: Novi Cheirurgum noviter ex peregrinatione reverſum, qui lanceolâ utens, ſuos, ne redirent, abſterruit; cùm alter alterum dehortaretur, ne huic novitio ſe crederet, ut qui venas cultrô plicatili (mit einem Taſchenmeſſer) dividere conſueſſet. Sed nec taceo, ridiculam me Venæſectionem in Ruſtico prope *Lipſiam* obſervâſſe, qui ſumtuum ſcilicet facturus compendium, ipſi ſibi venam pedis pertundere ſuſtinuit; at malum ſibi, veluti turdus, cacavit: Subulam enim venæ applicans, adactô deſuper malleô, totum pedem, imminente jam gangrænâ, pertudit. Nunc *venarum delectus* excutiendus, quem verbis non meis, ſed *Cl. Hornii in Microtechnes p. 210.* definiam: Cùm *Anglorum Herophilo* ſtatuamus, nullum eſſe venarum, ſibi invicem proximè adſitarum delectum habendum, cùm promiſcuè hauriant liquorem è communi arteriâ: Sed, ſi quis venam parti affectæ proximam invenire poſſet, operam in ſecando non luderet. Nimium ſuperſtitioſi ſunt, noſtrates etiam Cheirurgi & Balneatores, in delectu venarum. Hinc, ubi poſt Venæſectionem non ſatis benè habent, cauſſantur venam affectui minùs accommodam eſſe pertuſam. Sic Tinctor noſter, ſalutis ſibi proram in ſalvatellæ vulnere ſitam firmiter perſuaſus erat. Sed, numquid non venarum delectus hâc ipsâ Tinctoris obſervatione probatur? Cur ſanguis è brachii ſiniſtri venâ guttatim exſtillans floridus fuit, minimè ſeroſus, alter è dextrô brachiô prorumpens ferè nil niſi ſerum? cùm tamen ejusdem horæ quadrante pertunderentur ambæ? Cheirurgus, cùm hoc vidiſſet, ego, inquit, in eâ fui, cum modernis, opinione, ſanguinem in omnibus venis eſſe eundem, nec propterea ullum harum delectum habendum, ſed, hâc obſervatione victus, antiquorum ſtationi rurſum accedere cogor: ſubridens

dens ego, longè diverſum ſenſi. Ita nempe ſeſe res habet: Serum in hoc Tinctore perquam erat viſcidum & glutinoſum (id quod ex aliis Venæſectionibus concretô ſanguine comparuit, quin eventus oſtendit, quum hôc annô interiret aſcitico-tympaniticus) ob callum autem violatæ ſæpiùs venæ (quod octies interdum unô in annô, & me & Cheirurgo, diſſuadentibus, factum) grande ſatis vulnus fieri non potuit, hinc relictô ſerô viſcidô, guttatim ſolus exſtillavit ſanguis, adeò floridiſſimus, ſerôque ſuô viduatus: In altero brachio cutis, quæ nondum occalluerat, latiorem plagam admiſit, è quâ, cum ſanguine, ſerum absque remora profluens, aliam longè concreto cruori faciem induit. Sanguinem autem ſolum, ſine comite ſero, poſſe per venarum aperturas anguſtiores exſtillare, docent & ſcarificationes, & narium hæmorrhagiæ, & leves artuum inciſiones, ut quorum concretus ſanguis, parum ſeri aut nihil exhibet, eò quòd venarum apertura, capillarium ſero, etiam fluidiori, exitum non concedat. In prælargis hæmorrhagiis denique effluxo ſanguini ſerum ſuccedit, unde propè colligitur, magnam eſſe ſeri dignitatem, cùm vivere queant exhauſto, pænè ad guttam, omni ſanguine. Confer, quæ *Ann. II. Dec. II. Obſervat. 154.* in hanc vel analogam ſententiam commentatus ſum. Mirum ſanè fuit, hujus Tinctoris ſanguinem ferè nil niſi ſerum exſtitiſſe, & quidem tam promtè coagulabile; id quod Venæſectiones pedum docuêre, ubi aqua, in ferè inſtanti, non niſi carnis loturam referebat, reliqua erant gelatina. Hydropem autem ſibi, non parum, iteratis toties in corpore pituitoſo ſanguinis miſſionibus, acceleraſſe hunc virum, nemo facilè negaverit. Aliam rationem qui comminiſci poteſt, ei quidem lubens auſcultabor, hanc, quam protuli, hactenus crediturus. Hinc memorata Tinctoris Venæſectio antiquum venarum delectum non aſſerit. In pleuritide profecto delectum eſſe nihili *Dominicanus Frater Americanæ regionis Pariæ* teſtatum facit, de cujus ſalute, cùm deſperâſſet Medicus, quòd vena, quam exoptabat, re-

reperiri non poſſet, veſpertilio vernacula (dantur autem ibi columbis majores) noctu advolans, partem pedis nudam morſu petiit, & tantum inde ſanguinis exſuxit, quantum pro reſtituendo bonô Fratre ſufficeret, referente *ex Gomara Franciſci*, im Blumenbuſche *l. 1 cap. 9.*

IV. Sed *quantum ſanguinis eſt emittendum?* Quæſtio hæc definitur utraque, *continuâ ſcilicet & diſcretâ quantitate.* Illam quod attinet, peccatur heic in exceſſu & defectu: In exceſſu mihi peccare videntur, qui, antiquorum more, adhuc hodienum, *ad animi usque deliquium*, ſanguinem exhauriunt, & hos verè *Excell. Kergerus laniones & ſanguiſugas* nuncupâvit. Non enim tantum corpus unà vice vitali theſaurô depauperatur, ſed inſuper periculoſum eſt, tot evocare ſimul ſpiritus, qui magna copia cum ſanguine, libertatis amatores, erumpunt. Quemadmodum enim, *Hippocratis* elogiô, *Sect. 6. Aph. 27.* quicunque empyrici aut hydropici uruntur aut ſecantur, ſi pus aut aqua univerſim effluxerit, omninò moriuntur: Ita ſani eſſe non poſſunt, qui tantum ſanguinis unà vice profundunt, par enim utrorumque eſt ratio, ſcilicet ſpirituum ſimultanea diſſipatio, quæ homines debilitat, viſcerum tonum laxat, ſenſus torpere facit, ad cachexiam & hydropem diſponit. Errant itaque ſæpenumero Raſores noſtri, quum tamdiu ſanguinem effluere patiuntur, donec floridior colore atque dilutior exeat. Præſtat repetitis vicibus, ubi opus eſt, mittere ſanguinem, quam eâdem vice nimium exhaurire. Hîc autem rurſum diſtinguendæ ſunt complexiones & climata: Sic in locis calidioribus faciliùs ferunt, minùs in Septentrionalioribus. *In defectu peccant*, qui ſunt adeò meticuloſi, ut vix ℥ß. vel ℥j. mittant, in ſubjectis etiam ſat robuſtis. Ad quid enim conducant tantillæ ſanguinis guttulæ? movere hoc eſt, non promovere. *Quantitatem diſcretam* quod concernit, rurſum in exceſſu & defectu hîc peccatur. *In exceſſu*, ubi, animi ferè gratia, quod Ruſtici noſtrates, immò & Opifices, cum uxoribus & familia, ſolent, ſcilicet ut otiari & lur-

cari

cari liceat, non ſemel in anno, non bis, ſed ſexies & ultra venas pertundunt, ipſorum quidem barbitonſorum conſiliô, quô ſibi magis lucroque ſuo, quàm proximo, conſulunt. Item, qui toties in uno morbo cruorem proliciunt, quod intra biduum vel decies Galli & Itali faciunt. Vel qui nunc binas, nunc tres venas ſimul aperiri volunt, ſcilicet, ut confuſiſſimus inde reddatur ſanguinis motus. In *Franconia* Ruſticorum ferè nemo ſolum ſibi brachium ſauciari cupit, ſed plerumque unà ſaphænam pedis. In *Noſocomio Goæ*, *Indiæ Orientalis Colonia*, certô morbi genere correptis vel trigeſies aut quadragies mittunt ſanguinem, usque dum ſanioſus profluere deſinat, quô ſcaturiente floridô nec purulentô ægri convaleſcunt, quod ipſi *Tavernierio*, cùm *Surattæ* degeret, contigit: vid. *ejus Itin. Ind. l. 1. cap. 13.* In genere autem Suevi noſtri & Francones non putant, ſe per annum victuros, niſi bis ad minimum, vere ſcilicet atque auctumnô ſanguinem ſudent, qui grandis mihi, extra neceſſitatis caſum, Venæſectionis abuſus jure cenſetur. *In defectu* Plethorici peccant, qui nimis meticuloſi tantum per annum id ſemel concedunt, cùm vel quatuor vices interdum non ſuffecerint. Hæc autem omnia non à barbitonſorum, ſed Phyſicorum arbitriô pendeant. Sed ſurdis fabulam!

V. *Quando vena eſt ſecanda?* Reſp. Si indicatio eſt curatoria, pro neceſſitatis gradu vel ipſa noctis meridie operatio eſt adminiſtranda; ſin præſervatoria, præſtat, omnium Medicorum elogiô, primô vernum, hinc autumnale tempus, in ſanguineis temperaturis decreſcente, in ſeroſis creſcente Lunâ, non in ipſa quadratura, poſthabitis aliis adſpectibus, aut ridicula vulgi tabula, ſeſquihora circiter ante prandium, die ſerenô. Quos Planetarum reliqui aſpectus, aut etiam Zodiaci ſigna juvant, adeant *Excell. Fr. Hofmannum loc. ſæpè cit.* Ego parum illis tribuere ſoleo, ut ingenuè fatear, vel, quòd reverà ſint illi influxus imaginarii, vel, quòd non ſatis hanc rem intelligam. In *Feſto S. Stephani* ſuperſtitioſè ſatis equis

vena ſecatur, ſed, quid hæc ad hominem? Illud verò magis olet ſuperſtitionem, quod *Buxtorfius* ex *Thalmudo* refert, *Synag. cap. 15. p. 353*, quum infit: Regula Medicinalis Thalmudica eſt: Illô die, qui nebuloſus eſt, & illô, quô ſubſolanus flat, neque eſt circumciſio, neque Venæſectio adminiſtranda: Volunt igitur Judæi ad hanc operationem exſpectandum eſſe boream, cùm, eô non ſpirante, vulnera omnia magis periculoſa deprehendantur. Iidem Judæi *veſpere Pentecoſtes* Venæſectione non utuntur, etenim & in *Thalmudo* & *Mirrhagim* ſuô ſcribunt, quòd Feſti hujus tempore veſpertinô, ventus quidam & noxius & malus *Fabhoach*, latro vel excoriator appellatus, ſpiraverit, qui populum Iſraëliticum univerſum perimere debuerit, ſi legem, quam DEUS illi die proximô dederat, animô lubenti promtoque ſuſcipere noluiſſent.

Ut denique videamus, quid ſibi lacteum noſtri Senatoris velit ſerum, primô intuitu mihi ventriculum fuiſſe vehementer ſuſpectum, nec adeò felix prognoſticum, fateor. Sed penſitatis accuratè omnibus circumſtantiis, metum inanem depoſui, præcipuè, cùm *Immortalis Ettmülleri* ſcripta volutâſſem, qui in *Collegii Pract. MSti. cap. 15. de obeſitate* ita: Cauſſa proxima obeſitatis eſt ſuccus nutritius copioſus, laudabilis & pinguis, ad quem, tanquam cauſſæ remotæ, efficiendum concurrunt, adſumta naturæ temperatæ, & copioſum pinguemque chylum miniſtrantia, ut *paſſulæ, lacticinia, amygdalæ dulces* &c. laudabile ventriculi fermentum, vita curis & meditationibus libera, tranquilla & ſine exercitiis corporis. Abundare verò in corpulentis hominibus ejusmodi ſuccum nutritium pinguem, inde probari poteſt, *quòd ſerum in illorum ſanguine emiſſò lacteum quaſi appareat, & idem à ſanguine decantatum, ex inſtillato Spiritu Nitri totum inſtar caſei liquidioris coaguletur*, quòd ſcilicet nil aliud ſit, quàm chylus, ſanguini nondum aſſimilatus. Hinc in cura, inter alia, *chalybeata, diuretica, tartarea, etiam acida crebriùs* aſſumta, ut *oxymel* &c.

com-

commendantur. Hucusq; adcuratiſſimus *Ettmüllerus*. Quid etiam *acida Göppingenſes* in noſtro præſtiterint, ex hiſtoria pateſcit, cui & hoc addendum erat, quòd ejus urina ſemper in ſuperficie cuticulâ pingui, citra ullam noxam ſit obducta. Mentionem quidem Amicus noſter inſignis *D. D. Gründelius*, tum in *Ephem. Curioſ. Dec. II. Ann. IV. Obſerv. 165. & Roitſchocrenes elegantiſſimæ cap. 47. p. 255. ſ.* hiſtoriæ parallelæ fecit. Sed, quum inclinârit ille vir ad hecticam & atrophiam, noſter autem ſit pinguis & ſucculentus, hæc diversè judicari debent. Quæ autem ad *Appendicem breviar. rer. memorab. noſter Arion obſerv. 7. p. 191.* retulit, ea non ſerum lacteum, ſed ſanguinis locô lac merum loquuntur, cujus judicium ſuper ea hiſtoria eſt adcuratum. In ſcarificatione cutis eſt alia longè res, ſiquidem ibi ferè in habitioribus guttæ quædam lacteæ ſanguini frigefacto innatant, quæ, meô quidem judiciô, ſunt particulæ pinguedinis in hominibus proximè ſub cute coëxtenſæ, quæ à calore liquatæ unà cum ſanguine extrahuntur, & frigore condenſantur in quandam albedinem; ſicut & juſcula carnis propterea oculata dicuntur, quòd pinguedo innatans, cùm aqua ægrè miſcibilis, guttarum forma fluctuet, quæ guttæ, frigefactô juſculô, cùm condenſantur, albeſcunt.

Poſſent equidem è noſtra hiſtoria quæſtiones curioſæ plures elici: e. g. *De judicio ſiniſtro Cheirurgorum de Sanguine per Venam ſectam educto: De uſu balnearum Bollenſium: De noxa Venæſectionis in diſpoſitione hydropica: De maleficio Medicaſtrorum Carnificum: De noxa purgantium δραστικῶν in hydrope: De uſu ſeri alimentariô: De uſu acidularum Göppingenſium; item plura circa Venæſectionem notabilia.* Sed ne in tractatum excreſcat obſervatio, filum abrumpens, heic pedem ſiſto, non quòd ultra progredi non liceat, ſed quòd non libeat.

Circa Urinas ſanorum ſimiles, in febribus malignis, petechialibus, Notabilia quædam.

EST hæc Sententia, cui multis modis contradicitur, etiam à Practicis magni Nominis, quorum aliquos aut nominare, aut eorum rationes refellere, quam iis debeo, reverentia prohibet. Sufficit, non me aut alios, ſed ipſammet experientiam, omni exceptione majorem, contrarium totô die docere. Sub finem Anni 1685. & initium Anni 1686. in hac noſtra *Rhætia*, eheu! plus ſatis, & noſtro cum damno harum urinarum malitiam ſumus experti, quidpe febres malignæ petechiales, eam tunc populantes, ubi ſanam urinam ſanumque pulſum exhiberent, utplurimùm de medicaminibus, etiam generoſisſimis victoriam reportârunt. Immò, quò propius ad ſanitatem urina pulſusque accederent, eò propior interitus triſte Medicos prognoſticon docebat. Sic, quem *Ephemer. Anni IV. Dec. II. Obſerv. 156. Speciebus diacretæ* liberatum à ſingultu, malignæ febris ſymptomate ſcripſeram, eundem ob diætæ vitia in recidivam prolapſum, urinâ pulſuque bonis interiſſe indicavi. Fateor ego, me, antequam hîs meis oculis urinas ejusmodi, plus vice ſimplici, eſſem intuitus, vix potuiſſe capere, quô pactô ſuccumbens malignitati Natura, munia, integræ ſanitatis æmula, poſſet exſequi. Sed poſtquam intenſiùs in urinam naturalem in ſua κύςει geneſin inſpexi, rationes quoque haut leviculas eruiſſe me mihi viſus ſum, quæ modum harum generandarum declararent. Sunt autem anni propè duodecim, ex quo cœpi ſubſtantiam veſicæ & uſum, ex intimioribus Naturæ penetralibus eruere, & *Urocyſtologiam* quandam conſcribere, quæ adhuc inter meas quieſcit ſchedas, indigna, quæ lucem adeat. Non autem credo, quemquam Noſtrorum offenſum iri, ſi, quod ibi ſum de urinæ geneſi commentus, heic ſummatim complectar, exſpectaturus Excell. Dn. Collegarum judicia, ſi fortè dignam cenſeant *Urocyſtologiam*, quæ propaletur.

Parec-

Parecbaſis de Urinæ generatione.

V*Eſicam urinariam voco viſcus membranaceo glanduloſum, pyriforme, in infima abdominis regione, inter inguina ſitum, urinæ, fermentationis ope generandæ, &, quoad excernatur, adſervandæ dicatum.* Voco eam *Viſcus*, quòd, commentante *Servio ad lib. 1. Æneid. verſ. 215.* viſcera non tantùm dicantur inteſtina, ſed, *quidquid ſub corio eſt;* immò viſceris nimis ſtricta Anatomicorum definitio, vix ipſi cerebro competat. Subſtantiam agnoſcit ventriculi & veſicæ felleæ planè ſimilem, tunicaque triplici, extimâ, mediâ, & intimâ, gaudet. *Extima* ſit nobis epidermis veſicæ, tota membranoſa, tenuis, denſa, valida, à media, niſi vi, non ſeparabilis. Hanc à peritonæo natam, qui volet, credat; ego novi, viſcera iſta omnia generari vel formari à Natura ante formatum peritonæum, & propterea hanc ſententiam communem Anatomicorum vix poſſe ſtare judico. *Media* non eſt muſculus, quod quibusdam videtur, ſed tota eſt glanduloſa. Fibræ, aliis putatæ, mihi ſunt arteriolarum venularumque in glandularum acinos radicata capillamenta. Sunt iſtæ glandulæ innumeræ ſeminum ad inſtar milii, cavernulis quibusdam, atque columnis, inſtar columnarum cordis, diſtinctæ, tum maximè conſpectui ſe præbentes, quando veſica parum inflata, per maximum arteriæ hypogaſtricæ in veſicam implantatæ ramum, liquor aliquis coloratus ſiphone injicitur, tinguntur enim injectô liquore, qui, ſi fuerit ſubflavi coloris, jurares, te milii grana mera conſpicari. In veſica cocta, tum tunicæ melius ſeparari, tum iſtæ glandulæ miliares exactius oculis uſurpari poſſunt. Eadem eſt ventriculi veſicæque bilariæ ſubſtantia, circa illam vid. *Cornel. Conſentinum Progymn. Phyſ. 6. p. m. 233.* circa hanc *Svvammerdam. de reſpirat. p. 89.* quos utrosque vera ſcripſiſſe me docuerunt experimenta. *Intima* tunica rurſum eſt membranoſa, tenuiſſima, ægrè ſeparabilis, minutiſſimis fibrillis intertexta, foraminu-

minulis innumeris pertuſa, per quæ liquori, in mediæ tunicæ glandulis generato, in veſicæ cavitatem introitus concedatur. Hanc excipit *periſtroma ſeu mucago*, per omnem internam veſicæ ſuperficiem extenſa, qualis etiam reperitur in interiori & inteſtinorum & ventriculi & veſicæ felleæ ſubſtantia. Exterius, cumprimis ad cervicem, eſt *copioſa pinguedo*, matrem agnoſcens ſulphuream oleoſam urinæ & vaſorum ſanguiferorum exhalationem, in corpus pingue condenſatam, ad modum, quô flores lactis ab hoc ſeparantur, aut aphronitrum parietibus uvidis affigitur. Vaſa contigere quintuplicia. (1.) *Venæ ab hypogaſtricis*, quæ, ubi veſicam adierunt, in innumera capillamenta, ſub ejus extima tunica, ramificantur, injecta in vivis ligatura conſpicua. (2.) *Arteriæ rurſum ab hypogaſtricis*, eôdem modô ſub extima tunica diſſeminatæ, & glandularum veſicalium acinis implantatæ, eâdem ligaturâ conſpicuæ. (3.) *Nervi*, tum à ſexto pari, tum oſſe ſacrô numeroſiſſimi. (4.) *Vaſa lymphatica*, tunc equidem, ubi in vivi animalis ſectione vaſorum omnium trunci ligantur, intumeſcentia, & tranſparente cryſtallinô humore internoſcenda: quæ vaſa pleraque, ob neglectam olim vivorum ſectionem, pro fibris habita. (5.) *Quintum vaſorum genus ureteres conſtituunt*: circa horum ſubſtantiam mihi nihil eſt controverſiæ: videantur, quæ habet *Illuſtr. Borrichius Anat. Med. Hafn. volum. I. obſerv. 54.* *Arteriæ umbilicales* & *Urachus* ad inſtitutum noſtrum nihil faciunt. Hæc urinariæ veſicæ ſtructura, alium mihi uſum, quàm qui eſt hucusque creditus, perſuadet, præſertim, cùm urinam, qualis quidem excernitur, à renibus ſegregari poſſe, multa prohibere videantur, petita, tum ab incongrua renum fabrica, de qua perdoctè *Laur. Bellinus*, tum ipſis urinæ contentis variis. Elementa verò urinæ manuducens *B. Mœbius*, talia nobis exhibuit: Prodit in urinæ deſtillatione materia (1.) *ſeroſa ſeu aquoſa multa*, particulis quibusdam ſulphureis & ſalinis miſta. (2.) *Spiritus vinoſus* ſeu auſterus, ſubtiliſſimus, in parca quantitate. (3.) *Aqua*

impenſè

impenſè penetrans, vulgo *Spiritus urinæ vocata*, Sali volatili duplici, acidô altero, alterô lixiviô ebria. In fundo Cucurbitæ Tartarus remanet nigricans & ſubpinguis, qui ſub Vulcani quæſtionem datus, præbet (4.) *Oleum ſulphureum*. Terra verò reſidua albicans, monſtrat (5.) *Sal fixum*, quô elixiviato remanet (6.) *Caput mortuum inutile*. Liquorem ejusmodi contentis prægnantem & prorſus heterogeneum, renes à ſanguine ſeparare non poſſunt, neque per modum (α) *Colationis*, quia, detectâ per *Bellinum* vera renum ſubſtantiâ, cadit *benedictum* illud *cribrum*, foraminulis, ceu hyperici folia, pertuſum, & per conſequens ipſa tralatitia transcolatio; ut taceam, ea tantùm transcolari poſſe, quorum particulæ ſunt confuſæ tantùm, non intimè miſtæ: ſic enim Salia filtrum non tranſirent, quod falſum: ſunt autem, quæ ſuprà memoravimus, non confuſa ſanguini & urinæ, ſed intimiùs miſta, hinc ſecretionis alia ratio comminiſcenda, quàm ea, quæ eſt Colatio. Vid. *Sennert. de febb. l.2. cap.7. p.115.* Neque (β) *Coctionis*, quæ cavitatem ſufficientem requirit, renibus à Natura vix ad capacitatem unius fabæ conceſſam; quin & urinæ ſecretio eſt actio continua, certo tempori non alligata, qualis eſt coctio, ſolius caloris opus. Quum aliqui dicunt, *peculiari modô* heic renes *coquere*, eô ipsô modum ſecretionis ſemet ignorare fatentur. Quorſum etiam ſpectat (γ) *peculiaris renum vis attractiva*, accensâ face hodiernâ fortè nemini credibilis. (δ) Fallitur autem *Hoboken. Cogn. Med. Phyſiol. p.m. 258.* ubi modum ſecretionis per ſe ſatis inclareſcere putans, ejusdem ſemet penitùs conſiderationi ſubducit. (ε) *Sylvianus* modus per *præcipitationem*, eâdem ratione ruit, quâ Ipſe eſt uſus contra præcipitationem bilis in jecore, *diſp. 6. §. 22.* Nam in præcipitatione requiritur, primò, liquor particulis heterogeneis conſtans, dein fermentum aliquod præcipitans: Hic autem, ut prior liquor heterogeneus in ſanguine exiſtat, alter tamen præcipitans

deficit. *Weslingio* enim, in renibus ſuccenturiatis illum quærenti, non credimus. Vid. *Bellin. loc. cit.* Cum *irradiatione* & *odore fermenti Helmontiano* (cui tamen, acutus cætera, *Tackius phaſ. 2. pag. 13. 14.* adſtipulari videtur) mihi prorſus nihil eſt negotii. (ζ) Ipſum autem *Bellinum loc. cit. Carteſiana mollecularis hypotheſis, à Borello* hauſta, parum juvat, quâ ſtatuitur, ſeparari à ſanguine arterioſo urinam, ob mollecularum ſeu atomorum ſeri convenientiam, quam cum ſiphunculis renalibus habent; ſiquidem hoc de ſolo ſero, ſanguini non intimè miſto, concedimus, non de urina particulis multò magis heterogeneis, præ ſero ſalſidulo, prædita. (η) Per *Deſtillationem* urinæ in renibus à ſanguine non ſeparatur, quippe, quæ præſupponit & reſolutionem materiæ deſtillandæ in vapores, & medium frigidum, per quod denuò vapores condenſari debent, quorum hic neutrum viſitur. Non igitur ſupereſt ullus modus, niſi, qui fit per (θ) *Fermentationem*, ad quam (*a*) neque in renibus pro fermentali turgeſcentia ſpatium eſt liberum (*b*) nec tempus debitum ſeu mora (*c*) nec ullum fermentum, quod ſuprà demonſtratum. Quis ergò tandem eſt renum uſus? Reſp. Serum à ſanguine ſegregare, eumque à nimiis aquoſitatibus depurare. Modum docet *Bellinus.* Serum enim tam intimè ſanguini conjunctum non eſt, atque ſunt urinæ contenta, ideoque faciliùs eſt ſeparabile: nimirum eſt ὄχημα τῆς τροφῆς, vehiculum balſamici iſtius liquoris, qui in partium nutrimentum ceſſurus eſt, quod ſanguis è vena ſecta, ceu confuſum, non miſtum, brevi è complexibus dimittit. Alii renum uſus, ſi qui ſunt, nihil ad nos attinent, qui ſolam hîc quærimus inter ſerum & urinam, quæ ſunt diſparata, differentiam. Supereſt *urinæ ſolam & veram officinam, non eſſe renes, ſed veſicam, in qua fermentationis ope paratur.* E vaſis quintuplicibus ante memoratis, materiam pro generatione urinæ in veſicam inferri oportet: Venis & vaſis lymphaticis nil tale conceſſum, ſanguinis circulus probat,

bat, per quem hæ contenta ſua à circumferentia ad centrum, retrogrado motu, ducere, proinde non invehere, ſed evehere, conſtat. Superſunt itaque vaſorum tria genera, arteriæ puta, nervi & ureteres. De his, quandoquidem potiorem urinæ materiam advehunt, omnium primò ſciendum, eos non urinam ipſam, ſed ſerum ſanguinis (nullatenus vitioſum, niſi quod ſuperfluum) advehere. In brutorum ſectione renes & ureteres diſciſſi, nil urinoſi ſapiunt; In ſectione vivorum ligati ureteres, ſucceſſu temporis, ubi eis ligaturam intumeſcunt, humorem præbent, nec ſapore lixivioſô, nec aureo colore urinam referentem, ſed purum putum ſerum ſalſidulum, quale eſt ſanguinis omne ſerum, quos proinde ὠῤῥυτῆρες, quàm οὐρητῆρες vocari convenientius eſſet. Salſidulum dico, quia hoſpitatur in eo Sal lixivioſus volatilis, cujus ope ſanguis à coagulatione ſui redditur immunis, quemadmodum Spiritus lienis acidulus ſanguinem aliquô modô conſtringendo, à nimia fluiditate cohibet. Sanguis enim ratione partium oleoſarum, ſulphurearum & fibroſarum facilè coiret, nî Sal ſeri volatile coagulum impediret: *Sal quidpe eſt ſeri, ſulphur autem ſanguinis ſtrictè ſic dicti.* Sequuntur arteriæ, quas aliquid veſicæ invehere, nemo negârit, deſumta ratione ex multitudine arteriolarum veſicalium, quantô vaſorum apparatu exile viſcus & membraneum, pro ſui nutritione non indiget: Adferunt ergò ſuperfluum quid, quum earum capillamenta in glandularum veſicalium acinos implantantur, quod præter rem fieret, niſi illuc aliquid deportarent. Secetur canis vivus, arteriæ & nervi circa inſertionem ligentur, tota veſica exprimatur per urethram, elapsô temporis intervallô diſſecta veſica humorem exhibet, quem ſui parte maximâ ex arteriis hauſit: Injiciatur liquor cyaneus ſyringâ quâdam, & acini cœruleſcent. Immiſsô per tubulum flatu negotium non procedit, ſiquidem arteriæ non immediatè in veſicam exonerantur, ſed in acinos vel glandulas.

 Ve-

Vehunt igitur arteriæ. Sed quid? Partes ſanguinis acidiores, oleoſis ſulphureis mixtas, ſuperfluas nempe, è corpore eliminandas. Acidum occultum ineſſe ſanguini arterioſo, & quidem tantò magis, quantò magis eſt ſulphureus, ejus effuſi inſtantanea in grumos concretio, oſtiumque ab aneuriſmate propinquo caries demonſtrant, nec hodiè quisquam facilè negaverit. Neque enim id debet guſtu deprehendi. Vid. *S. Paulli Quadr. Bot. hiſtor. Chelidonii*, cujus decoctum à Sale ſuo volatili ſalſum redditur; item *Tack. Phaſ. 2. p. m. 21. ſeq.* Nec eſt arterioſo ſanguini nocivum, quia non manifeſtum, ſed aliis δυνάμει implicatum, huc refer decantatiſſimum *Hippocratis* locum de *vet. Medic.* Sed, quô pactô ſecernuntur iſtæ particulæ acidæ à ſanguine? Reſp. ope glandularum; ſiquidem omnis ſecretio, depuratioque ſucci, ſeu excrementitii, ſeu proficui, è ſanguinis maſſa, ſolis glandulis debetur, verè ſcribente *Malpigh. Tetrad. Epiſt. anat.* Glandulis autem miliaribus ſcatere mediam veſicæ tunicam, ſuprà probatum: Igitur hæ, quocumque demùm id modô fiat, fortè ob pororum, & atomorum ſymbolum, arterioſi ſanguinis acidiores particulas imbibunt, & ſegregant, ſanguine ab his liberatô per venas veſicales refluo. Nunc ad nervos, quorum notabilis copia, pro ſenſu & motu veſicæ, quô tantô viſcus membraneum opus non habet (cùm cordi & muſculis motu perpetuô occupatis, vix ùnus & alter nervus ſit datus) exuberat. Adferunt igitur, vel aufferunt. Aufferre nervorum motui contrarium. Ergò adferunt, (non ſuccum nutritium, quem in nervis nidulari, nondum mihi *Britanni* perſuaſerunt, tametſi ſpiritus animales ad nutritionem haut parùm conferre, characterizando quaſi ſuccum nutritium, cenſeam) quamvis fatear admodùm paucum, lympham, puta, ſuperfluam, Sale volatili turgidam, & Salivæ maximè æmulam. Ejusmodi lympham quoque nervos in maxillares glandulas pro augenda Salivæ materia, deponere, alibi probavi, qui lym-

pham, inter alios uſus, vehiculum ſpirituum animalium credo, cùm ferè contigua ſint nervis vaſa lymphatica, ut venæ arteriis, unde concludere liceat, quemadmodum arterioſus ſanguis, viribus exhauſtus, per venas refluit, ita ſpiritum animalem, poſt peracta ſui munia, in lympham quaſi fixatum, per vaſa lymphatica retrocedere. Sic nervos veſicales aliquid ſuperfluæ lymphæ, cum ſpiritu volatili, in veſicam deportare ſuſpicor, & ita ſemet exonerare, ne ſuperfluitas nimia naturæ moleſtiam creet. *Omnes enim humores in corpore ſano abundare, curioſè obſervandum,* quod inter alia probat ſanguis menſtruus, bilis in ſuo folliculo, ſemen in ſuis veſiculis &c. adſervata, prudenti naturæ conſiliô, ne ſcilicet in magnis conatibus, ubi copia humorum & ſpirituum abſumitur, penus illius exhauriatur. Ubi ſuperfluitatibus nulla data receptacula, ibi peculiaria vaſa id ipſum ſuperfluum revehunt, quod in venis & vaſis lymphaticis conſpicamur. Igitur accedit veſicæ per ureteres, cum ſero, Sal volatile lixivioſum, per arterias ſpiritus acidus, itidem ſatis copioſus, per nervos item ſpiritus volatilis in parca quantitate, qui eſt quaſi de natura armoniacali. Ex his in veſicæ εὐρυχωρίᾳ concurrentibus, accedente inſuper fermentô, non poteſt non blanda Naturæque amica oriri *effervescentia*, ſeu *fermentatio*, quæ mihi non, niſi ſecundùm magis & minùs differunt, cujus fuſiſſimam probationem alii loco reſervo. Et blanda quidem oritur, quò major eſt ſeri per ureteres advecti copia, cujus compedibus vincta Salia, non adeò usque tumultuantur, quàm ubi datur ea pura confundi. Hinc, ubi ſerum deficit, urinæ intenſiùs rubeſcunt, ut in febribus ardentibus, *in quibus proinde potum negare, eſt occidere.* Fermentationis autem veſicalis proceſſus talis eſt: Salis acidi volatilis arterioſi partes acuminatæ atque cubicæ, Salis volatilis lixivi ſeroſi & armoniacalis atomos concavas & fiſſas rodunt, hæ verò illas rurſus abſorbent, & tandem poſt mutuam actionem & reactio-

 nem,

nem, cum reliquis portionibus oleoſis & phlegmaticis abeunt in urinam, quæ magis de alkalium, quàm acidorum Natura eſt, quia particulæ lixivæ plures ad veſicam portantur, quàm acidæ: quemadmodum in ventriculo chylus (ſi talis nominandus) magis acorem, ob fermentum ſtomachale ſubacidum, ſpirare deprehendimus. Jam, inquis, Lector, quod ſi ſalinæ δυνάμεις ſuis vinculis ligatæ ſunt, quô pactô expediuntur, ut concurrere queant, & dimicare? Reſp. Eſt opus fermentô ſymbolicô. Ubi illud in veſica? Reſp. *Eſt periſtroma ſeu mucago interioribus veſicæ parietibus affixa.* Hanc enim à natura datam, ut veſicæ ſubſtantia ab urinæ contentæ acrimonia ne lædatur vel arrodatur, quis credat? Siquidem ejusmodi periſtroma, nec renibus nec ureteribus datum, quæ tamen juxta vulgarem, urinam & ſegregant & provehunt. Dicis urinam non ibi morari! Dicam ego, continuô affluxu moram illam compenſari.

Gutta cavat lapidem, non vi, ſed ſæpè cadendo.

Compactior eſt veſicæ ſubſtantia, quàm, ut arroſionem urinæ patiatur, quæ arefacta ſpiritibus acidiſſimis coërcendis par eſt. Quin urina eſt in ſuo loco natali, ubi non exſpectanda eroſio. Tithymali ſuccus cauſticus, plantam teneram non arrodit: Venena brutorum beſtias ſuas non interimunt: Coryza nares arrodit, locum peregrinum, natalia cerebri vaſcula non rodit: Oculus ex lacryma, licèt ſalſa, non dolet, *Helmont. teſte de febb. cap. 7. §. 8.* eſt enim oculo familiaris & cognata, ſimplex aqua, quin aliud quodlibet, oculo, ceu peregrina, moleſtiam afferunt. Sic urina ſalſa, veſicam non mordet, decocta blandiſſima per catheterem immiſſa, dolorem cient. Vid. *Tack. Phaſ. 2. p. m. 71.* In ſcorbuticis, & omnibus iis, in quibus ſerum nimiâ peccat acrimoniâ, urinæ ſubinde acerrimæ & lintea corrodentes, veſicam non lædunt, cum ſucceſſu temporis, mucaginem illam ſolvi neceſſe ſit, ſi urinæ acrimonia quocumque modô veſicæ moleſta ſit. Idem igitur eſt muca-

mucaginis veſicalis uſus, qui mucaginis ſtomachalis, inteſtinalis & veſiculæ felleæ, ſcilicet, ut, ceu fermentum, Salia urinæ implexa & impedita compedibus liberet, ut eò facilius congredi, & pugnam fermentationis inire queant. Notandum. quòd hæc mucago cum ſpiritu acido confuſa efferveſcat. Eſt itaque nihil aliud, quàm reliquiæ fermentationis veſicalis, quæ, utpote minùs cum reliquo urinoſo latice unibiles aut ſolubiles, veſicæ lateribus adglutinantur. Adſunt hîc omnia fermentationis requiſita (1.) *Spatium liberum*, expanſioni fermentali aptum. (2.) *Maſſa ſeu humor ex partibus heterogeneis conſtans.* (3.) *Tempus atque mora.* Nil niſi puriſſimum in tranſitu fermentatur: impuriora moram, quod ſuprà dictum, poſtulant: illa dicimus efferveſcere, hæc fermentari. (4.) *Fermentum*, ſtimulus ille mucaginoſus modò deſcriptus. (5.) *Calor*, tum intrinſecus, à particulis oleoſis ſulphureis excitatus, tum partium adjacentium externus, qui, licèt non efficiat fermentationem, tamen ſuſcitat. Vid. *Helmont. tr. Calor non digerit &c.* & *Tack. Phaſ. 2. p. 12. & 185.* (6.) *Motus externus*, qui nec eſt ipſe de fermentationis eſſentia, eam tamen ſummoperè adjuvat. In magnis corporis motionibus urina tinctior & calidior. (7.) *Halitibus datur exitus*, Gas fœtido. Nonnunquam flatus è genitalibus erumpere viſi, iique ſæpè cum, ſæpè ſine urina. Vid. *Excell. Herculem Act. Med. Hafn. volum. 2. obſervat. 84.* Structura teſtium repugnat, illinc flatus exiſſe, exiſſe è veſica, hiſtoriæ circumſtantiæ omnes docent. (8.) *De humido debito*, quis dubitet? cum urina nil, niſi humor ſit? Denique bruta viva ſecta, fermentationem illam oculis ſecantium exponunt; quin urina recens emiſſa, gravi odore nares ferit, & bullas generat, inteſtini motus teſtes. *An urina hoc modo fermentata purum putum eſt excrementum, an alium præterea in humano corpore uſum habet?* Quid hîc concludam, dum experimenta me deficiunt? Suſpicari licet, non aſſerere, ſi fortè aliquid adhuc,

quo-

quocumque modô corpori proficuum in urina contineatur, id per vaſa lymphatica, venasque revehi, ac identidem ſanguini incorporari: Quin lympham à ſero fortaſſis acuari, ad meliorem in corde efferveſcentiam vitalem ſubeundam, vel ſanguinem venoſum lixivis quibusdam particulis ob eandem cauſſam imbui. Plura neſcio. Hoc ſcio, vel ipſi inteſtino recto, pauciſſimas licèt, datas lacteas, ut vel excrementa alvi, nil, quod adhuc uſui poſſit eſſe, impunè ſuffurentur. Dices, ubi jam contenta urinæ ſuperiùs recenſita? Reſp. Pars ſeroſa & aquoſa, Spiritus acidus, & Sal volatile lixivioſum oſtenſa, unà cum Sulphure ſeu Oleo in arteriali acore latitante; reſtat igitur, ut in Capite mortuo Sal fixum oſtendamus. Illud, quod attinet, arbitror ego, cum pluribus, *fixum Sal ex Capite mortuo urinæ elixiviatum, urinæ non eſſe nativum, ſed adſcititium*, ut alia omnia herbarum alkalia fixa. Sunt enim Sal volatile propter exhalationem particularum ſulphurearum, per combuſtionem, fixatum; hinc in plantis, deſtillatô & extractô Sale volatili, Caput mortuum nullum Sal fixum largitur, *teſte Magnifico Hercule, Experim. Chim. nov. de Sale plant. volatil. cap. 3. p. 30.* Vide etiam elegantiſſimè de horum Salium Geneſi novâ differentem *Tackium*, *Phaſ. 3. p. 23.* Caput mortuum, ſuô Sale caſſum, ab adſumtis alimentis arceſſendum, quæ omnia abundant terrâ. Poſtremò noſtra hypotheſis eſt longè aptiſſima, multis, circa urinam, difficultatibus expediundis. Heic enim apparet (1.) *Materiam urinæ non ſola potulenta præbere*, ejusque proinde quantitatem juxta potulenta nil quidquam eſſe menſurandam. (2.) *Quid de Uromantia ſit judicandum*, patet: nimirùm, quàm ea ſit fallax, &, quàm minimè deceat Medicum prudentem, ſoli huic diagnoſi inhærere. Quandoquidem enim urina per fermentationem paratur, ab errore leviſſimô, tum ejus turbari conſiſtentia, tum color etiam in deterrimum verti poteſt, ut ita, reliquis non conſentientibus, vix de urina nigra, quòd ſit lethalis, pro-

pronunciare liceat. Immò, urinæ ex hac hypotheſi, non eſt ſemper, nec eſſe debet eadem, etiam in eodem ſubjecto, conſiſtentia, ob adſumtorum quotidiè nunc variantium diverſitatem, excretionem nunc maturam, nunc tardam, corporis motum, aëris intemperiem, & quæ ſunt alia, ſicuti doctè *Hoboken. Phyſiol. p. m. 256.* Idem quoad colorem prorſus obtinet, quem eſſe debere aureum vulgò ſtatuitur, natalesque ſuos debere Sulphuri à Salibus urinæ explicato, quorum ope & ipſa exiſtat pellucida. Nam, pro circumſtantiarum ratione, urina ſingulis diebus, quin momentis, etiam in corpore ſano, faciem aliam induere poteſt. *Quid enim ipsô colore fugacius, quid mutabilius?* Quò major eſt Salium volatilium copia, eò fugacior color: Hinc roſarum odor & color, ob Salis volatilitatem mox evaneſcit, Pœoniæ color non idem, quia Sal, quod continet, eſt fixius: Urina maximè abundat Sale volatili, color ejus ergò fugax & mutabilis, ex quolibet accidenti, etiam nonnaturali. Quô pactô colores in inſtanti queant oppidò mutari, vid. *apud Boyle* elegantiſſimô *de coloribus tractatu*; item *Elsholt. deſtillator. curioſ.* quæ omnia transſcribere non juvat. Exemplo ſint pauca: Sir. violar. purpureus inſtillatione Spiritus Vitrioli viridè rubeſcit, ſuperadditô Tartari oleo, virideſcit, qui viror, rurſum inſtillatô Spiritu Vitrioli, illicò perit. Sirupus Flor. Pœoniæ, additô Sale Vitrioli nigreſcit. Solutio Saturni cum Aceto deſtill. eſt pellucida, addito Tartari oleo limpidiſſimô, lacteſcit. Lac virginis eleganter rubeſcens & transparens, Aquam ſimplicem puram in lac convertit. Lignum acanthinum Braſilianum, Aquæ communi infuſum, vini rubelli colorem æmulum efficit; infusô Acetô deſt. liquor fit limpidus: Oleo Tartari, purpureus: Spiritus Vitrioli, pallidè flaveſcens: Oleo Saturni deliquato, lacteſcens. Vitrioli ſolutio cum infuſo gallarum confuſa dant atramentum extemporaneum: ſuperadditô Spiritu Vitrioli nigredo clareſcit: Oleum Tartari ſpadiceum efficit, cui affuſus denuò Vitrioli Spiritus omnia ſerenat. *Quis ergò fidat*

urinæ coloribus? quem ferè quævis aſſumta variare queunt, alteratis hinc humoribus; quem itidem aſſumta medicamenta, cumprimis, quæ dicuntur præcipitantia. Nec verò repudium dico *Uroſcopiæ*, quam Praxis me docuit, eſſe frequenter neceſſariam & utiliſſimam: Sed agendum cautè moneo: Medicus, ubi morbi typum ex aliis ſibi ſignis formavit, ſi urina non conſentiat, propterea ſemet ab opinione ſeduci non patiatur. *Quid igitur de Urina ſanorum ſimili in febribus malignis?* nondumne credis talem dari poſſe? Unius rei plures ſunt cauſſæ, colorum plures & variæ mutationes, colorum itidem variæ cauſſæ: *Sic laudabilis urinæ coloris poteſt etiam eſſe præternaturalis cauſſa.* Nam, quoniam eſt humorum in omni febre fermentatio, ideoque tunc fermenta peregrina, ſeu præternaturalia in ſanguine deliteſcunt, hæ febrium malignarum urinæ ab iſtis *fermentis ſpuriis*, non autem naturaliter in ſanguine & ſero contentis, tum Sale volatili, tum Spiritu acidô, tinguntur. Dantur enim, inquit *Burrhus apud Tack. Phaſ. 2. p. m. 158.* aliquando ſpecies quorundam morborum, quæ opitulari videntur aliis incommoditatibus valetudinis, ut v. g. ſtomachi firmus appetitus, qui, & ſi fortè laudatur ab ægroto, nihilominùs eſſe ſemper ſuſpectus debet Medico, quia ex illis ſpuriis (ſcilicet Spiritibus inſpiratis, uti paullò ante philoſophatum) erit, qui ab inſpiratâ aliquâ acidâ putredine, proventus ſibi adquirat &c. Igitur, quemadmodum apud ægrotos perſæpè appetitus augetur, non à fermento, naturaliter ſuô acore præditô, ſed aliunde ventriculô per morbidas, (modò ſint acidæ) exhalationes inſpiratô, ita fieri poteſt in morbis ſummè malignis, ubi non tam in humorum, quàm Spirituum tumultu cardo vertitur, ut Sal volatile peregrinum, cum eodem Spiritu arterioſo acido, ſed ipsô quoque ſpuriô, in veſica concurrant, & urinam colore laudabilem efficiant, & quidem eò ſaniorem, quò magis evehuntur iſta Salia, hinc ægri ſaniſſimâ ad ſenſum urinâ moriuntur. Ut enim color viridis, ruber, niger, variè adquiritur, nec unô modô

confi-

conficitur, qui tamen colores in videntis oculô nil diſcrepant: uti e. g. Tinct. Lunæ tralatitia, ſolutio Salis Armoniaci in pelvi æneâ, Tinct. Florum Cyani, cum Aqua inſtillatô Vitrioli Spiritu extracta, omnia ſunt æquè cœrulea, quantumvis diverſiſſimæ mixtionis. (Sic ego ex veſica antiqua, ſtannô ſuô, quô obducta intus erat, orbata, Aquam Flor. Sambuci totam ſapphirinam, ſed eximiè fœtentem, deſtillavi.) Uti Flores Borraginis & Napelli ſunt utrique cœrulei, Flores Chelidonii minoris & Aconiti hiemalis utrique aurei; & nihilominùs illi primi Flores ſalutares, hi ultimi deleterii: Ita nihil vetat, etiam aliâ ratione, quam vulgari, poſſe urinam colore ſanô generari, vel etiam dari morboſa Salia & Sulphura, quæ urinam ſano ſimilem reddere valeant, ſubjectô nihilominùs ſummè ægrotô. Sic Sal arterioſum ſummè acidum, & ſeri ſummè lixivioſum, urinas reddit nigras, quæ ſingulis diebus ad aliquot libras exire viſæ. (3.) Ex hac hypotheſi *urinæ fœtidæ, ſtillicidium, mictio pultacea, diabetes, generatio calculi,* omnium iſtorum, inquam, cauſſæ, ei, qui ſaltem curatiùs attendit, longè promtius eruuntur, quàm juxta vulgarem, quod oſtendere ſuſtinui, in dicta *Urocyſtologia;* ſiquidem ejus *quinæ ſectiones* findebantur, prima *phyſiologica*, altera *pathologica* de veſicæ affectibus, hinc *ſemiotice*, ubi de Uromantia; mox *diætetica*, denique *pharmaceutica*, ubi de variis ex urina paratis, tum in- tum externis medicaminibus. Sed adeò mihi non placet iſte meus fœtus, ut audeam eum eniti: Saltem hæc excerpere placuit è ſectione prima, ad illuſtrandam obſervationem, de urinis ſanorum ſimilibus, in febribus malignis & petechialibus. Coronidis locô circa urinam adhuc ſequentia notavi. In *India Orientali*, & cumprimis *Noſocomio Goæ*, ex morbo convaleſcentibus, præcipuè per nimias Venæſectiones exhauſtis, ut colorem & vires recuperent, imperant per duodecim dies, quotidiè mane, pomeridie & veſperi, *potum Cyathi urinâ vaccinâ pleni*, cum ſucceſſu, teſte *Tavernieriô Itin. Ind. lib. 1. cap. 14. Idem lib. 3. cap. 9.* notat,

in Regno *Coromandel* moribundos ſub anum vaccinum reſupinari, vaccam autem adſtantes, caudam ejus motitando, ad mingendum irritare, cujus urina, cùm per moribundi faciem defluit, oppidò lætari, quaſi jam, depurata ab omni labe anima, beatiſſimè obierit; ſin autem vacca, ægro intereà moriente, nolit mingere, vehementer triſtari. Practicus magni nominis adſeveravit, in urina jumentorum *cerumen humanum* ſubſidere, in humana ſupernatare, indeq; ſe poſſe fraudem, Medicos jumentorum urinis frivolè tentantium, certiſſimè deprehendere.



CHRI-

CHRISTIANI FRANCISCI PAULLINI
OBSERVATIONUM MEDICO-PHYSICARUM DECADES DUÆ.

NORIMBERGÆ
ANNO M DC LXXXIX.

VIRIS
VIRTUTE, DOCTRINA, ET GLORIA EMINENTISSIMIS,

DOMINO

JOBO LUDOLFO,

JCto, Sacræ Cæſareæ Majeſt. & Sereniſs. Saxoniæ Ducum Conſiliario ſplendidiſſimo &c.

DOMINO

GOTTFRIED-WILHELM. LEIBNIZ,

JCto, Sereniſs. Ducis Brunſv. & Lyneb. Conſiliario graviſſimo &c.

DOMINO

GEORGIO CONRADO BÜTTNERN,

JCto, Illuſtriſſimæ Aulæ Schwartzburgico-Arnſtadienſis Conſiliario celeberrimo &c.

Dominis & Patronis ſuis ſanctè venerandis,

Tertium hunc Obſervationum manipulum

bonâ mente

offert

C. F. Paullini.

OBSERVATIONUM MEDICO-PHYSICARUM

DECAS I.

I.

Aſtihulſius, nobilis Dynaſta ab Ileſeld, Noſologiæ animatæ venuſta Synopſis.

VIxit olim ſub *Ludolfo*, Abbate Corbeiæ Saxoniæ XII, (qui ab anno 964. usque ad annum 989. ſedit,) nobilis adoleſcens *Aſtihulſius* ab *Hiliſeld*. Quæ familia quondam inter Dynaſtas ſeu Comites Saxoniæ florentiſſima, ut conſtat è libello de monaſt. *Bigavienſ.* à Cl. *Madero* edit. *pag.* 16. Et Chronic. *Lauterberg.* ad annum M C LXXX. expreſsè vocat nobiles Viros de Waltingerohde, de Scartfeld, de Dannenberg, & de *Ileſeld* &c. Hic, notante *Meinharto* à *Lüchtringen*, etiam nobili cœnobita Corbeienſi, (qui vixit ſub Wittekindo, nobile Spiegelio, Abbate XXX. A. C. 1200; exceſſit verò ſub Hugoldo circa annum 1219.) in *fragment. rerum mirabil.* ad annum DCCCC LXXVII. ob reliquias *Criſpi* & *Criſpiniani*, miſerè periit. *Accepi*, infit, à *PP. noſtris*, *ſub Luidolfo* Aſtihulſium *de* Hilefeldt *cum ſacris* Criſpi *&* Criſpiniani *reliquiis ad ſuos profectum. Cùmq; omnium profanorum manibus aliquando irreverenter & minùs devotè tractari permitteret, in miſerabilem lapſus eſt morbum, quem denuò fidâ manu poſteris hîc tranſcribam.*

Aſtholf *de* Yleſeld, *noſter olim confrater, ſub pio* Luidolfo, *qui etiam multis inclaruit miraculis, domum cum venia iturus, ſanctas* S. Criſpi *&* Criſpiniani *reliquias, à Rege nobis datas, ſine venia ſecum duxit. Suæ enim cuſtodiæ & curæ (nam cuſtos erat*

erat Eccleſiæ) erant commiſſa. Et *quia in itinere* & *apud ſuos non ſatis* religiosè *venerabatur ſacra oſſicula, ab aliis etiam conſpurcari ſineret, ſupremum Numen hoc non inultum eſſe voluit.* Febriculâ *primùm peſſundatus, multas poſteà noctes ſine* ſomno, *cum magnis* capitis *tormentis, transegit miſerrimè, rotatus interdum* vertigine, *mox* phreneticus, *mox in* rabiem *actus erat,* ſaltabat, *& nullibi poterat quieſcere: mox* riſit, *mox* flevit, *jam* tacuit, *jam cum* ſtridore dentium *alios invadens. Mox* horrore *&* rigore *perculſus, omnia membra ſummâ violentiâ ſurſum deorſum jactitabat, mox trunci inſtar immotus jacebat. Modò* brachia *ad* pedes, *&* pedes *iterum ad* ſuperiora, vi *trahebantur; jam dicebat, pectori aliquid incumbere, à quo metueret ſuffocationem: mox fixis oculis planè immobilis quaſi meditabundus omnia intuebatur, & loquebatur inſolita. Aliquando oculi, aures denteſq́; ſummè dolebant, cadentibus de capite catarrhis ſalſis; mox* convulſiones *aſſociabantur, &* ſurdaſter *erat; jam lingua tumebat, & deglutitionem impediebat, mox conqueſtus de* conſtrictione colli, *in quo tumor erupit magnus, brevî evaneſcens. Totus emaciatus erat, & cum tuſſi ſpuebat cruorem, cum ſingulari laterum dolore. Cor palpitabat perpetuò, manifeſtus dolor & tumor ventris, appetitus nullus, ſed vomitus & nauſea, & mirabilis ſæpè ſudor. Ante mortem tamen ingens fames, & variarum rerum appetentia: hodiè fluxus alvi, cras ejus obſtructio, in lumbis quoq; tormina,* calculum *dicebant: urina impedita, in pedibus & alibi putida & morſicantia paſſim ulcera & tumores. Paulò ante obitum per os & alium locum* multos terribiles *ejecit* vermes, *qui etiam ex cadavere ejus prorepsêre: Corbighæ ad Wisaraha annô Domini M XXXIX. in vigil. S. Scholaſticæ. Dithmarus,* Epiſcopus Merſenburgicus, Comes Walbeccenſis (non Summeringenſis, ut *Fabritius* vult *L. II. Orig. Saxonic.)* Sigfridi, Epiſcopi Monaſterienſis XIII. & Brunonis II, Epiſcopi Ferdenſis XXI. frater uterinus, (ut ipſe fatetur *L. IV. Chronic. pag. 77. & L. VI. p. 157. & L. VII. p. 205.)* etiam meminit hujus hiſtoriæ, quam sîs vide *L. IV. Chronic. p. 49.*

p. 49. Tetigit eandem *Alexander*, Comes de *Inſula*, ad A. C. 1180. inquiens: *Aſtihulf* inſolitò *morbi genere periit.* Nihil addo, nihil demo fidei hujus narrationis. Omnium una vox, *Aſtihulfium* plexum eſſe ob reliquias parùm modeſtè & religiosè tractatas, queis calculum ſuum addit *Mauritius à Lohren*, Monachus Benedictinus, qui vixit circa annum 1239. Sic enim de eo:

Dum ſacra Sanctorum haud ſanctè Aſtihulfius *oſſa*
æſtimat, à Summo plectitur ille DEO.
Quàm miserè exſpirat! viſu & mirabile dictu eſt!
mors Criſpinus *ei &* Criſpinianus *erat.*

Et *Daniel Ruffus*, Monachus Reinshuſanus, ita de eodem:

Quàm juſtè cecidit! quis? Aſtihulfius: *eja!*
Sanctorum oſſa quid is irreverenter *habet?*
Quisquis es, obteſtor, noli tu temnere Divos,
illorum vindex oſſiculum eſſe poteſt.

Hæc illi. Verùm ſi altiùs expendam relationem hanc, & ſingula ejus momenta ad rationis & experientiæ lancem ſobriè trutinavero, parùm ſanè de reliquiis ſeu *Criſpini* aut *Criſpiniani*, earumque reverentia vel irreverentia, ego hîc ſollicitus, ſtupebo potiùs *miſerabilem*, voce Meinharti, ſeu *insolitum* Aſtihulfii morbum, ut *Inſulanus* vocat. Quàm *miserè* enim exſpirat! viſu & mirabile dictu eſt, clamat *Lohrenius*. Panditur heîc auguſtum Patho- ſeu Noſologiæ animatæ theatrum. Omnes ſiquidem queſtus, quos prolixè contexuit membrana, ego à *vermibus*, ceu fonte & ſcaturigine ſuâ derivo. Quod ne ἄπιστον καὶ παράδοξον videatur, agè, fideliter illuſtrabo, miſeriæ lethique mei, talia ruminans, piè memor. Totum mundum qui dixerit *verminosum*, è tripode fatus eſt. Monſtravimus nuper vermes in omni elemento, in omni planta, fructu, cibo & animalibus &c. in *Cynograph. curios. Sect. ult. c. 3.* Eſt in India ſpurcum fœtidumque animal, quod cum excrementis nil quàm colubros emittit. *Nierenberg.*

L. VI. c. 9. Nos ſanè (quorſum diffitebimur?) longè fœdiora ac fœtidiora animalia, quæ excrementa, ſeu ſeminia verminoſa, omni cibô aſperſa, avidè quotidiè ingerimus ac egerimus, colubris aliquando longè pejora. Sic *dulcedo* noſtra *Vermes. Job. XXIV. 20.* Omnis homo *verminoſus.* Ab hac lue nemo excipitur, Tros Rutulusve fuat! Sic ergò omnium æquè pauperum tabernis ac Regum turribus hoc oraculum Jobæum c. XXV. 6. *Adam* PUTREDO, *& filius hominis* VERMIS, ceu perpetuum veritatis mnemoſynon, aureis literis inſcriptum; quod *Athanaſius Kircherus*, fautor meus, dum vixit, æſtimatiſſimus, ita interpretatur *Lib. de Peſte Sect. II. c. 4. p. 240. & L. XII. Mund. ſubterran. Sect. II. c. 7. Omnis homo* tàm vivus, *quàm* mortuus, *innumeris*, *licèt* inſenſibilibus, *vermiculis ſcatet, omnesq́ morbi, tàm in-quàm externi,* vermibus *obnoxii ſunt.* Næ hepar hominis, & cætera parenchymata, oculatiſſimus *Kerckringius obſerv. 93. p. 178.* ope microſcopii, infinitis ſcatere vidit animalculis minutiſſimis, quæ perpetuò ea conſumunt, ut tinea, *Job. IV. 19.* Nam qui nos comedunt, non dormiunt, *cap. XXX. 17.* Adeò caro noſtra putredine induta eſt, *cap. VII. 5.* ut nemo non dicat putredini: tu es *pater* meus; *mater* mea & *ſoror* mea vermibus, *cap. XVII. 14.* Etſi expendas cum Excell. D. D. *Hannemanno,* Prof. in inclyta Kilonienſi celeberrimô, Curioſorum Neſtore II. Fautore, Collegâ & Amicô honoratiſſimô, *in Decur. II. Ephem. Curios. Ann. V. Obſerv. 85.* contextum carnis, qui ut eſt filamentalis, quot igitur filamenta hunc contextum abſolvunt, tot *vermiculos* ex carne generari tibi perſuaſiſſimum habebis. Sicq́ue exiguum fruſtulum carnis aliquot legiones *vermiculorum* ex ſe gignet. Memorabilis ſanè, quam ibi attexuit, hiſtoria Sincerus Obſervationum mearum encomiaſtes, de homine, febre purpureâ defunctô, cujus vultum domeſtici ſtanneô vaſe obtexerant, quô remotô, eidem innumeri *vermiculi* adhærebant. *Hui!* homunculi *quanti ſumus! Plaut. in Prolog. Capt. v. 51.* Quàm pulcher, quàm ſanus, quàm integer

teger homo ante mali iſtius mali eſum, à quo omnia mala, fuerit, & quàm fœdus contrà, quàm ruinoſus, quàm *verminoſus*, quàm abominabilis nunc poſt lapſum ſit ex maledictione divina, dixi in *Jobo* meo *verminoso*, ut veriſſimè *Democrit.* apud *Hippocrat. in epiſt. ad Damaget.* clamet: ὅλος ἄνθρωπος ἐκ γενετῆς νῦσος ἐστιν, *omnem miſeriam dixeris, ſi* hominem *dixeris*, explicat *Plinius*, ut non ampliùs mereat ſpecioſum *Adami* nomen, quod nil aliud, quàm *formosum* & *jucundum* denotat, teſte Illuſtri *Ludolfo*, Conſil. intimo Cæſ. & Saxonico, Fautore meo candidiſſimo, *L. I. Hiſt. Æthiop. c. 15.* Aureô aſteriſcô digna aureola prorſus & rariſſima hiſtoria *Faſchiana*, quam in Programmate quodam academico anno 1685. allegat, quæque omnium vicem ſupplebit. Scilicet de matrona honeſtiſſima marito ſuo ſpem faciente prolis certiſſimam, quam confirmabant mulierculæ omnes expectantes filiolum, futurum parentis gaudium. Verùm enimverò, quamvis ex variis ſignis, præcipuè niſu imminentis puerperii ſpes fuerit facta ab adſtantibus, omniaque parata ſteterint, nihilominùs tamen ſpe cecidêre ſuâ omnes; ſiquidem ad ſextum idem permanſit ſtatus menſem. Tandem verò, poſt uſum pharmacorum, propulſis veræ ingravidationis ſignis, excluſa ſuccedentibus diebus eſt ampliſſima fœtura *lumbricorum*, per receſſum partim liberorum, partim membraneis involucris ad ovi gallinacei magnitudinem incluſorum, ut juráſſet, aliquot millia rejecta fuiſſe per vices *verminoſæ* ſobolis agmina. Alia, mihi nota (quâ de *Decur. I. Eph. Curios. Ann. VII. Obſerv. 234.*) elapsô poſt partum octiduô, varia & inſolita patiebatur ſymptomata, quod Medicus, dum crederet, à partûs difficultate provenïſſe, electis ad hanc rem medicamentis compeſcere fideliter ſtuduit, ſed fruſtrà. Ipſa tandem aliud quaſi agens emeticum ſumſit, à quo per biduum vel mille *erucas* & diverſi coloris vermiculos evomuit, omni queſtu ſublatô. Ecce! *Aſtibulfum* noſtrum, ampliſſimum *Noſologiæ animatæ* theatrum, & auguſtum vivæ mortis compendium. *Multos* enim & *terri-*

biles ἄνω καὶ κάτω ejecit vermes, qui etiam ex *cadavere* prorepſêre. Prudenti pauca! Prodromus morbi fuit *febricula*, cujus comites *vigiliæ perpetuæ*, & *pertinax capitis dolor*. Singula verba ſingula rerum pondera! Dubio ſine primùm invaſerit eum horror, ſeu rigor, non adeò gravis, qui verò augmentum ſumens ac vires, moleſtiſſimas demùm vigilias, & exquiſitiſſima capitis tormenta peperit. Quàm blandô nomine *febriculam* appellat, ne neſcias, fuiſſe intermittentem, addo: *Verminoſam*, ex quacunque etiam claſſe fuerit. In *quotidiana* vermes. Mulier latum *vermem* miræ longitudinis palpitantem egeſſit. *Donat. L. IV. c. 26. p. 480.* In *tertiana* vermes. Quadragenaria ante paroxyſmum magnam ſaburram bilis, cumq́ue ea tres *vermes*, figurâ, colore & magnitudine *erucis* ſimiles, ſubatriores tamen, evomuit, qui integros octo dies ſine ullo alimento vixêre. *Schenck. Sect. I. Lib. III. Obſerv. 81.* Alius, præter multa liquida & corrupta, longam ſeriem *vermium* cucurbitinorum invicem cohærentium egeſſit. *Donat. l. c. p. 480.* Et valdè memorabilis *Amati Luſitani* hiſtoria *C. I. curat. 56.* Adde *Dec. I. Ephem. Curios. Ann. VI. Obſerv. 104.* In *quartana* vermes, & quidem cum moleſtiſſimo alvi fluxu in puella duodecim annorum. Vid. *River. C. I. Obſerv. 16. 28. & 91. & C. II. Obſerv. 16. ac II. à D. Jacotz* communicat. *pag. 340.* Conf. *Faſcicul. I. Obſerv. mear. Medico-Phys. num. 22.* ejusq́ue rei exemplum nuper mecum communicavit Amicus meus *Kellnerus*. Alius *quartanarius*, poſt uſum pulveris aſari cum Spec. Diaturbit. permixti, *vermem* ſatis longum ἄνω rejecit. *Greg. Horſt. Sect. XVIII. epiſt. I.* In febre *continua* vermes. *Amat. Luſitan. C. V. curat. 7.* In febribus *petechialibus* aliisq́; *malignis* innumeri vermes. Anno 1659. in obſidione Hafnienſi multi, de dolore ventriculi, qui conqueſti erant, concitatô vomitu, *vermes* ſpithamam longos revomuerunt, ſubſecutâ ſanitate, notante etiam *Paynkingio*. Pluscula hujus rei exempla dabunt Thom. Bartholin. *C. VI. hiſt. anat. 29.* Sachſ. *in Ocean. Macro-microcoſm. §. 140.*

Rubeus

Rubeus *in exercit.IX. p.m. 122. in Schol.* Hippocrates *L. IV. Epid. 23.* Smetius *L. X. Miſcellan. p. 563.* Borellus *C. III. Obſerv. 4.* Binninger. *C.V. Obſerv. 16.* Jeremias Martius *in Obſerv. Med. 67.* Lotich. *L.I.c. 3. Obſerv. 1.* Salmut *C. III. Obſerv. 54.* Aug. Hauptmann *de therm. Wolckenſteinens. pag. 199. & 249.* Panarol. *Pent. I. Obſerv. 41. & Pent. V. Obſerv. 15.* Heurn. *de morb. capit. p. 55.* Greg. Horſt. *Sect. XVIII. epiſt. 1. ſeq.* Hochſtetter. *Dec. I. Obſervat. p. 62.* Bellin. *de febb. propos. 27. pag. 410. edit. Lips.* Tiling. *Rhabarbarol. curios. Part. IV. c. 7. p. 499. ſeq.* P. à Caſtro in pulcherrimo ſuo *de febribus puncticularibus* libello *S. I. §. 15.* & complures alii. Febrim Aſtihulfianam ſubitò excepit moleſtiſſima *vigilia.* Num aptiorem finxeris cauſam, quâm colluviem animatam? Puerulus ſingulis noctibus vigiliis moleſtiſſimis afflictus, totam viciniam ejulatu complebat. Variis ultrà annum fruſtrà adhibitis, multisque purgationibus repetitis, tamen *Velſchius* noſter tandem inſignem *lumbricorum* copiam expulit, & puer ejulare deſiit. *Dec. I. Ephem. Curios. Ann. VIII. Obſervat. 36.* Succeſsêre *magna capitis tormenta.* Nolo abſtruſioris hujusmodi doloris exempla *verminosa* benè multa, vel è Sect. ult. *Cynograph.* meæ *c. 7. §. 1. ſeq.* vel ex *Obſerv. mear. Faſcic. I. num. 39. & 101.* recoquere: quæ verò ibi omiſſa, ſubnecto. Quidam apud *Beniven. de abdit. cap. 100.* cum acuto capitis dolore, mentis alienatione, caligine oculorum, & aliis pravis ſymptomatibus afflictus, ſeptimô die adventante, cùm jam mors eſſet in propinquo, vi tandem robuſtioris Naturæ, *vermem* ex dextra nare palmo longiorem emiſit, omni languore ceſſante. Matronæ poſt vehementiſſimos & acutiſſimos & diuturnos capitis dolores, diſſecta calvaria magnam vim putredinis oſtendit circa ſubſtantiam cerebri, & inter meninges tum *vermiculorum*, tum cimicum copiam incredibilem. *Cornet. Gemma L. II. Coſmogr. c. 4.* Adde Cl. *Bartholin. C. II. epiſt. 74. Dec. I. Ephem. Curios. Ann. III. Obſ. 266. Binninger. C. I. Obſervat. 34. & C. V. Obſerv. 56. Verzasch. C. I. Obſerv. 6. Hercul.*

Saxon. L. I. Med. pract. c. 2. Foreſt. L IX. Obſerv. 2. in Schol. & L. XXI. Obſerv. 28. Sabina Yſenhardtin / venuſta puella tredecim annorum, contumaciſſimâ cephalæâ tertiam usque in ſeptimanam excruciata, tota tandem contabuit. Propinârat Medicus Syrupos, Julepos, & ſexcenta alia, ſine levamine, ſine ulla ſpe ſanitatis. Sagax mater obteſtata Seniorem iſtum, ut contra *vermes* pugnaret. Hos enim ſubeſſe, ſibi perſuaſerat Affaniæ, barriebat moroſum iſtud animal, quid tibi cum vermibus? bilioſi humores ſunt, prætereà nihil. Puella interim moritur, prodeuntibus ex auribus naribusque, aliisque corporis partibus, *vermibus* diverſæ figuræ, coloris & magnitudinis, quos adoleſcentulus adhuc in Franconia his oculis vidi. Sincerè: crebriùs aliquando hallucinamur in indagandis morborum cauſis. Celeberrimus ille quondam Proſector *D. Nicol. Stenonis*, poſteà Epiſcopus Titiopolitanus, & Vicarius Apoſtolicus, (cujus tranſitum Ars noſtra adhuc luget,) Amicus meus, dum viveret, ſingularis, in ſolenni quadam anatome publicè retulit, Italum quendam Medicum de graviſſimo lienis dolore queſtum fuiſſe, ſpleniqve omnia ſua applicuiſſe remedia. Apertô demùm cadavere, lienem abs omni parte ſanum repertum, & contrà in rene ejusdem lateris, & quidem in ipſa ſubſtantia, copioſisſimas *arenulas*, omnis doloris cauſas. De humoribus acribus & flatibus falsò pro *vermibus* habitis, vide *Dec. I. Ephem. Curios. Ann. II. Obſerv. 173.* Conf. *Höchſtetter. Decad. VI. Obſerv. p. 705.* Puella ſexdecim annorum menſtruata primùm purgabatur κάτω. Parens aliud quid ſubeſſe rens, ad partes vocat muſteum Doctorem, qui *dyſentericam* proclamat, datisque validioribus adſtringentibus optimam puellam brevî occidit. Novi aliam ſeptendecim annorum, quæ menſes aliquando ἄνω rejiciens, curabatur à Licentiato pro ſimplici *hæmoptoica*. Sed & illa deceſſit. Adoleſcens totus emaciatus, ut ſceleti formam haberet, à duobus Medicis pro conſummato *phthiſico* diu curatus, tandem alîus extorſit conſilium. Qui viſis & expenſis, quæ

iſti

iſti adhibuerant, remediis, ægro in deteriorem ſtatum ſubindè lapsô, mutavit ſententiam ſuam, & de *affectu hypochondriaco* paulò altiùs cogitare, heparque & lienem cum vicinia penitiùs examinare cœpit. Sic Natura proſtrata caput elevavit, hoſtemque ſibi ingratum eliminavit, juvene adhuc ſuperſtite, & ſua agente feliciter. Sequitur vertigo. *Rotatus interdum vertigine*. Et hæc à *vermibus*. Vide, quæ de ea, aliisque ſymptomatibus rarioribus, à *lumbricis* ortis, habet *Binninger. C. V. Obſervat. 33. Idem C. IV. Obſerv. 28.* uxorem ſiſtit à plurimis annis, quæ ardorem in interioribus pedum plantis & manuum volis ſenſerat, vertiginoſa & epileptica tandem concidit; deturbatis verò *lumbricis* plurimis, ſanitatem diutiſſimè perditam breviſſimè & facillimè recuperavit. *Mox phreneticus, mox in rabiem actus ſaltabat.* Cuncta à *vermibus*. Quod vix credes, niſi exempla afferam. De phrenitide *verminosa* Paracelſ. *L. II. §. 2.* Ruſticus quidam à ſomno ſub arbore expergefactus per medium annum maniacus fit, ſed acceptâ tabaci unciâ, & concitatô vehementiſſimô ſternutamentô, prodiit *eruca* nigra, piloſa & longa, illeque ſubitò convaluit. *Dec. I. Ephem. Curios. Ann. IV. Obſervat. 37.* Adde *Faſcic. I. Obſerv. mear. Medico-Phyſicar. num. 123.* *Mox in rabiem actus.* Puto, eſſe formulam exaggerandi. Cæterùm quæ ſint meæ de *rabie* meditationes, in *Cynograph. Sect. ult. cap. XI.* placidæ Eruditiorum cenſuræ modeſtè expoſui, easque *Faſcic. II. Obſerv. mear. num. 60.* hiſtoriâ caninâ confirmavi. *Saltabat:* non ibo inficias, aliquando ſpeciem tarantiſmi, ſeu choreæ S. Viti periodicam acceſſiſſe. Ad illam quoque, & quidem lunaticam, à *vermibus* notavimus in *Faſcic. I. Obſervat. num. 8.* *Et nullibi poterat quieſcere:* Quidam ſemper hinc inde temerariô motu & inordinatô impetu ferebatur, ut etiam ſtare volens iterum titubaret & caderet, Medicis judicantibus, hujus mali cauſam diſtentionem cum ſaltu eſſe, conjectura facta ex quodam tumore, in quem paucis diebus puer incidiſſe dicebatur. *Beniven.* autem de *abdi-*

tis

tis cap. 92. larvam detraxit, expulſisque multis *vermibus* puerum in integrum reſtituit. Nobilis puer quotidiè circa tertiam pomeridianam prehendebatur inquietudine, anxietate cordis, ut lectum petere cogeretur, inſignique melancholiâ, quæ ſymptomata durabant per integram horam, ejectis verò lumbricis bellè convaluit, notante *D. Mollerô*, Medicô Cüſtrenſi, *Dec. II. Ephemer. Curios. Ann. V. Obſervat. 27.* Conf. *Amat. Luſitan. C. II. curat. 40.* *Mox riſit, mox flevit, jam tacuit, jam cum ſtridore dentium alios invadens.* Mira ſymptomata verminoſa! Mulier propè Northuſam in delirio perpetuò garriens ridensque, ἄνω καὶ κάτω multos rejecit *vermes.* ἀφωνίαν vide apud *Zacut. prax. admir. L. II. Obſervat. 36.* De cæca & muta à *vermibus Decur. II. Ephem. Curios. Ann. V. Obſerv. 170.* Puellus ſeptem annorum viſu, auditu, aliisque ſenſibus privatus, torpidus, ſomnolentus, imò in ſupremo agone conſtitutus, expulſis *lumbricis* ocyùs & bellè convaluit. *Binninger. C. IV. Obſervat. 32.* Puer ſemper circa Lunæ occaſum difficultate loquelæ laborabat, ut parens metuerit obmuteſcentiam, rejectis autem *lumbricis*, omnia erant ſalva. *Dec. II. Ephem. Curios. Ann. V. Obſerv. 27. in Schol.* Novi ego adhuc puerum decennem, carbonarii filium, qui, canis inſtar, perpetuò in angulo quodam ſub ſcamno jacet, mox gannit, mox ringitur. Si quis propiùs accedit, invadit, & latrat, & mordet. Et omne iſtud à *vermibus.* *Mox horrore & rigore perculsus.* Lucem afflat obſervatio *Pollucis* noſtri *Dec. I. Ephem. Curios. Ann. I. num. 104.* & *Dolæana* illa *L. VI. Encyclop. Med. c. 10. p. 1013.* Puella à morbillis redemta & priſtinæ ſanitati reſtituta, de totius corporis tremore, ſed interpolato, conqueritur, quem ſequenti die tam vehemens univerſi corporis excepit motus, omnes in medio & infimo ventre contentas partes quaſi divulſurus, ſingulis diebus ter vel quater affligens, ſed absque notabili dolore, & ratione ſalvâ ac illæſâ manente. Durante paroxyſmô, per duas horas ſe extendente, decumbebat cum horrenda hinc illucque jactatione, omnia

tamen

tamen benè intelligens. Tandem variis, ſed fruſtrà, tentatis, infuſum contra *Vermes* dedit Medicus, & innumeri excreti ſunt, tàm horrendo ſymptomate penitùs ceſſante. *Omnia membra ſummâ violentiâ ſurſum deorſum jactitabat.* Puellæ octennis caput, brachia ſurſum deorſumque agitabantur, adeò, ut neuter pes ullibi permanſerit fixus. Verùm oblatô aliquoties hauſtu aquæ ſtillatitiæ raphani ruſt. aliis aquis, ob acrimoniam, temperatæ, undecim ejecit *vermes*, & motûs convulſivi brevî ceſsârunt D. D. Frommann apud *Bonet. L. I. Med. Septentr. Sect. XV. c. 5.* Mulier per duos ferè annos miris & capitis & brachiorum, imò totius corporis convulſionibus, ſeu potiùs geſticulationibus, in ſtuporem omnium tentata, poſt mortem tota *verminoſa* inventa eſt. Puella ſimilibus concuſſionibus ſpaſmodicis ultrà tres menſes indeſinenter agitabatur, quæ tandem, ſumtô emeticô, ultrà manipulum granorum triticeorum, cum multa ſtercorum albicantium ſaburra, ἄνω καὶ κάτω rejecit, & ſic penitùs liberata eſt. Poſteà verô iisdem ſymptomatibus vexata denuò, exhibitô emeticô, longiſſimam *tæniam*, ceſſante affectu, excrevit. Eadem fortè *tænia* prioris tragœdiæ fabra, forſan etiam tunc cum ſaburra iſta excluſa, licèt non animadverterint adſtantes. Idem *Bonet. L. III. Sect. XVI. c. 4.* SchenckI filiolus triennis à *lumbrico* acuto, ſanguineo & roſtrato terribilem ſpaſmum paſſus. *L. I. Obſervat. 217.* Lanio ſpaſmô ſcorbuticô crudeliter excruciatus, obtinuit à *ſplenetico* Doctore Cl. *Dravvizio tract. de ſcorbut. tit. 2. p. 126. ſeq.* purgantia, quæ inter Jalappa, quam ſpeciosè commendat, *tæniâque* expulsâ, ὀρθοστάδιος ſibi redditus ille. Et *P. Foreſtus L. X. Obſervat. 117.* puerum à ſpaſmo *verminoſo* redemit ſemine Zedoariæ, umbilicô verò oleô Aloës inunctô, ſpina dorſi oleô liliorum. *Mox trunci inſtar immotus jacebat.* De paralyſi *verminoſa* legatur *Salmut C. I. Obſervat. 44. Bonet. L. III. Sect. XVI. cap. 15.* & *Faſcic. I. Obſerv. mear. num. 19.* *Modò brachia ad pedes, & pedes iterum ad brachia vi trahebantur.* Adjunge curioſam *Toneri* obſervationem,

L. II. p. 94. & *Dec. II. Ephem. Curioſ. Ann. I. Obſerv. 120. Jam dicebat, pectori aliquid incumbere, à quo ſuffocationem metueret.* De incubo à *vermibus* vide *Sennert. L. I. Prax. P. II. c. 29. Mox fixis oculis planè immobilis quaſi meditabundus omnia intuebatur.* Ecce catalepſeos ſpecimen. Et illa à *Vermibus, Schenck. L. I. Obſerv. 107. Et loquebatur inſolita.* De Italo *verminoſo* perfectè germanicè loquente, quod tamen nunquam didicerat, vid. *Cardan. L. VIII. de Variet. rer. c. 43.* Conf. *Zacut. Luſitan. L. III. Prax. admirand. Obſervat. 222.* & eruditam ARGI noſtri diſſertationem *de linguis peregrinis*, habitam Heydelbergæ anno 1675. Puella tredecim annorum variis ſymptomatibus, & catalepſeos ſpecie laborans, tribus idiomatibus peregrinis, cumprimis gallico, quod tunc non adeò perfectè callebat, ſine hæſitatione loquebatur. *Verme* autem mirandæ formæ excluſô, omnia ceſsârunt ſymptomata. Vid. *analect. ad Decur. I. Ephem. Curioſ. Ann. IV. p. 303. Aliquando oculi, aures, dentesque ſummè dolebant.* Caſp. Wendland puero bienni *vermiculum* album è palpebra extraxit, cujus cuticula parùm duriuſcula erat, magnitudinis erucæ, conſumſitque vivendo quatuor dies amygdalas duas dulces: circa oculum pueri tumor inſignis cum rubedine apparebat, palpebraque clauſa non ſine ſummo dolore manebat, extractô autem vermiculô puer poſteà bellè valuit. *Dec. I. Ephem. Curioſ. Ann. II. Obſerv. 24.* Aurium dolorem conſignavit *Panarol. Pent. IV. Obſervat. 27.* & *Stadlender* locô jam citatô. Nobilis puer de ingenti dolore & morſibus auris ſiniſtræ ob *vermiculum*, qui dormienti irrepſerat, conqueſtus à *Gruling. C. I. Obſerv. 79.* ocyùs reſtitutus eſt, guttis quinque aceti bezoardici, auri inſtillatis. Alius immani odontalgia ac periodica vexatus, ſenſit in dente aliquando ſaliens quid. Abraſâ demùm carie dentis in vaſculum ſubjectum *vermem* exſpuit, qui, capite ad caudam reflexô, ſaltûs varios reiteravit. D. D. *Jacobæus*, Prof. Hafnienſ. *Tom. V. Act. Hafniens. Obſervat. 108.* exque iis *Bonet. L. II. Med. Septentr. Sect. IV. c. 13.* Adde *Sal-*

mut.

mut. C. III. Obſervat. 32. & *Dec. II. Ephem. Curios. Ann. V. Obſervat. 192. Cadentibus de capite catarrhis ſalſis.* Fatur hîc ore priſcûm. Rectiùs verò *Schneider. Lib. de oſſe cribriformi*, cujus veſtigia calcat Celebris *Rolfincius L. VI. Diſſert. anat. c. 56. p. 1251. ſeq.* Optimus *Wormius*, gloria Septentrionis, poſt febriculam vexatus à moleſto catarrho, cum frequenti dolore capitis, poſt cibum ſumtum ingraveſcente; at emunctô è naribus *vermiculô* egregiè ſibi redditus. *Thom. Bartholin. C. I. hiſt. 64.* Cùmque catarrhos *ſalſos* dicat, ſuſpicor, *ſcorbutum* ſubfuiſſe. Et in hoc *vermiculi*. Vide ſputum *verminoſum* apud *Dolæum L. II. Med. Septentr. Bonet. Sect. II. c. 3.* & in *breviar. rer. memorabil. Iſibord. ab Amlunxen num. 14.* Paſtor iſte ſcorbutico-cachecticus apud *Timæum L. III. caſ. 38.* plures quotidiè *vermiculos* albos minxit cum pruritu in cervice veſicæ & meatu urinariô. *Mox convulſiones aſſociabantur.* Epilepſiæ *verminoſa* exempla proſtant apud Bartholin. *C. VI. hiſt. 20.* Zac. Luſitan. *L. II. M. P. H. c. 17.* Nic. Piſon. *L. I. de morb. cognit. & curat. c. 19.* Foreſt. *L. X. Obſerv. 65.* Grüling. *C. III. Obſerv. 74.* Mœb. *L. II. Inſtit. Medic. P. II. c. 12.* Rhod. *C. I. Obſerv. 59.* Hauptmann *in epiſt. ad Kircher.* Verzaſch. *C. I. Obſerv. 30.* Bonet. *L. III. Med. Septentr. Sect. XVI. cap. 7.* & complures alios. Et *ſurdaſter erat.* De *lumbricis* putridis cum ſurditate, febre, & variis aliis ſymptomatibus *Binning. C. III. Obſerv. 67. Jam lingua tumebat, & deglutitionem impediebat.* Vide *Dec. I. Ephem. Curios. Ann. VIII. Obſerv. 100.* Sic ſtabulario cuidam tumor in amygdalis excrevit. Quô apertô, cum pure per vomitum fortè ſupervenientem *vermis* minimi digiti ferè craſſitie exſpuitur, ulnam cum quadrante longus. Poſt paulò alii ſubſecuti quàmplurimi, ſed minores; queîs excretis, ulcereque conſolidatô, convaluit. *Bartholin. C. II. hiſt. 23.* & *Avicenna* difficultatem deglutiendi à *vermibus* habent. *Mox queſtus de conſtrictione colli.* Alius apud *Salmut. C. II. Obſervat. 40.* de conſtrictione gulæ & ſuffocatione conquerens, ſumtis pilulis, evomuit

 ver-

vermes, & ſibi redditus eſt. *In quo tumor erupit magnus brevî evaneſcens.* Struma equidem animata non fuerit, qua de in *Faſcic. I. Obſervat. mear. num. 4* *Totus emaciatus erat:* pabulô à conſalinis ei furtim ſurreptô. Vid. *Cynograph. meæ Sect. ult. c. 8. §. 6. Dec. II. Ephem. Curios. Ann. III. Obſerv. 60. Borell. C.* I. *Obſerv. 5.* De cachexia ex *eruca* in ventriculo inſignis *Helvvigii* obſervatio 80. cum Scholio *Celſi.* *Et cum tuſſi exſpuebat cruorem.* Tuſſim *verminoſam* dabunt *Thom. à Veiga Comment. ad L.* I. *Gal. de loc. affect. c. 5. Beniven. c. 77. de abdit. Schenck. L.* II. *Obſervat. 51. Rolfinc. de tuſſi pag. 85. Mœbius L.* II. *Inſtit. Med. P.* II. *c. 10.* Hæmoptyſin à *vermibus* notavimus ipſi. Sic quatriduanam hæmorrhagiam, cum qua *vermis* hirudini ſimilis profluxit, *Bonet. L.* I. *Sect. XXIV. c. 16. D. Ernſt. in Dec.* II. *Ephem. Curios. Ann.* I. *Obſerv. 99.* Nobilis matronæ ſtupendam, eamque *verminoſam*, narium hæmorrhagiam narrat *Schenck. L. VII. p. 468. ſeq.* quâ intra anni ſpatium 400. matulas terreas compleverat, ne dicam de hoc, qui *κάτω* rejectus eſt, ſanguine, & venæſectionibus, quas quinquaginta ſuſtinuerat, ut computus ſit 1000. librarum ſanguinis excreti. Cum copioſiſſimo ſanguine ſæpiùs unà quoque *lumbrici* ejecti, iique 1200, digiti plerunque longitudine, etiam longiores, & *ἄνω.* Potuit etiam phthiſi laboraſſe; & in hac *vermes*, notante *Timæô L. II. epiſt. 5.* *Cum ſingulari laterum dolore.* De pleuritide *verminoſa* lege Schenck. *L.* II. *Obſervat. 92.* Rhod. *C.* II. *Obſerv. 12.* Geſner. *L.* III. *epiſt. 94.* Quercet. *in demonſtrat. Hermet. c. 5.* River. *C I. Obſervat. 75.* Bonet. *L. II. Med. Sept. Sect. XII. c. 7.* & *Faſcic. I. Obſerv. mear. num. 68.* *Cor palpitabat perpetuò.* Adde *Foreſt. L. XXI. Obſervat. 26. in Schol.* *Paræum L. XIX. c. 3.* Syncopen *verminoſam* vide apud *Zacut. Luſitan. L.* II. *Prax. admirand. Obſervat. 40. Panarol. Pent. IV. Obſerv. 29. Schenck. L.* III. *Sect. XVI. cap. 4. p. 627.* *Manifeſtus dolor & tumor ventris.* Conf. *Wier. L. IV. de præſtig. Dæmon. c. 16. Bartholin.* C. II. *hiſt. 23. Schenck. L.* III. *Obſerv. 78. River. C. I. Obſerv. 5. Dodon. ad cap. 85. Beniven.*

*niven. Zacut. Luſit. L.*II. *Prax. admir. Obſerv. 31. Toner. L.*III. *Obſerv. p. 189. ſeqq. Dec.* II. *Ephem. Curios. Ann.* III. *Obſerv. 142. Foreſt. L. XXI. Obſervat. 26. in Schol. Salmut. C.*I. *Obſervat. 45. Bonet. L.*III. *Sect. XVI. c. 6. & 12. Cynograph. meæ Sect. ult. c. 8. ſ. 9.* Ruſticus tumidum ventriculum habebat, aſſumta ſtatim revomens, circumgyrationes in eo percipiens, continuô dentium ſtupore, ac ſi ſylveſtria poma acerbiſſima comediſſet, laborabat, vacillantes eos habere viſus, qui obfirmari nullô modô vel jungi invicem poſſent: à pravorum humorum aciditate, à liene in ventriculum transfuſæ, & membranæ interioris continuitate ipſos dentium alveolos gingivasque afficiente. Inſomnis erat, pallidus, omni appetitu deſtitutus, contremiſcens interdum, & dum dormiret, exclamans: vertiginoſus, ſonos antè ſe editos, à tergo excitatos eſſe judicabat, magnum oris fœtorem percipiens, & ingentes *lumbricos* interdum evomens, cùm vel leviter humeros onerabat, vel baculum illis imponebat, formicationes in digitis manûs percipiebat, edere & bibere metuebat; cùmque ſibi vomendum eſſet, excitatis *vermibus* & pravorum humorum corruptela, inſtar mortui evadebat. *Binning. C. IV. Obſerv. 7.* Ventriculi dolor triennis, deturbato per inferiora *limace* vivo, evanuit. Idem *C. V. Obſervat. 63.* De tumore univerſali rarô & ſubitô à *lumbricis* in puero octenni. *Idem C. III. Obſervat. 53. Appetitus nullus.* ἀνορεξίας exempla collegit *Mœb. Fund. Med. Phys. c. XII. p. 205. Helvvig. Obſerv. 95. cum Schol. Schröckiano. Sed vomitus & nauſea.* Vide *Bartholin. C. I. hiſt. 47. Mœbium L. II. Inſtit. Med. P. II. c. 5. p. 183. Lemn. L. II. O. N. c. 4.* De ſtupendo vomitu cruento *verminoso Rumler in Obſervat. num. 100. Dec.* II. *Ephem. Curios. Ann.* I. *Obſerv. 7. Et mirabilis ſæpè ſudor.* Num quoque *verminosus?* qualem ſtitimus in *Decur.* I. *Ephem. Curios. Ann. VI. Obſerv. 3.* inque *Breviar. Iſibordiano num. 4.* & *in Faſcic.* I. *Obſerv. num. 84.* Adde *Decur.* I. *Ephem. Curios. Ann. VIII. Obſervat. 85. Mirabilem* tantùm vocat. Utrum verò *viridis* Borell. *C.*II. *Obſerv. 56. Faſcic.* II.

Obſervat.mear.num.17. ſeu *ater*, Hodges. *Lib. de Peſte Londinens. Zacut. L.*III. *Prax.admir.Obſervat.73.* Borrich. *Volum.*I. *Act. Hafniens. Obſerv.80. Dec.*I. *Ephemer. Curios. An.VI. Obſerv.10.* vel *melleus*, Rhod. *C.III. Obſerv.68. Faſcicul.*I. *Obſerv.mear.num.25.* aut *Cereviſiarius*, Salmut. *C.II. Obſerv.28. Faſcic.*II. *Obſerv.mear.num.15.* ſeu *violaceus*, *Faſcic.*I. *Obſerv. mear. num.17.* vel *urinaceus*, Salmut. *C.II. Obſerv.82.* & *Faſcic.*II. *Obſerv.mear.num.15. lacteusve*, *Faſcic.*I. *Obſerv.mear. num.18.* aut *croceus*, Hild. *C.VI. Obſerv.77. Dec.*I. *Ephemer. Curios. Ann.VI. Obſerv.77. Mœb. Inſtit. Med. L.IV. P.*II. *c.8. p.511.* ſeu demùm *cæruleus* fuerit, *Dec.*I. *Eph.Cur. Ann. VI. Obſerv. 67.* neſcio. *Ante mortem tamen ingens & variarum rerum appetentia.* Famem caninam à *vermibus* ortam recenſebit *Alex. Trallian. L.VII. cap.6. Donat. L.IV. H. M. c.2. Foreſt. L.XXI. Obſerv.28. in Schol. Decur.*II. *Ephem.Curios.Anni VI. Obſerv.33.* Fridericus Henkhuſius, Monachus cœtûs Benedictini, & Sub-Prior in Illuſtri ad Viſurgim Corbeia, Vir ſimplex & rectus, Amicus, dum viveret, amandus, longâ phthiſi tandem planè conſumtus, cum multis abhinc diebus omnem cibum potumque averſatus eſſet, tribus ante exceſſum horis, de appetitu ſibi blandiens, rogavit; num ſibi liceret carne vervecinâ cum rapis veſci? annuo, lecto aſſidens. Tanto cum appetitu edit bonus iſte *Henkhuſius*, ſenſibus adhuc integris, ut ipſemet mirarer. Tertiâ pòſt horâ placidisſimè exſpirabat. *Hodiè fluxus alvi, cras ejus obſtructio.* Illum à *vermibus* notavit *River.C.*I. *Obſervat.28. Bonet. L.*III. *Sect. XVI. c.8.* & cum aliis ſymptomatibus gravibus *Binninger. C.*I. *Obſervat.91. & C.*III. *Obſerv.67.* hanc verò *D.Henric.* à *Moinichen Obſervat.16.* Thom. Bartholin. transmiſſ. *In lumbis quoque tormina, calculum dicebant, & urina impedita.* Renum dolorem à *vermibus* dabit *River. in Obſerv. communicat. p.302. Sennert. L.*III. *Prax. P.VII. Sect.*I. *c.7.* δύσ- & ἰσχουρίαν *Schenk. L.*III. *Sect. poſt. Obſerv.305. ſeqq. Bonet. L.*III. *Med. Septentr. Sect. XXIX. c.33. Dec.*II. *Ephem. Curios. Ann.VI. Obſerv.*

ſerv. 31. Notabile, quod Cl. *Blaſius Part. V. Obſervat. Med. 11.* refert de puero duodecenni, cui per ſectionem calculus ſat magnus ablatus, à quo tempore, ſpatio ſex ſeptimanarum, *lumbricos* excrevit plus quàm centum. *In pedibus & alibi putida & morſicantia paſſim ulcera & tumores.* Conf. *Cynograph. mea Sect. ult. c. 8. §. 16.* Adde *Decur.* II. *Ephemer. Curios. Ann.* III. *Obſerv. 55. & 141. Ann. V. Obſ. 10. Bonet.* L. III. *Sect. XVI. c. 12.* Ex ulcere dextri pedis Conradi Hanſens / ruſtici Vördenſis, quinque *erucas* vivas extraxit *Joh. Georg. Purgold*, Chirurgus noſter veteranus. *Paulò ante obitum per os & alium locum multos* terribiles *ejecit* vermes. Hinc ultima linea rerum. *Nam ex cadavere quoq; prorepsêre.* Cordatè & ſeriò: Cum ipſo lacte materno *mortem animatam* imbibimus. Milleformia enim inſectorum ſeminia in lacte aliisque alimentis latent, quæ non tantùm in ventriculo non rectè alterantur, ſed & vitioſum ſubminiſtrant alimentum, unde ſerum redditur craſſius, quô dein diutius ſtagnante, & per inſenſibilem tranſpirationem haud foràs emiſsô, neceſſariò corrumpitur, & ſic occulta antè & oppreſſa penitùs principia ſeminalia in ſero latentia, ſui juris facta, in viva tranſeunt animalcula, ceu catè judicat Excell. *Andromach. L. VI. Encyclop. Med. c. XI. p. 1020.* Flebilis & terroris plena hiſtoria, quam *Hannemannus* noſter *Vol. III. Act. Med. Hafniens. Obſervat. XI.* de opilione recitat. Hîc decennium & ultrà tantos ſuſtinuerat cruciatus, ut vix dici queat. Deinde maxima *vermium* caterva, ipsô vel inſtrato decumbente, vel ſedente, vel ambulante, vel aliud quid agente, ordinariâ viâ, non admiſtis aliis excrementis, ex corpore ejus prodiit. Et hi *vermes* parvi admodùm toti albi fuêre, magnitudine aciculam æquantes, ultrò exitum quærentes. Sed posteà ſumtâ catharſi quâdam, rubrô nigrôque capite, majores tamen, quàm modò dicti, unà cum urina exierunt. Hosce ſucceſſu temporis omnium maximi ſecuti, inſtar magnæ & oblongæ admodùm ſcuticæ, qui catervatim numero xv. & plures, intricati & quaſi concatenati, uſu pulveris

veris cathartici, interdum etiam Allii, & lactis equini, magis vi, quàm arte, ejecti. Hinc non dubitarem aſſerere, maximam hominum partem à condito homine à *vermibus* eſſe ſublatam. Lege & ſtupe hiſtoriam valdè memorabilem. Refert *Cl. Sebizius L. V. de alim. facult. quæſt. 90. p. 1442.* de populari Hungariæ morbô, quô annô 1549. in multorum hominum corporibus *ſerpentes* & *lacertæ* reperti ſunt, qui, ſæviſſimis excitatis doloribus, *tria millia* è vivis ſuſtulerunt. Addo aliam. Initiô hyemis 1663. in univerſo diſtrictu dominii Veneti morbus quidam malignus & epidemius fuit graſſatus, quô plusquam *ſexaginta millia* hominum cum horrore & febri correpti ſunt. Horum nonnulli citò interierunt, cæteri brevî evaſerunt. Sectione cadaverum inſtitutâ, mira & vix credibilis *vermiculorum* minimorum copia apparuit, cauſamque, quæ vel experientiſſimis nondum in mentem venerat, manifeſtavit. Civis quidam Auguſtanus, ex illis locis redux, quamprimùm apud Auguſtanos appulit, malè habere cœpit, ſibique propterea metuens, ne ſimili morbô decumbere cogeretur, *Velſchium* conſuluit. Hic purgandum cenſuit, juravitque, ſe plus quàm *bis mille vermiculos* vivos excreviſſe. Vivamus lethi memores! Turpiſſima enim ignorantia, cùm homo ſe hominem (ſeu *vermem*) eſſe obliviſcitur. Vide *Hecatoſt. II. Obſ. 59. D. D. Velſchii.*

II.

Verbera imminentis apoplexiæ remora.

DE inſigni *flagrorum* uſu in Arte ſaluberrima, eruditè diſſeruit olim ὁ Πάνυ *Thomas Bartholinus*, ſpecialiter in *ſuſcitanda Venere* ὁ χαριέστατος *Meibomius* in ſingulari libello, in debellanda *febri* Curioſus noſter *Oribaſius*, Amicus colendus, in *addend. ad Dec. II. Ephem. Germ. Curioſ. Ann. III. Obſerv. 93.* & in emendanda *dyſuriæ* ego ante biennium in *Faſcic. I. Obſ. mear. num. 26.* *Cyriacus* Schönthau /

Vir

Vir athletici prorſus habitûs, facetus inſuper & eruditus, tunc caſtra ſequens, de ſumma laſſitudine & torpore univerſi corporis, dolore capitis periodicô, & vertigine, Medico ſuo ordinario longas decantans lamentationes, jubetur venam incidi, ut præcaveret, qui familiæ ſuæ communis erat, morbum attonitum. At ille maluit ſalutis ſuæ omniumque bonorum jacturam facere, quàm ſaluberrimô hôc præſidiô uti. Adeò horruit iſtud, ex terrore â matre in utero incuſſo. Interim Medicus ſuæ opinioni tenaciter inhæret, & *Cyriacus* etiam ſuæ. Qui illius tandem pertæſus ad alium cucurrit, qui eandem repetens cantilenam, vel pereundum ſibi, vel parendum, adeoque extimum in mora periculum, ſeriò pronunciavit. Ille ſacrum inter & ſaxa ſtans, vitæ longioris cupidus, tandem nihil intereſſe ratus, quâcunque arte, ſeu inſtrumentô, vel quâcunque viâ, ſanguis ſibi moleſtior ejiceretur, *monumenta bubula* (Plaut. *Stich. a.*I. *Sc.*II. *v.6.*) ſeu *cenſionem bubulam* (*Aulular. a.IV. Sc.*I. *v.15.*) ſuâ ſponte ſubſtituit. Abdens igitur ſe in eremum domeſticam, *cottabos bubulos* (*Trin. a.IV. Sc.*III. *v.4.*) inſigniter in ſe crepare & ſævire ſivit. Quô exercitiô, motu, & excandeſcentiâ ſanguis non modò ex dorſo prorupit, ſed etiam nares reſeratæ ad horam & quadrantem ferè eundem largiùs fuderunt, ſummâ cum εὐφορίᾳ optatôque levamine, ut nequaquam dubitârit, aſperum hoc remedium ultrò repetiiſſe. Veniens deinde Hirſchfeldiam ad Patrem meum, civem ſuum, inventum hoc ſpecioſiùs commendavit. Rogatus, cur duram & valdè dolorificam iſtam ſelegerit cruentationem? erras, infit, amice; rectrix mundi opinio. Ecce Capuccinos, aliosve ſtrictioris obſervantiæ Monachos, qui ſe ad ſanguinem usque injuſſi aliquando flagellant, & ego, ob tantum lucrum, quod ſanitas eſt, mortuum bovem formidem?

Scorpius *atque* fabæ *noſtra fuêre ſalus.*

Intelligens ſcilicet per *ſcorpiones* flagella, queîs taxilli, uncinuli & aculei ferrei innectebantur, aliis *hamata* dicta, (vide *Dionyſ.*

nyſ. Gothofred. not. ad Leg. 2. ff. de pœn. C. de exaction. Tribut. L. 40. C. de Decurion.) Junio & Vatablo *aculeata*, Lipſiô *L. II. de cruce cap. 11. taxillata*, dequibus poſt alios Excell. Viri Dn. D. *Saubertus*, & Helmſtadienſis & Aldorfinæ Academiæ decus & gloria, in aureola & judicioſiſſima ſua exercitatione academica de *Vulneribus Chriſti §. 124. ſeqq.* & Dn. D. *Caſp. Sagittarius*, in inclyta Salana Hiſt. Prof. inſigniſſimus, Amicus honorandus, in venuſto ſuo de *cruciatibus Martyrum* libello *cap. V. §. 15.* & in diſſertatione de *flagellatione Chriſti cap. I. §. 12.* Horum etiam meminit ipſe DEI Spiritus *I. Reg. XII. 14.* ubi Rehabeam ſubditos ſuos his minis terret: *Pater meus caſtigavit vos* flagellis, *ſed ego vos caſtigabo* ſcorpionibus: Mein Vater hat euch mit Peitſchen gezüchtigt / ich aber will euch mit Scorpionen züchtigen / vertunt Luth. & Piſcator. Per *fabas* verò dubio ſine innuere voluit Terentianas iſtas *Evnuch. a. II. Sc. III. v. 89.* quas Cl. *Taubmann. in Comment. ad Capt. a. II. Sc. I. v. 7.* nervosè & optimè explicuit, inquiens: *Scutica erat quædam corrigia habens in ſummitate nodos quosdam in modum* fabæ, *ſimiles ferè caſtuum. Et erat pœna ſervilis.*

III.
Urina pedicularis.

SUdorem *pedicularem* dedimus in *Faſcic.* II. *Obſerv. Medico-Phyſic. num. 1.* Veſiculas *pediculis* fartas & ventriculo humano annexas monſtrat Cl. *Heurnius cap. VI. de morb. capit.* Lanarius in tumore dorſi ſteatomatis inſtar concreto, ovi columbini magnitudine, & pruritu vehementer laceſſente quàmplurimos *pediculos* albos, parvos pariter & magnos, diu fovit. *Decur. II. Ephem. Curios. Germ. Ann. IV. Obſervat. 13.* Alius cùm longô tempore ſtrumam in collo habuiſſet, neque Chirurgus aliquis curare potuiſſet, ferrô tandem caſu apertus innumeros effudit *pediculos. Foreſt. L. VIII. Obſervat. 15. in Schol.* De abſceſſu in gibbo puellæ *pediculis*

culis referto, *Idem l.c.* Alius per totum dorſum enormem pruritum ſenſerat, veſtibus demùm rejectis ad Vulcanum ſedet, & ecce! veſiculas à calore ignis excitatas, queîs inciſis & apertis innumeri *pediculi* viſi ſunt. Ibid. De cadavere Studioſi undiquaque *pediculis* ſcatente *Möllenbrock. de arthritide vaga ſcorbut. c. III. §. 19. p. 36.* quod de *Anſovino* etiam narrat *Zacch. T. III. quæſt. med. legal. conſil. 74. p. 117.* De pene cum ſcroto à *pediculis* corroſo & conſumto, vide, ſi placet, memorabilem hiſtoriam in *Faſcicul. I. Obſervat. mear. num. 42.* De monſtroſæ magnitudinis *pediculorum* globulo in ventriculo pueri *ictero* laborantis reperto Dn. D. *Hannæus in Med. Septentr. collatit. Boneti L.* III. *Sect. XXI. cap. 9. p. 680.* Adde *Faſcic. I. Obſervat. mear. num. 60.* Scripſit mihi nuper ex Imperiali Nordhuſa Practicus ibi feliciſſimus Dn. D. *Kellner*, Archiater Saxonicus & Stollbergiacus, Amicus optatiſſimus, de urina *pediculari* abs delirante ruſtica Uflerungenſi ſibi oſtenſa, (cujus etiam meminit *Andromachus* noſter *in epiſt. II. ad Priamum p. 15.*) hærens tamen, an verè ſic effuderit, ſeu dolô vel caſu inciderint. Quicquid ſit, ego, quod ſcio, ſubnectam. *Ludovicus* Wieſenklee/ Vir extremè cachecticus, annô ætatis ſuæ 56. circa tempus vernale de torpore & laſſitudine totius corporis conquerens, aliquot diebus, præſertim in aurora, cum urina limoſa, citra moleſtiam, excrevit animalcula cineritii coloris, & planè *pediculiformia*, ſex pediculis inſtructa. Purgatô autem corpore per ἐπίκρασιν antimonialibus & mercurialibus pullulago iſta diſparuit, quod ex ore D. *Johan. Georg. Schmidii*, Practici haud ignobilis, Amici mei ſinceri, refero. Sic memini, Magdalenam, Opilionis in Lengerôden propè Crucisburgum conjugem, contra *arthritidem vagam*, conſiliô barbitonſoris, aliquot auroris *ſeptem pediculos ovinos*, eosque vivos, cum lacte calido, ſumſiſſe, cum aliquali dolorum pauſa. Poſteà verò animalcula hæc partim fruſtillatim cum urina rejecta notavit, ut ipſamet ſeriò quondam narravit. Puella mel aliquando avidiùs devorans, in quod miculæ aliquæ

panis caſu anteà inciderat, tàm *κάτω*, quàm per urinam, multas vivas *formiculas* excreviſſe dicitur. Naſci autem formicas ex melle, cui micæ panis intritæ, vulgi aſſertio eſt.

IV.

Δυςοκία à pomis.

MAla pyraque jumentis mirè gravia eſſe, ſcribit *Plinius L. XXIII. c. 7.* non quòd jumenta edendi deſideriô capta ſudorem emittant, uti opinatur *Schedius C. III. Viridar. Philol. hiſt. 47.* ſed quia exhalationes pyrorum malorumve diverſarum partium ſunt, unde uſu venire auguratur Excell. D. *Sim. Paulli in Botanic. quadrip. claſſ. 2. pag. 127.* ut neceſſariò per aſperam arteriam intromiſſæ ad pulmones jumentorum, dum aguntur onuſta malis pyrisve, vel etiam dum iis onuſtas vehes trahere coguntur, ex parte circulationem ſanguinis prohibeant, quàm laſſitudini ſimilia ſymptomata inſequantur, quod ſequens hiſtoria comprobabit. *Anna Maria* Prümerin / robuſta mulier, quartâ vice tunc in puerperio & ſummis anguſtiis conſtituta, ob frequentiſſimas lipothymias, & reſpirationem valdè difficilem, ſymptomata aliàs ſibi inſolita, ut munere ſuô in enitendo partu parùm, ſeu tamen languidè fungi potuerit, varias tàm Medico, quàm turbæ muliercularum, dedit ſpeculationes eruendæ genuinæ *δυςοκίας* cauſæ, generoſioribus nunc remediis incaſſum adhibitis. Cùm omnia conclamata viderentur, & ſequior ſexus denſiùs conflueret, maritus doliolum, *pomis borsdorfianis* plenum, & abs ipſa *Prümeria*, ut ſanctiùs cuſtodiretur, juxta lectum poſitum, è triclinio tulit, ut viam daret concioni. Quô factô demùm altis ſuſpiriis & gravi gemitu ad ſe rediens illa, tertiâ abhinc horâ bellam puellulam excluſit, adeò ut manifeſtum ſit, poma obicem iſtum poſuiſſe.

V. Epi-

V.

Epilepſia à plumis paſſerum.

CUm paſſeres noxiæ aves ſint, & fruges conſumere natæ, lege cautum eſt in nonnullis Weſtfaliæ locis, ut quilibet paganus, ad imminuendam eorum turbam, certô anni tempore certum occiſorum numerum Sculteto ſuo offerat. Quod cùm fieret alicubi, ipſas aves aſſatas voravit Prætor, conjux verò ejus vittam infantis ſui plumis earum farſit, ut molliùs cubaret, & à frigore defenderetur. Ac quàm terribiles inde convulſiones epilepticæ! Multis fruſtrà adhibitis, vittam puſiunculo adverſam notârunt alii. Quâ demùm rejectâ, ſolô *ſtercore vaccæ nigræ* calcinato, inque aqua florum tiliæ propinato, DEO miſerante, ab interitu redemtus eſt. De caduco ex *cerebro paſſerum* vide *Dec. II. Ephem. Curios. Ann. III. Obſ. 190.*

VI.

Caducus dyſenteriæ averruncus.

FEbrem ab epilepſia curatam & contrà diximus in *Faſcicul. I. Obſervat. noſtrar. num. 29.* cui jungas velim *Thom. Bartholini C. II. hiſt. anat. 68.* Nobilis puellus à *Bilovv*, quadriennis ferè, *dyſenteriâ* nuper correptus, ſummô cum horrore & extremô faſtidiô remedia admittens, aliquandò adeò excanduit, ut in terribilem ceciderit *epilepſiam*, & omnes jam actum & conſummatum clamarent. Verùm, ceſſantibus convulſionibus, puſio etiam abs dyſenteria omninò liberatus, in hunc usque diem bellè vivit, notante D. *Kellnero. Paralyſin* ſolâ irâ curatam novimus, & *contracturam* eôdem affectu ſublatam meminit *Marcell. Donat. hiſt. mirabil. L. VI. c. 5. p. 640.* De magno ſplene, poſt quartanam ab *ictero* ſu-

perveniente feliciter curato, D. *Thom. Bartholin. C. IV. epiſt. med. 14. p. 54.*

VII.
Gangræna à piſo.

NAres in puello *piſo* obſtructas habet Cl. *Blaſius Part. II. Obſervat. Med. 8.* & ſurditatem à *piſo* D. *Dorſtenius in Decur.* II. *Ephem. Curios. Ann.* III. *Obſervat. 62.* De *piſis* in abſceſſu *Borell. C.* II. *Obſervat. 86.* Nobilis Cœnobita fonticulum in dextro pede habebat, quem aliquando inter preces matutinas ille mundaturus, & devotioni fortè intenſior, *piſum*, quod ob amplitudinem foraminis jam altiùs penetrârat, viſum ejus effugiens, in pede reliquit, aliudque huic ſuperaddidit. Priùs ab ambiente & affluente humiditate intumuit valdè, doloresque primò obtuſos, deinde prurientes & pungitivos, cum magna inflammatione peperit. Hanc excepit *gangræna*, quam tamen barbitonſor cataplaſmate ex ſolis *pomis putridis*, cum ſtercore *vaccino* recente miſtis, feliciter pepulit.

VIII.
Sudor verè ſtercoreus.

JUvenis ruſticus è Præfectura *Saltzungenſi* ſuperiori æſtate ex contagio febri malignâ correptus, obtinuit à me Diaphoreticum ex Diaſcord. Fracaſtor. cum Aqua Theriacal Auguſtan. dilutum. Mater ex urbe in villam ſuam reverſa offendit filium ſudore jam diffluentem. Quæ naturam jutura, ocyùs partem dimidiam potiunculæ ei infundit. Largiùs inde ſudor profluxit cum *fætore* prorſus *ſtercoreo*, ut crediſſent inquilini, aliquot ruſticos ſordibus alvinis (ſit honos auribus!) cubiculum replêſſe. Tantum de ſe ſparſit fœtorem juvenis iſte. Es roch tauſend Schock Haar / als wenn ein

Zech

Zech Bauern die Stuben gedüngt hätten / ajebat ipſe pater ægrotantis. Eôdem die extinctus.

IX.

Icterus mammarum.

ADduxit aliquot abhinc annis mulier *Hamelenſis* filiam ſuam ſexdecim ferè annorum ad me, rogans, ut moleſtum pruritum, quem puella jam ultrà menſem circa mammas ſenſerat, convenienti pharmaco tollerem. Do ei Cholagogum ex ſolo Elect. de Tamarind. cum Fol. Senn. Horſt. in juſculo propinandum, unâ cum Diaphoretico. Alterô die, ſumtô laxante, cujus operatio ex voto, circa veſperum denuò me acceſſit, mira referens de inſigni *flavedine* utriusque mammæ cum vicinia, *quaſi crocô eſſent conſperſæ*, ut ipſa loquebatur, reliquô corpore nitorem ſuum ſervante, imminutô tamen pruritu. Ne perturberis, dixi, ſudor, quem imperavi, colorem iſtum facilè abſterget, uti factum. Notabile tamen, materiam iſtam bilioſam, circa *mammas* tantùm collectam, *croceô* colore eas tinxiſſe ac pinxiſſe, reliquô corpore intactô.

X.

Scybala alvina per vulvam rejecta.

COnſultiſſimus & candidiſſimus D. *Erneſt.* Stage / JC. curioſisſimus Europæ & Indiarum perluſtrator, Amicus, dum viveret, dexterrimus, ſanctiſſimè mihi affirmavit, ſe vidiſſe mulierem valdè cholericam, quæ, poſt ſuperatam tertianam, ad extremam maciem devenerat, & ſemper de intolerabili acrimonia & intenſo urinæ calore ac fecum alvinarum, quoties emitteret, conquerebatur, ut etiam ad cohibenda excrementa & præcavendos dolores, omni ferè

cibô

cibô potuque famelica abſtineret. Tandem ſupervenit diarrhœa, quam cùm intempeſtivè reprimeret, irritata natura omnem impuritatem, κάτω aliàs eliminandam, magnô impetu per *pudenda* eructavit. Tertiô die deceſſit. Similem ferè narrationem habet *Amat. Luſitan. C.*II. *curat. medicin. 10.* de nobili Matrona, quæ cùm per quatuor annos, citra dolorem & moleſtiam, cum lotio & ſtercore ſanguinem emiſiſſet, tandem corroſis perforatisque inteſtinis, multis annis excrementa per *vulvam* rejecit. Conf. *Schenck. L.*III. *Obſerv. 258.* & *Bartholin. C.*II. *hiſt. anat. 63.*

OBSERVATIONUM MEDICO-PHYSICARUM

DECAS II.

I.

Vulgi experimenta non ſemper deliramenta.

C. *Plin. Secund. L. XXIV. Hiſt. nat. c. 1.* cùm latiùs recenſuiſſet medicamenta domeſtica, quæ ſola Naturæ placuerat eſſe remedia parata vulgo, inventu facilia, ac ſine impendio; addit: *Fraudes hominum & ingeniorum captura officinas invenêre iſtas, in quibus ſua cuiq; homini venalis promittitur vita. Statim compoſitiones & miſturæ inexplicabiles decantantur. Arabia atq; India in medio æſtimantur, ulceriq; parvo medicina à rubro mari imputatur, cùm remedia vera quotidiè pauperrimus quisq; cœnet.* Et Platoni medicina quò *ſimplicior*, eò *melior* erat. Non enim qui multa pompoſa & exotica, ſed qui utilia & appropriata tibi dede-

dederit, plauſum meruit & Æſculapii gallum. Hûc laudabile ſtudium ſuum contulit D. *Daniel Ludovici*, Aulæ Saxo-Gothanæ Medicus, Amicus, dum viveret, ſincerus, in judicioſisſimis & aureolis diſſertationibus de *Pharmacia moderno ſeculo applicanda*, quæ candorem ſpirant & experientiam Viri. Quid non præſtant aliquando ſimpliciſſimæ animæ, quas ſola neceſſitas, & curta domi ſupellex, optimam edocuit Artem? Ecce hiſtorias! Villica *Megafurrhenſis* hâc ipsâ ætate unà cum filia graviter *dyſenteriâ* decumbens, veterem fumoſamque *tabaci* fiſtulam in ſubtilem pulverem redegit, eumque cum recente lacte calido hauſit, à quo utraque in integrum reſtituta, notante *Kellnero* noſtro. Idem *difficilem auditum* ſolâ pinguedine *anguillæ*, cum felle ejus remiſta, & goſſypio parti affectæ applicata, intra triduum in puella Northuſana emendavit, ut promtè & acutè jam audiat. Puellus biennis *araneum* mediocris magnitudinis, peni ejus fortè inſidentem, manu comprimit. Ex quo membrum puſionis ſubitò inflammatum, ad craſſitiem quatuor digitorum intumuit, ex fuſco rubicundum, exceptô eô locô, quô hæſerat aranea, qui canduit, humiditate aliquâ exſtillante. Vocatus in conſilium *Kellnerus*, juſſit folia *plantaginis* in aceto non admodùm acri cocta imponi. Ob dolorem verò, quem creârat, parentes ocyùs removêre, & contra ſolô juſculô, ſeu decoctô, (cùm intumeſcentiam inde diminutam cernerent,) locum affectum crebriùs foverunt, ſicque intra triduum puſio ab omni queſtu & dolore liberatus eſt. Alius miris ſymptomatibus mirè cruciatus, imò à plebe pro *faſcinato* habitus, ſolô *lacte caprinô*, in quo *allium* ebullierat, ſumtô, ultra octoginta excrevit vermes, bellè adhuc valens. Civis Iſenacenſis in regione hepatis diu geſtârat *tumorem* valdè *dolorificum*, magnitudine ovum anſerinum ſuperantem, quem crudo & recenti ovi vitello, adjectô pugillô ſalis culinaris, ſuſtulit. Idem experimentum in ſimili caſu fauſtè crebriùs uſurpatum probatumque novimus. Honeſta femina in gravi *tumore*, & flammante

mammarum dolore, nec non *lacte coagulatô*, multis fruſtrà adhibitis, ſequenti cataplaſmate omnia pepulit ſymptomata: ℞. Sterc Vaccin. recent. Album. Ovi, Fuligin. & Fl. Chamomill. F. Cataplaſm. Alius, urgente dirâ fame, cum ſocio ſuo integram amphoram *cucumerum crudorum* plenam aliquando comedens, lympham ſuperbibendo, nihil doloris, nihil incommodi ſenſit, ſedali verò in funeſtam *choleram* truſo, quam ſolâ placentâ è *Roſis rubris*, *Abſinthio*, *&* *Mentha criſpa* confectâ, acetoque aſpersâ demulſit. Alterô die prandium parabant *auſtera pyra ſilveſtria*, quæ flebilem circa veſperum parturiêre *colicam*, quam tamen villica ſolâ *Chamomillâ* vulgari, non in vino, (ut doctiſſimus *Paulli* commendat *in Bot. quadrip. claſſ.* III. *p. m.* 253.) ſed lacte cocta, & calidè propinata feliciter abegit, alvo egregiè ſoluta, & flatibus catervatim exploſis. Alius in *icterum flavum* incidens, cinere *galguli* cum decocto *buxi* eum abſterſit. Num avi ſeu buxo bonum iſtud factum imputabimus? de poſteriori fidem mihi facit *Foreſt. L. XIX. Obſerv. 19.* ubi cognata ejus, ſine aliis remediis, ſolô iſtô decoctô, in ſero lactis ſumto, ab hoc affectu redemta eſt. Addo meæ ſimplicitatis ſpecimen. Venit ſuperiori vere ad me ruſticus Eichsfeldiacus, *Petrus* Schäfer/ Vir viginti octo annorum, ex inveterata *quartana* in incipientem *hydropem aſciten* lapſus. Visô primùm homine, & conjunctô iſtô Medicorum ſcandalô catiùs expensô, vix aliquid ſpei ſupereſſe rebar, ſingulari tamen boni Viri in me fiduciâ commotus, & raræ fauſtæque curationis ARGI noſtri, Fautoris & Amici honoratiſſimi, *Dec.* II. *Ephem. Curios. ann.* III. *Obſervat.* 110. memor, præmiſsô laxante, diebus intermiſſionis manè ac veſperi de *Spiritu Salis coagulati Mynſichti* cum Aqua Abſinth. Agrim. & Spiritu Fl. Samb. gr. xij. dedi: ipsô autem acceſſionis die, novem decemve ante paroxyſmum horis, ex ſola Jalappa cum Cryſt. Tartari & Tart. Vitriolat. pulviſculum, à quo largiter & cum εὐφορίᾳ evacuatus. Unâ verò ante inſultum febrilem horâ ſumſit remedium meum antiquartanarium, ſim-

ſimplex, tutum & certum. Et tertiâ vice hôc repetitô, febris ceſſit, hydrope etiam poſteà, inquilinis maximè auxiliis, DEI gratiâ, profligatô. Magna ſalutis ſpes in *purgantibus*, ipsô acceſſionis die, experientiâ *Amat. Luſitani C.* I. *curat. 8.* & inſignis *Timæi à* Güldenklee *L. VIII. caſ. med. 19.* circumſpectè datis, (temeritatem enim, ſeu exceſſum, quis laudaverit, quâ de *Borell. C. IV. Obſervat. 33.*) ut mirer, *Frid. Hofmann. L.* I. *M. M. c. XIX. p. 374. è Williſ. Lib. de febrib. c. IV. p. 149.* apertè ſcripſiſſe; *ne hilum ea valere.* Ego ſanè in omni quartana (multas autem, crede mihi, curavi feliciter,) ex voto ſemper purgantibus uſus ſum. Sartor quidam ex ſcorbuto *paralyticus*, conſiliô Eccleſiaſtis (qui id ex *Botan. citat. Paulli Claſſ.* II. *p. 157. ſeq.* aut *Decur.* I. *Eph. Germ. Curios. Ann. IV. Obſerv. 123.* hauſerit,) ſolô infusô, ex Fol. Meliſſæ, Trifolii fibrini & baccis Juniperinis parato, ac per tres hebdomadas, ter in die, uſurpato, integrè ſibi reſtitutus, quod ex ore ejus recito. Villica nobili feminæ nuper ad expellendam *ſecundinam* præſentaneô cum effectu dedit vinum, in quo folia Pulegii & Artemiſiæ ebullierant, adjectô tantillô croci. Suborta puerperæ in læva mammilla *verruca*, quæ ſenſim ad magnitudinem & craſſitiem ceraſi creverat. Hanc vetula ſolô *cinere Corticum Salicis* in aceto maceratô & impoſitô brevî ſuſtulit. Matronæ alii alvum in *ſextum & decimum* diem inſigni cum moleſtia ſuppreſſam Ludimoderator paganus ſolô *ſerô lactis caprini* liberaliùs datô ex voto recluſit. Portenti inſtar hanc alvi pigritiem habuit turba noſtra, neſciens, in *quartum* & *vigeſimum*, in *quadrageſimum quintum* usque diem, *Rhod. C.* II. *Obſervat. 81. Salmuth. C.* III. *Obſerv. 26. Donat. L. IV. c. 10.* in *tertium* Panarol. *Pentec.* I. *Obſervat. 1.* & *ſextum* menſem, *Salmut. C.* II. *Obſervat. 98.* imò *ſeſquiannum* Salmut. C. I. *Obſervat. 24.* pauſam aliquando feciſſe. *Serum* verò *caprinum* in tali caſu optimum, quô optatô cum ſucceſſu etiam uſus eſt *Donadonus*, teſte D. *Moinichen* in *Faſcic. Obſervat. Medic. num. 5.* Dederat nuper Medicaſterculus honeſto Viro *pilulas cephalicas* à paſtu veſper-

ſpertino, quæ cum cibis, quos corruperant, commiſtæ, officii ſui oblitæ, pertinacem creabant *colicam*. Vocatus Licentiatus aliquis, adhibuit clyſmata, & alia multa ſine effectu. Advenit tandem decrepita anus, quæ ſolô *ſtercore anſerino*, in Spiritu vini aduſti maceratô, & propinatô, bonum civem ex orco redemit. Viliſſimum quidem, at egregium, remedium, & omni ferè Medicorum pompæ hoc in caſu præferendum, teſte etiam *Purmanno P. IV.* des wahrhafftigen Feldſcheerers *cap. XIV. p. 297.* Nuper *podagricus* dolores ſuos ſolô pulvere *alabaſtrino* compeſcuit, quod etiam *Kellnerus* meus duobus exemplis confirmavit. Ruſtica Thuringa in encæniis anniverſariis hoſpites & amicos, more Majorum, benignè exceptura, pridiè in urbe ollas & carnem coëmerat. Circa veſperum in villam reverſa, fercula in olla macerat, & linteô operta in arca domûs reponit. Alterô die in eadem aqua coquit, & ſuô tempore menſæ infert. Vorant ruſtici cupidè de omni periculo ſecuri. Mox verò alter tormina ventris ſentiens, alter ſeceſſum quærens, tertius de vertigine, lipothymia, & dolore capitis conquerens, carnem hoſpitamq́ue omnibus diris devovent, feſtivitate pagana mirè turbatâ. Illa nihil ſibi conſcia, vicinas aliquot convocat, quæ eundem emerant vervecem. Hæ ſalubritatem carnis prædicantes, abſtruſiorem cauſam ſubeſſe unô ore clamitant. Interim puella novem annorum in concionem prodit, ſeq́ue heri *lacertam* propè ollam conſpexiſſe affirmat. Tunc ſcivêre, unde iſtæ profluxerint lachrymæ! Quis enim dubitet, beſtiolam iſtam carnem polluiſſe, unicam tragœdiæ hujus fundatricem. Balneator, qui tunc præſtò erat in pago, datô ſingulis emeticô, decoctum fecit ex Radicibus *Plantaginis*, *Allio*, *Abſinthio*, *Card. bened. & Veronica*. Quô ſudor propulſus, ipſiq́ue ſervati ſunt. Adde luctuoſam cataſtrophen, quam ὁ ἀθανάσιος *Kircher. de Peſte Sect. II. c. 2. p. m. 207.* refert de Monachis, intra viginti quatuor horas ad unum extinctis omnibus, incuriâ coci, qui carnes coxerat in lebete immundo, in quem *bufo*, pinguedini inhians, noctu irre-

irrepſerat, ſuôque venenô infecerat. Dabat mulier Crucisburgica liberis ſuis lac pro jentaculo, quod *cattus* anteà halitu ſuô perniſioſiſſimô conſpurcârat, idque prægustârat, at quàm varia inde ſymptomata, ut puerulus adhuc notavi. Sic *Matthiolus Comment. in Dioſcorid. Lib. VI. c. 25.* ſcribit: In Monaſterio quodam, ubi permulti *catti* familiariter alebantur, & in cœnaculis cubiculisque & lectis frequentes erant, adeò pleroſque infectos eſſe, ut brevî nec miſſa, nec veſpera in eo ampliùs decantaretur. Sed manu ſerendum eſt, non totô ſaccô. Interim æqui bonique conſules, Amice Lector, hanc diſſertatiunculam noſtram, & certò mihi credes, in nulla re curioſiùs & ſublimiùs oſtendi poſſe ingenium, quàm in ſcrutinio Medicinæ domeſticæ, in qua præſentiſſimum DEI digitum & myſteria Naturæ, omni hymno majora, in piâ ſimplicitate miraberis. Nec pigeat aliquando (ipsô monente *Hippocrate*) ab idiotis requirere, quod uſui eſſe poteſt. Interdum enim & olitor opportunè locutus eſt.

II.

Mammæ ad phaſes Lunæ auctæ & minutæ.

CErebrum adoleſcente Lunâ augeri, ſeneſcente minui, multorum opinatio eſt, quam *Philipp. Salmut. C. I. Obſerv. 72* exemplô declarat. At vix credibile videtur Cl. *Mæbio Fund. Med. Phyſiol. cap. XXI. p. 591.* Sanguinem verò Lunâ plenâ vel nonnihil augeri, vel ſpirituoſiorem fieri, ut vaſa magis repleantur, ac diſtendantur, & per iſta cerebrum magis intumeſcat, nullum dubium eſt. Luna quippe humorum rectrix. Honeſtæ, formoſæ & robuſtæ Virgini A. T. S. quoties ante plenilunium ordinariè fluxus manabat menſtruus, *mammæ* notabiliter flacceſcentes detumeſcebant. Ceſſante verò flumine iſtô, manifeſtè rurſus attollebantur in juſtam ſuam molem & tumorem. Mater, faceta matrona,

ſæpiùs dicebat: Die Düttchen hebben die Ebbe und Fluth/ i. e. Euripi inſtar creſcunt & decreſcunt.

III.

A cochleis αἱμωδία.

P*Atres comederunt omphacem, & dentes filiorum obſtupuêre*, eſt queſtus ſancti Vatis *Ezech. XVIII. 2.* quô de diſſertationem inauguralem ſuam Jenæ habuit D. *Philipp.* Müller/ Theolog. ibid. PP. Honeſtus civis Crucisburgenſis filium ſuum novennem, quem unicum habebat, manuduxit in vineam, ut pro lubitu & ad ſatietatem uvas decerperet. Transactis aliquot diebus puer de gravitate, etiam roſione, ſtomachi queri cœpit, ſuccedente cibi faſtidiô & vomitu crebriori maximè acidô, quem tantus αἱμωδιασμὸς, cum perpetuo *algore* & *ſtridore dentium*, excepit, ut nullum omninò cibum commaſticare quiverit, ſed lachrymas inter & ſuſpiria ultra duas hebdomadas famelicus in angulo ſederit. Tandem pater ei dedit Pulv. Rhabarb. gr. xxiv. A quo ſolo quinque *cochleas* minores (kleine bunte Schneckgen/) quarum duæ, teſtis ſuis verſicoloribus adhuc incluſæ, unà cum multa ſentina phlegmatica acida fracidaque ἄνω rejecit, αἱμωδία pedetentim cum algore & ſtridore declinante. Quis dubitat, puerum hunc ſimul, ex jure hæreditario, mali hypochondriaci fuiſſe ſtipendiarium. Talibus autem ſtupor iſte familiaris, teſte *Binningero Cent. IV. Obſ. 7.*

IV.

Thuringia Scorbutica.

Ad Amicum.

NOn ſemel indignatus ſum Thuringis meis, quòd ſinguli ferè de *Scorbuto*, qui totam vexat patriam, prolixiſſimas nectant querelas, & tamen vexatio iſta non

dede-

dederit intellectum, quò verſutiſſimum hoſtem, etiam cùm poſſint, effugiant, aptisve præſidiis, domi paſſim obviis, & meliori conſuetudine impetum ejus frangant. Sic nemo læditur, niſi à ſe ipſo. Infans autem eſt, qui vetuſtiſſimos monſtri πεντηκοντακεφάλε natales vel neſcit, vel negat. Siquidem Venerandus Senex noſter modò ſub *magnis ſplenibus*, modò ſub εἰλέω αἱματίτη accuratiſſimè & luculentiſſimè deſcripſit, ceu patet ex *L. II. prædict. c. 42. t. 1. ſeq. Lib. de intern. affect. c. 34. t. 1. ſeq. & c. 49. t. 5. ſeq.* Arabiæ ἐπιχώρειον fuiſſe, teſtatur *Strabo Lib. XV. Geograph.* qui expreſsè στομακάκης & σκελοτύρβης meminit, quarum illa circa *os*, hæc verò circa *crura* reſolutio quædam eſt, ἐκ τε τῶν ὑδρείων καὶ τῶν βοτανῶν. *In Germania trans Rhenum* (infit Plin. L. XXV. c. 3.) *caſtris à Germanico Cæſare promotis, maritimò tractu fons erat aquæ dulcis ſolus, quâ potâ intra biennium dentes deciderent, compagesq; in genibus ſolverentur.* Stomacacen *Medici vocabant &* Scelotyrben *ea mala.* Et *Paulus Ægineta* ſocium hunc ſatis depinxiſſe mihi videtur *L. III. c. 49.* Quid? quod etiam in ſacro Volumine haud obſcura ejus veſtigia cernes, in puero ſcilicet, ſeu filio iſto Centurionis Capernaitici *Matth. VIII. 6.* Hunc enim non ſimplici paralyſi, quâ cæteri apud *Matth. IX. 2. Marc. II. 3. Luc. V. 18.* cùm doloris expers ſit, ſed *ſcorbuticâ* cruciatum fuiſſe, ipſi queſtus Centurionis evincunt, ajentis: ὁ παῖς μου βέβληται ἐν τῇ οἰκίᾳ παραλυτικός, δεινῶς βασανιζόμενος, und hat groſſe Qual/ vertit *Luth.* ὁμόψηφον habeo V. Cl. *Mollenbroccium in proœm. tract. de arthritide vaga ſcorbutica p. 6. ſeq.* Nec *Bartholinus* noſter dormitavit, cùm Jobum quoque *ſcorbutô* affectum ſcriberet in *tract. de morb. biblic. c. VII. pag. 50.* ut certum ſit, antiquiſſimum morbum eſſe ſcorbutum. Nec χθὲς καὶ πρώην hoc malum è Septentrione, & locis, quæ mare lambit Balthicum, ad nos migravit, ſed, ſi credimus *Cyriaco Spangenbergio Chron. Saxonic. cap. 343.* & *Johan. Binharto Chron. Thuringiac. L. III. p. m. 25.* circa An. 1486. Canicula (ut apologus habet apud Epitomatorem Trogi *Lib. XLIII. cap. 4.*) partu gravida locum

à pa-

à paſtoribus aliquando precariò petiit, in quo pareret; quô obtentô, iteratò petiit, ut ſibi educare eodem in loco catulos liceret: ad poſtremum adultis illis fultam domeſtico præſidio proprietatem loci ſibi vindicavit. Non aliter *ſcorbutus*, advena olim & peregrinus, nemini adeò moleſtus, mox inquilinus, nunc verè germanus noſter, imò flagellum provinciæ factus, virus ſuum longè latèq́ue evomit, nulli ætati, nulli ſexui, nulli ordini parcens. Hic Vertumnus tam callidè ſcenæ ſervit, ut integras aliquando ædes populetur, nec tamen Medentes nec languentes præſentiam ejus ſuſpicentur. Næ nullus ferè naſcitur morbus, cui fermentum ſuum non aſpergat volubilis iſte Proteus. Hinc niſi præſidia antiſcorbutica tu ſimul innectas, vix quenquam feliciter expugnabis. Ideò *Joh. Freitag C. I. Obſervat. 99.* ex mille Medicis ne *ternos* quidem inveniri putat ſcorbuti *ſat* gnaros, utut ſe fingant Æſculapios. Ergo, cenſurâ Ejus, *tanta ægrotorum ſtrages, tanta mortalitas, tanta Archiatrorum, nedum gregariorum, errata.* Et Cl. *Winklerus*, Electoral. Med. Brandenburg. Fautor & Collega Curioſus, *Dec. I. Ephem. Germ. Curios. Ann. VI. Obſervat. 99.* Medici nomine hunc indignum prorſus judicat, cui in praxi ſua negotium non fecerit ingratiſſimus iſte hoſpes. Quem licèt furcâ expuleris, tamen usque recurret. Sed unde, rogas, iſtæ lachrymæ? monſtrabo tibi fontem. Induimus eheu! hanc maledictionem ſicut veſtimentum, quô operti ſumus: intravit in interiora noſtratium ſicut aqua. Quod ſi diffiteberis, ecce! puſiones noſtros, ſpem, decus, & futurum patriæ robur. Annon ex vitioſo & lue ſcorbuticâ maximè corrupto utriusque parentis ſemine plerique concipiuntur & naſcuntur? annon tàm in, quàm extra uteri carceres, lambunt ſpurcitiem iſtam? annon cum lacte materno imbibunt virus hoc exitiale? quod pari rivulô in pauperum tabernas Principumq́ue turres dimanat, & ſceptra ligonibus æquat. Paucas mihi dabis nutrices, abs hac labe prorſus exemtas, utut facies ſpecioſè mentiatur, & adhuc roſas ac lilila

ſpiret.

ſpiret. Fronti nulla fides. Ergo ne crede colori! Cæterùm grande cordolium & ſudes mihi in oculis, ſi matres, à plebe remotiores, pietatis & officii ſui oblitæ, optima viſcera ſua vel meretricibus, urbium purgamentis, vel (ſi catiores eſſe velint,) rugoſæ muliercularum turbæ tutò committant, in quarum amplexibus & fœdô contuberniô halitu, contactu, oſculis & concubitu peſtis hæc omni momentô in tenella corpuscula diffunditur. Quæ ut citiùs adoleſcat, egregiè ſe patrâſſe autumat Collegium iſtud anilitatis, & ſpartâ ſuâ fideliter functum, ſi alumnulis ſuis cibos præmanſos, & jam ſalivâ ſcorbuticâ inſigniter fermentatos, tetramque mephitim ſpirantes, invitis etiam, & averſo nonnunquam vertice, ac manantibus genis ſentinam hanc averſantibus, (horrendum viſû!) manu infarciat, ex quo ἴλιας κακῶν, vix cruentis lachrymis extinguenda. Adultiores demùm inter perpetua corrumpuntur contagia, paucis id ſeriò animadvertentibus. At quid de ſcortis fabor aut aniculis? ipſæ matres, parvæ & amplæ, in eodem luto hærent, & ſimilia patrant. Sic ſeculum eſt! Ἐνδήμιος hodiè Thuringiæ ſcorbutus, quid ampliùs requiris? cùm naſcimur, ſimus ejus ſtipendiarii. Quid frontem corrugas, Amice? Utinam verò & millies ô utinam frugalitatem, optimam tàm longæ, quàm tranquillæ vitæ, genitricem & conſervatricem, civibus meis inſtillare quirem, vah! quam lauream, ſeu quem currum triumphalem ego cum hac gloria commutarem? Ingluvies omnium morborum matrix & nutrix, & elegans vitæ brevioris compendium. Adde ciborum copiam, & varietatem, ac longiorem ad menſam accubitum, quô ut nihil hodiè familiarius, ſic nihil peſtilentius. Hoc otium ſcorbuti pulvinar eſt, quô an gratius quid ipſi fecerimus, ambigo, ſed cum interitu noſtro. Speculare ruſticos & milites, pugiliter plerumque viventes. Unde hoc privilegium? potiſſimùm à brevi frugalique diæta, quam res domi anguſta iis imperat, & improbô, qui omnia vincit, labore. E tripode *Plinius L. XII. cap. 53. Simplex,* ait, *cibus homini*

mini utiliſſimus, acervatio ſaporum peſtifera, & condimenta perniciosiora. Hinc *Antiphanes* Delius Medicus apud *Clement. Alexandrin. L.I. Pædag. c. 1. varietatem ciborum* (diversæ putâ ſubſtantiæ) vel *unicam morborum cauſam* rectiſſimè proclamat. Priſca, quam auream diximus, ætas, ob victûs ſimplicitatem, ad ſanos, robuſtos & multos ſurrexit annos. Benè igitur Vates *Bilbili* natus *L. X. epigr. 47.* inter ſubſidia vitæ beatioris refert *convictum facilem, & ſine arte menſam.* Si in unam eandemque ollam ſimul conjiciam bubulam, ſuillam, agninam, vitulinam, cervinamque carnem, lucios, cancros, butyrum, caſeum, poma, vinum, cereviſiam, dicens: Venite, vos Studioſi culinæ; videte & guſtate! quàm ſuavia hæc ſunt miſcellanea! quàm delicata fercula! Quid vos ad hæc? alter, credo, ſpueret in me, alter pelvim poſceret. Omnes crucem mihi figerent. Talis latrina ventriculus ſimplicitatis neſcius. Vah! quàm bella animalcula naſcuntur ex ingluvie! vade modò in aulas Principum, & videbis integrum noſocomium, cachecticis, hydropicis, arthriticis, nephriticis, & ejusmodi tumuli Candidatis, repletum, ob ſolam intemperantiam, & ſtultum ſimplicitatis faſtidium, tantis cruciatibus plexis, à quibus tenuioris fortunæ homunculi, queîs paternum in tenui menſa ſplendet ſalinum, & quibus DEUS parcâ, quod ſatis eſt, dedit manu, perpetuò, ſeu tamen plerumque, immunes ſunt. Memorabiles hujus rei hiſtorias dabit *Thom. Bartholinus C.V. hiſt. 28.* & *Petr. Laurenberg. C.I. Acerr. philolog. hiſt. 57.* ut ſexcentas alias tranſiliam. Sic de Eſſenis ſcribit *Joſeph. L. II. de bello Judaico c. 7.* eos, ob ſimplicem victûs rationem vitamque benè ordinatam, longiſſimam vixiſſe vitam. Τὰ ἀνόμοια ςασιάζει, ait Cous, *diſſimilia cient tumultum,* h. e. interprete Venuſinô Poëtâ *L. II. Sat. 2.*

— — — — *variæ res*
ut noceant homini, credas, memor illius eſcæ,
quæ ſimplex *olim tibi ſederit: at ſimul aſſis*
miſcueris elixa, ſimul conchylia turdis,

dulcia

dulcia ſe in bilem *vertent, ſtomachoq́ tumultum*
lenta *feret* pituita. *Vides, ut pallidus omnis*
cœnâ deſurgat dubiâ, quia corpus onuſtum
heſternis vitiis animum quoq́ prægravat unà,
atq́ affigit humo divinæ particulam auræ.

Syracides cap. XXXVIII. v. 33. ſeq. ita: Viel Freſſen macht kranck / und ein unſättiger Fraß kriegt das Grimmen. Viele haben ſich zu tode gefreſſen / wer aber mäſſig / lebt deſto länger. Adde cap. XXXI. v. 23. ſeq. Cur verò ſplendidas inter & primarias patriæ conſuetudines hodiè referimus in una eademq; menſa *piſcium* & *carnium* mixturam? catius ſanè actum foret, ſi cum Monachis, aut priſcis Borealibus, alios dies carnibus, alios piſcibus dicaremus. Non benè enim conveniunt, nec citra noxam, in uno ſtomacho ſimul morantur. Subolfacientes hunc ſcopulum delicatuli, vinum Rhenanum ſtrenuè ſuperbibunt, rentes, tunc ſe omnes compoſuiſſe fluctûs. At ex Charybdi labuntur in Scyllam. Vinum iſtud vim habet diureticam, ideò cibos nondum perfectè coctos, piſciumq; particulas crudiores, ad vias urinarias ocyùs deducit, unde pertinaces obſtructiones. Doctiſſimus *Sackſius*, Fautor meus, dum vixit, ſincerus, *L. II. Ampelograph. Sect. VI. Membr. II. pag. 312.* ob eandem vim publicè ea commendat, ſcilicet quòd tartaream expurgent ſaburram. Si ſuô tempore id fiat cum εὐφορίᾳ, cum Cl. *Hofmanno L. I. Meth. medend. c. XII. p. 181.* maximè probo, aliàs incidit iſtud *Syracid. XXXIV. 21. unus ædificans & unus deſtruens, quid prodeſt illis, niſi labor?* Peccant etiam, qui poſt cœnam aquas generoſiores, quas κατ' ἐξοχὴν *vitæ* appellamus, ſeu ſpiritum vini, pro coctione duriorum ciborum, bibunt, eandem ob rationem, ut doctiſſimus *Primeroſius L. II. c. 13.* praxin hanc meritò inter *errores vulgi* retulerit. Sordida etiam & pernicioſa conſuetudo, quòd ex uno cantharo, plerumque ſtanneo, ſeu urceo, vel poculo, ſinguli bibamus. Non commodiùs propagâris μίασμα ſcorbuticum, quàm mediante halitu & ſalivâ, quæ ſem-

per vaſi adhæret, & in orbem lingitur. Conſultius & pulcrius ſuum cuique dare ſcyphum vitreum, eumque ſæpiùs lymphâ eluere. Unde verò hic profluxerit ritus, quòd *butyrum* demùm in ultima apponamus menſa, ariolari nequeo. Rectiùs & ſalubrius ab eo principium. Cùm enim læviget, lubricet, abſtergat, laxet ventriculum, faciatque, ut citra moleſtiam extendi queat, jure primâ occupet ſubſellia. In fine paſtûs, ſtomachus conſtringendus eſt, ut rem ſuam agat feliciter. Contra rationem igitur, nec cum ſanitatis cuſtodia contrarium ſequimur. Butyrum enim, in fine prandii cœnæve ingeſtum, laxando ventriculum, vaporum elevationem promovet, & concoctionem, ſeu fermentationem, notabiliter turbat & impedit. Hinc regula Mœbiana *L. II. Inſtit. Medic. P. II. c. IV. p. 107. Ventriculo* imbecilliori *præditi* butyrum *aliaq; pinguia*, in principio *cœnæ vel prandii, non in fine, ſumant*. Eandem ob rationem placuit mihi Borealium mos, qui aſſata ſua butyro perfuſa in principio apponunt, nunquam in fine. Hæreo etiam, an ſanitati expediant crebriora juſcula, à quibus ferè ſemper ordimur prandium. Et iſta à coquis & matribusfamiliâs halitu ſuô fœdè conſpurcata ſunt. Vitioſa & ſcorbutica ventriculi conſtitutio ſemper madorem aliquem ſtillat, quem ut toties induſtriâ augeas, num tibi videtur conſultum? idcircò *aſſos* potiùs, quàm elixos, piſces, ſemper probavi cum Heroibus iſtis Homericis, cum quibus ipſe fecit Salvator *Joh. XXI. 9. Luc. XXIV. 42.* Apage verò dulce iſtud Sal, quod ſaccharum vocant. In ſcorias enim non ſolùm abit ſalibus affines, in ſcorbuticorum corporibus latitantes, ſed & lieni inimicum eſt, humores fermentat, bilem movet & auget, multasque obſtructiones gignit. Quid ergò tanti pœnitere emis? nec ſyrupos, nec conſervas, ex eodem conflatos, tutò exhibebis ſcorbutico. Præſtant *cæleſtia dona, IV. Georg. v. 1.* ſeu *nectar* iſtud *dulce I. Æneid. v. 437.* mel ſaluberrimum, ſeu alimenta ſpectes, ſeu medicamenta. Ringentur equidem noſtrates talia legentes, cùm & apud ipſos in

pro-

proverbium abierit: nihil ſaccharô fieri deterius. At, crede mihi, latet anguis in herba. Optimum & univerſale condimentum noſtrum, quô putredinem caſtigamus, *Sal*, τὸ θεῖον, iſtud Homericum, teſte *Plutarcho Lib. IV. Conviv. quæſt. 4.* καὶ τὸ θεοφιλέστατον illud Platonicum. *Sole* enim & *Sale* nihil in mundo magis proficuum eſt. *Plin. L. XXXI. 9.* Reliqua aromata largiuntur horti & campi noſtri, e. g. Salviam, Thymum, Majoranam, Hyſſopum, Rorismarinum, Petroſelinum, Sinapi, Baccas Juniperi, Semen Carvi, Fœniculi &c. quæ prudenti ſufficiunt, utpote palato ſanitatique noſtræ gratiſſima. Exotica inflammant, non nutriunt, & temperiei noſtræ è diametro adverſantur. Nec *triticum* ego facilè præferam ſecali, cùm illud viſcoſitate ſuâ obſtructiones in meſenterio pariat, & augeat, ideoque hypochondriacis hoſtile ſit, inprimis ſi placentæ, aliave gulæ irritamenta, ex eo fingantur, additis ovis, lacte, butyro. Quantus inde ventriculo tumultus! dulcia quippe in bilem, acida & frigida in pituitam, craſſa terrenaque in melancholiam tranſeunt. Prudenti pauca! Ut verò ciborum, ſic quoque medicamentorum ſimplicitatem conſtanter probo, omnibusque ſanitatis amaſiis ſeriò commendo. Ἡ ἀρχαία ἰατρικὴ, ut Homeri σχολιαστὴς innuit, ἐκ βοτάνης ἦν: *medicina quondam paucarum herbarum ſcientia erat*, explicat Seneca. His priſci vivebant contenti, glorioſi morborum ſuorum averrunci, ut de Ægyptiis refert *Conringius L. I. Hermet. Medic. c. 2. edit. prim.* & de Borealibus ſuis cordatiſſimus ac æquiſſimus domeſticarum rerum cenſor *Thom. Bartholinus*, Præceptor deſideratiſſimus, qui ſæpiùs optavit cum Empirico Fioravantio ſe Papam, vel Imperatorem, ut interdicto publico exoticarum herbarum prohiberet commercia. Sinceré & ſeriò: noſtra nobis fert omnia tellus. Omnia, dixi, nec unquam hoc mutabo verbum. Finge enim mihi, ſi potes, aliquid, quod vel ad tuendam, ſeu reſtaurandam ſanitatem utile ac neceſſarium judicent æqui & prudentes, idque non abundè fertiliſſima Germania (ferè di-

xerim quælibet ejus provincia) bonâ fide & officioſâ manu ſubminiſtret. Deſiderat fortè hoc iſtudve tua, ſeu aliorum, veſania? agè, ſubſtitue aliud æquè ſalutare, & catè ſupplêſti defectum, citra injuriam ſaluberrimæ Artis, citra diſpendium ſanitatis, cum eximio nominis tui magmento.

— — *Huc parvi properemus & ampli,*

ſi patriæ volumus, ſi nobis vivere cari. Horat. I. epiſt. 3.

Pudeat nos carioſa Orientis ſpolia, & putres Ægypti quisquilias, tantô labore, tantô periculô, tantô ſumtu advehere. Quòcunque oculos torſeris, ampliſſimum occurret pharmacopolium in montibus & vallibus, in ſylvis & dumetis, in paſcuis & pratis, in agris & campis, in terra & aqua, in hortis & vineis, in ſtabulis & fimetis. O ter & ampliùs felices nos, modo αὐτάρκειαν & φιλοπονίαν arctiùs complecteremur! Hæ enim ſunt anſæ pacis ac ſalutis noſtræ. Utinam ſciremus bona noſtra domi nata trium vaſtiſſimorum Regnorum Domini. Quid quærimus ultra? Amabò, ſi calceos meos, ſeu chartam, vel oleum, quod perdo, ex Indorum Goa, ſeu nová Bataviâ, afferri curarem, cùm proximus mihi vendat vicus, annon plebs cum cachinno? hic eſt! ἄφρων. Eccur tibi verò, ô bone, minor cura valetudinis quàm calceorum? Fac periculum, ſi placet, & porta fumariam noſtram, trifolium fibrinum, acetoſam &c. in inſulam Coum aut Pergamum, peream, ſi non publico edicto ocyùs & longiùs exeſſe jubearis, cùm plantæ iſtæ à natura incolarum & morborum iſtorum prorſus abhorreant, iisque inimicæ ſint. Totô cœlô aberrat, qui languores noſtros, ritu Orientalium, Grajorum, imò Romanorum, curaverit. Alia eorum vivendi ratio, alii morbi, aliud temperamentum, aliud clima, aliæ conſuetudines, & cuncta diverſa. Si quis tamen è peregrinis, quos tutò ſequatur, eligere velit, ei commendo veteres *Boreales*, quos puduit declinâſſe à rigore vitæ ſuæ. Eadem enim illis, ut Majoribus noſtris, indoles. Cibi ſimplices ſine *apparatu*, ſine *blandimentis* expulêre famem, *Tacit. de German. cap. 23.* Et *vinum*

ad

ad ſe omninò importari non ſinebant, *quod eâ re ad laborem ferendum remolleſcere homines atque effæminari arbitrabantur*, teſte Cæſare *L. IV. de bello Gallico c. 2.* Medicina verò eorum ſimplex & recta; experimenta ut rariora, ſic certiora. Hem! oggann iet alius, *Borealis?* ita, Amice. Cùm enim eosdem cum illis patiamur manes in communione ſcorbuti, quidnî idem vitæ genus, eademque eligamus præſidia, domeſticis ubique prælatis exoticis. *Domeſticis*, inſto, *prælatis*. Etenim impius in *Deum*, impius in *patriam*, impius in *poſteritatem*, impius in *proximum*, impius in *ſemetipſum*, qui almam noſtram matrem, è cujus gremio, & in cujus gremium greſſus & regreſſus noſter, quotidiè calcat & temnit. Cui bono tot ſaluberrima remedia è ſingulis Ampliſſimæ Naturæ regnis, niſi cum εὐχαριστία uti velis? parturiunt nobis, Deo ſic jubente, ſupera, media, infima, viſibilia & inviſibilia, & vix angulus, vix rimula ſupereſt, quæ non prægnantem oſtentet uterum. Nos tamen, ſummô ἀχαριστίας crimine infames, ex faſtu & amentia innumera Dei dona faſtidimus & pedibus conculcamus. Quid mirâre ergò, ſi, ex æqua talionis lege, malum de domo tua non receſſerit? Quid commeruit optima patria, ut omnibus barbaris deteriorem cenſeas? diu noctuque ancillatur tibi fidiſſima mater, gignit, alit, fovet, tuetur ſpirantem & extinctum, tu tamen, ô læva mens, vel ob puſtulam & ulcuſculum exterorum ſubſidia imploras? quàm ingratus hoſpes! Sera, ſi quam ſperaveris adhuc, poſteritas ſeriò execrabitur dementiam noſtram, quòd iſta nobis pejor corpus fragilius rarioremq; ſenectam per traducem à nobis acceperit, ut bellè hûc quadret iſtud Flacci *III. carm. 6.*

Damnoſa quid non imminuit dies? ætas parentum *pejor* avis *tulit nos* nequiores, *mox daturos* progeniem *vitioſiorem*. Quanta crimina furtum & homicidium! Quisquis proximo effœta, rancida, temporis diuturnitate & tempeſtatis injuriâ corrupta & adulterata, ac dubiæ fidei exotica, ſpretis inquilinis, tàm caro pretio obtruſerit, vendiderit, commendârit, videat,

videat, ne coram ſummo tribunali furti ac homicidii reus ſit. Hûc traxero iſtud *Ezech. XI. 6. Plurimos occidiſtis in hac urbe, & impléſtis vias ejus interfectis.* Aurea prorſus verba, quæ Cl. *Zvvölferus in append. ad animadverſ. p. m. 53.* facit. *Magno,* inquiens, *conſilio nobis ſit, prout ſæpiùs mentionem feci, ut,* ſimplicitate *in re medica contenti, in congeſtione tot tantarumq; rerum diverſarum inutili labore ſuperſedeamus, & parciores nos præbeamus, atq; vel* UNO SIMPLICI, *ſimpliciter ad quod à DEO conditum eſt, vel ſaltem paucioribus, inter ſe tum manifeſtè tum occultè non contrariantibus, medicinam faciamus,* prout pauperes & ruſtici, *quibus non raro à ſummo Medico, ex mera commiſeratione, remedia ſaluberrima revelantur, quibus* magna in magnis *præſtant morbis, quandoq; in opprobrium Medicorum. Hinc quoq; facilè adducor, ut credam, ſi à tot ſeculis elapſis, à quo Medicina inſtituta eſt, vel Medicorum innumeri* unum ſaltem ſubjectum Medicum, aut ſimplex, *intimè magis & penitiùs exploráſſent, prout Veneranda egit Antiquitas, jampridem ars Medica perfectionis culmen attigiſſet longè faciliùs, quàm compilatione tot tamq; diverſarum rerum & compoſitorum indiſtinctâ farragine. Aſt fortè ingratitudo noſtra non meretur, ut tanta Naturæ miracula nobis pandantur & in aperto maneant, (quæ ſaltem pauperibus divinitùs inſpirantur) ſed vel invidiâ occultentur, telluri illa tandem ſepeliendo, vel incongrua aliarum rerum additione denuò obliterentur, cùm nemo doctus habeatur Medicus à vulgo, qui, ubi unò aut duobus ſaltem, vel tribus rem totam benè concludere poſſet.* Simplicibus, *morbo cuidam ſufficienter oppoſitis, ducenta vel plura neſciat coagmentare omnis generis Vegetabilia, animalia & mineralia, quorum diſcordia tamen evidens non raro affert nocumentum. Quô etiam fit, ut nil certi ab effectu plurimorum compoſitorum nobis promittere poſſimus, & tum patiens, tum Medicus ambo ſpe ſuâ fruſtrentur, ille inſuper quandoq; in vitæ diſcrimen ac ſanitatis diſpendium conjiciatur, hic verò vulgi ludibrio exponatur, ut etiam ipſa Medicina merè audiat conjecturalis.*

Deni-

Denique impius in ſemetipſum exoticarum rerum ſimia, quoad corpus & facultates, dubia pro certis, noxia pro ſalubribus, falsò jactata pro ſpecificis turpiter permutans, & tanti pœnitere ſibi emens. Quàm magna res eſt ſapere! Sed heus tu bone Vir, clamat alius, quænam ſunt iſta præſidia domeſtica tantoperè abs te commendata? diſſere, aut caudam trahes. Parebo, tu verò, ſi placet, attende.

E regno *vegetabili* densô agmine ultrò ruunt in auxilium & ſolamen patriæ

Abies, abſinthium, acetoſa, acetoſella, acorus, agaricus, agrimonia, althæa, anagallis aquatica, anethum, aniſum, angelica, apium, aquilegia, armoracia, ariſtolochia utraque, arum, aſarum, aſparagus.

Bardana, beccabunga, betonica, betula, berberis, borrago, bugloſſa, bryonia.

Calamintha, caprifolium, carduus benedictus & Mariæ, carum, caryophyllata, centaurium minus, chamædris, chamæpitis, chamomilla, chærefolium, chelidonium majus & minus, cichorium, cochlearia, cuſcuta, cuminum.

Ebulus, elleborus niger, endivia, epatica nobilis & ſtellata, eryngium, eryſimon, eſula.

Filix, fœniculum, fraxinus, frangula, fumaria.

Geniſta, gentiana, glycyrrhiza, gramen.

Hedera terreſtris, helenium, hyoſciamus, hypericum, hyſſopus.

Iris noſtrâs, juniperus.

Linaria, lupulus.

Majorana, malva, marrubium, melilotus, meliſſa.

Naſturtium aquaticum & hortenſe, nicotiana, nummularia.

Ononis, origanum, oxylapathum.

Papaver erraticum, petaſitis, petroſelinum, pentaphyllum, pimpinella, pinus, polypodium, pulegium.

Raphanus hortenſis & ruſticus, roſmarinus, rubia tinctorum, rubus Idæus, ruta hortenſis & muraria, rhabarb. Monachorum.

Salvia, ſambucus, ſcolopendrium, ſcordium, ſinapi, ſpina cervina, ſymphitum.

Tamariſcus, taraxicum, thymus, trifolium fibrinum, & reliqua.

Veronica, verbena, vermicularis, Valeriana, Vincetoxicum.

Ex regno *animali* nominabo tantùm

Viperas & ſerpentes noſtros, cervum & gammaros, lumbricos terreſtres & talpam, conchas, quarum teſtæ in ripis Ocræ, Albis, Vierræ, Viſurgis &c. collectæ præſtantiſſimæ. Lac & ſerum caprinum, quod ſaluberrimum: ſtercus anſerinum, quod ſanè omni lapide bezoardico, ſeu Oriens, ſeu Occidens mihi dederit, efficacius & nobilius, ut multa alia hîc ſilentiô prætercam.

E regno *minerali* opem ſpondet

Mars, tartarus, Vitriolum, ſulfur, Mercurius, antimonium, ſuccinum, terra ſigillata Sileſiaca.

Quid dicam de *acidulis* & *thermis*, queîs optima Germania meritò præ aliis ſuperbit? & quamvis deficerent iſtæ, Ars tamen, Naturæ Simia, volenti eas promitteret.

Ex omnibus hisce peritus artifex facilè parabit omnis generis remedia, internè & externè uſurpanda, decocta, aquas, vina, mixturas, ſpiritus, eſſentias, tincturas, elixiria, ſyrupos, conſervas, pulveres, electuaria, extracta, magiſteria, ſalia, morſulos, cataplaſmata, unguenta, emplaſtra &c. præparantia, purgantia, mitiora & fortiora, diaphoretica, diuretica, confortantia, anodyna, verbo: integram officinam. Et ſic, DEO benedicente, boni medentis officium, quod eſt

citò,

citò, tutò & *jucundè* curare, dextrè & glorioſè tueri poteris. Sed ita conſuevimus, cantillat alius. Magna conſuetudinis potentia! Cùm autem bonis paſſim conſuetudinibus deteriores ſucceſſerint, quidnî pravis iſtis meliores nunc ſubſtituantur? nihil enim commune habemus cum carnifice iſto Wittenbergico, qui, perceptô in pharmacopolio aromatum odore, in gravem ſyncopen lapſus, non potuit priùs ad ſe redire, quàm ad aſſuetum cloacæ odorem delatus eſſet. *Salmuth. C. III. Obſervat. 71.* Juſta & rationabilis conſuetudo laudanda, toleranda, imitanda. Quod ſi verò rectæ rationi & honeſtati adverſetur aliquid, neutiquam conſuetudo, ſed potiùs abuſus & corruptela dicendum erit. Sic *corrumpi & corrumpere ſeculum vocatur.* Tacit. *de German. c. 19.* Quæ verba Cl. *Bernegger. quæſt. miſcellan. ex Tacit. num. 107.* egregiâ paraphraſi illuſtrat. Prudenter & ad rem *Seneca epiſt. 123. 7. Inter cauſas malorum noſtrorum eſt, quòd vivimus* ad exempla, *nec* ratione *componimur, ſed* conſuetudine *abducimur. Quod, ſi pauci facerent, nolemus imitari, cùm plures facere cœperunt, quaſi honeſtius ſit, quia frequentius, ſequimur: & recti apud nos locum tenet* error, *ubi* publicus *factus eſt.* Verùm *Horatius* mihi in aurem *L. I. Sat. 3.*

> *Omnibus hoc vitium eſt* cantoribus, *inter amicos*
> *ut nunquam inducant animum* cantare rogati,
> injuſſi *nunquam deſiſtant.*

Tu autem, Amice, vale, lege, cenſe!

V.

Vitulus in utero putrefactus per os & vulvam fruſtillatim rejectus.

EXempla fœtûs humani in utero mortui, corrupti, & per ἐπίκρασιν tàm κάτω quàm aliâ viâ, educti compilavit *Marcellus Donatus Lib. IV. Hiſt. med. mirabil. cap. 22.* &

 Schenck.

Schenck. L. IV. Obſerv. 179. ſeq. de ſceleto *vituli* in vulva vaccæ reperti Optimus *Bartholinus C. II. Hiſt. anat. 2.* & de alio ſceleto *vitulino* unà cum *vivo vitulo* excluſo *Schenck. L. IV. Obſerv. 184.* ut de veritate rubri noſtri minimè dubitandum ſit. Narrabo autem hiſtoriolam. Villicus in Stormaria alebat vaccam, ultra decimum quintum menſem nunc prægnantem; quæ tandem, poſt varios languores, inutile uteri ſui pondus, totum putrefactum, non ſine magno cruciatu, & abominabili fœtore, partim per *vulvam*, partim per *os*, fruſtillatim, & per intervalla, intra quatriduum ſcilicet, rejecit. Hoc ſaltem miror, quî Natura per *os* colluviem iſtam exantlaverit? domeſtici enim id manifeſtè notârant, imò particulas oſſium & alia ex ore traxerant. Quàm mirabiles DEI & Naturæ viæ! At ecce! per quas vias *abortus* iſte ἄνω rejectus, quo de inauguralem ſuam diſputationem habuit D. *Maroldus*, Civis & condiſcipulus olim meus in Illuſtri Gymnaſio Erneſtino? vid. *Decur. I. Ephem. Curios. Ann. I. Obſervat. 108.* quî *felis* per *os* peperit, qua de Summus Bartholinus *C. III. epiſt. 8. p. 37.* & *C. V. hiſt. anat. 98.* quomodo *gallina* in Dania ſex pullos benè conformatos *vivos* unô partu excluſit, quam inauditam, veriſſimam tamen, hiſtoriam primùm conſignavit *Michaël Lyſerus in Faſcic. Obſervat. ſuar.* Thomæ Bartholino transmiſs. *num. VI.* ecquî *piſcis* ille fuit *viviparus*, quo de *Joh. Euſeb. Nierenberg. L. VI. de mirac. Natur. in Europ. cap. 41.* & quî demùm *corvus* ille pullos ſuos peperit *vivos?* Vid. *Breviar. rer. memorabil. Iſibord. ab Amelunxen num. 28.* Dixerim Lectori meo, quod *Plinius* olim Licinio Suræ *L. IV. epiſt. ult. Scrutare tu cauſas, potes enim, quæ tanta miracula efficiunt. Mihi abundè eſt, ſi ſatis expreſſi, quod efficitur.*

VI. Vo-

VI.
Vomitus cum dyſuria poſt coitum ordinarius.

RAra profectò hiſtoria, quam de *Vomitu Venereo* Matronæ cujusdam in Moravia notavit Cl. *Hertodius in Decur.I. Ephemer. Nat. Curios. Ann.I. Obſervat. 4.* cui ſimilem ferè ſociabimus. Vir quidam eruditus, (cujus ore loquor,) quoties ex debito conjugali caſtam exercet Venerem, toties paulò poſt, & nunquam aliàs, copioſam materiam phlegmatico-bilioſam ἄνω rejicit, ſubſequente eôdem die *dyſuriâ* aliquâ, non tamen adeò moleſtâ. Multa in auxilium vocata remedia, nullum tamen adhuc inventum, quod rariorem iſtum affectum ſuſtuliſſet; ſanus alioquin Vir optimus, vegetus, & ad omnia munia ſua dexterrimè promptus.

VII.
Menſtruus aurium fœtor.

ALius Vir excellenter doctus, Amicus meus à triginta annis fideliſſimus, ab ipſa infantia ſua, occlusâ ſaltem digitô aure ſiniſtra, totus fit ſurdaſter; id tamen beneficii â Natura obtinuit, ut quolibet menſe, Lunâ decreſcente, per tres quatuorve dies è dextra aure, ſummo cum levamine, copiosè effluat materia tenuis & acris, planè *crocea*, & *maximè fœtida*, adeò ut etiam, durante hôc fluxu, vix in publicum prodire audeat ob moleſtiſſimum fœtorem, quem tamen aliàs vix ſenties. Temtis perpetuò diætæ legibus, rariſſimè pharmacis utitur, ὀρθοςάδιος tamen & officio ſuo ſtrenuè fungens.

VIII.
Dyſenteria animata cum vertigine nocturna.

COrdatè de illa diſſeruit Cl. *D. Paul. Brand*, Medicus Danus, in *Act. Med. Hafniens. T. IV. Obſervat. 31.* è quibus in Medicinam ſuam Septentrionalem collatitiam tranſtulit Excell. *Bonet. L. III. Sect. X. c. 17. p. 567. ſeq.* Dixit mihi olim Generoſus & piè eruditus Baro *Caſp. Sigmund.* ab F. qui in celebri Germaniæ Academia gradu *Baccalaureatus* publicè ornatus erat, ſe ſuperiori bello germanico omnibus bonis, omniq; parentum ſolatiô ab impio milite exutum, diu ex villa in oppidum pauperculum meâſſe κοσμοπολίτην, tandem in dyſenteriam lapſum, primô ſtatim die *lumbricos* duos ἄνω rejeciſſe. Sequenti die κάτω aliquis excluſus monſtroſæ formæ *vermis*, cum multo ſanguine & ineffabili cruciatu. Caput ingens & rotundum, cornua bina, brevia quidem, ſed ramoſa, curva & acutiſſima: pedes octo, ſubtiliſſimis unguiculis, ſeu potiùs uncinulis, armati, corpus hirtum & totum piloſum, imò ferè aculeatum, caudæ locô traxit furcellam tricuſpidem. Hoc monſtrum ex excrementis protractum exſiccatumque curioſitatis ergo pluribus monſtravit miſellus iſte tunc Baro. Puellus nuper Northuſanus lue iſtâ etiam correptus, ſtatim in initio morbi *vermem multipedem piloſum, & acutô roſtrô caudâq; inſtructum*, coloris fuſci excrevit, at paulò poſt deceſſit. Plerunque mortem portendunt ingrati iſti hoſpites. Baro tamen noſter ſolô *lacte* modò vaccinô, modò ovillô, in quo ſoleæ equorum ferreæ ignitæ extinctæ fuerant, & cui ſemen plantaginis inſperſerat, DEI miſericordiâ, ægerrimè tandem ſervatus eſt. Qui poſteà, *nocturnô* tantùm *tempore*, crebriùs ingenti corripiebatur *vertigine*, etiam in lecto jacens, ut omnia cum eo in gyrum agitari rotarique viderentur, affectu hoc ad integram horam aliquando durante,

quem

quem Medicus ſolô *pulvere bezoardicô* pepulit. Adde ſîs, quæ de *cæcorum vertigine* (ſuô more) curioſè & accuratè ſcribit *Hercules* noſter *Salanus in Decur. I. Ephem. Curios. Germ. An. VI. Obſerv. 121.* Singulare & laudabile quid in Illuſtri perſona, gradus putâ *Baccalaureatûs*. Æquè hunc de *regalibus* eſſe, ac ſuperiores alios, Ampliſs. Dn. *Joh. Chriſtian. Itterus*, U. J. L. Amicus honorandus, in elegantiſſimo ſuo de *Gradibus Academicis* librô *cap. IV. p. 48. ſeq.* optimè cenſuit. Apud *Chinenſes* adhuc, unà cum aliis, & ſtudio Philoſophiæ, excellenter floret hic gradus. Illi enim nec probum, nec juſtum eſſe poſſe autumant, qui *Philoſophiam* non didicerit, ut proinde *literas amare & bonum eſſe* pro iisdem prorſus habeant, ut ex aliis refert probatq; Pl. Rev. & Excell. Dn. *L. Joach. Fellerus*, in alma Lipſienſi Poëſ. PP. & Bibliothecæ Paullinæ Cuſtos, Amicus meus ſinceriſſimus, in Programmate quodam Magiſtrali An. 1688. Menſ. Januar. edit. Et teſtantur annales, alios Magnates etiam hunc gradum ambiiſſe & obtinuiſſe. *Albertus* enim IV. Dux Bojariæ, Acad. Ingolſtad. Autor, non tantùm ipſe adoleſcens primi hujus gradûs laurum *Lutetiæ* ſumſit, ſed etiam inſignia, quæ *Baccalaureos* ab aliis ordinibus diſtinguunt, publicè per plateas geſtavit. Et *Sigismundus* L. B. ab Herberſtein inter omnes dignitates & honores primos detulit titulo *Baccalaurei*, utpote quem non generis & Principum blandimentis, ſed ſolis ingenii viribus in Acad. *Viennenſi* ſibi comparâſſet. Vid. *M. Joh. Frieder. Gerhardi* elegantem diſp. Hiſtorico-Polit. poſterior. de *Academia theſ. IX.* Et Cl. Vir *Joh. Friedrich*, Prof. Lipſ. in *Panegyri ſeculari de origine increment. & fortun. Acad. Lipſ.* quam Pl. Rev. & Excell. Dn. L. *Adam* Rechenberg / Utr. Lingu. & Hiſt. PP. Amicus colendiſſimus, nuper *Davidis Peiferi Lipſiæ* annexuit *pag. 40.* ita: *non tantùm Juvenes* præcipuæ nobilitatis *magnô numerô priori illo dignitatis ſcholaſticæ gradu, qui* Baccalaureorum *eſt, (ne quid de cæteris dicam) ornari voluerunt in hac Acad. ſed etiam* Comites, Barones, *imò* Illuſtres *Imperii* Principes, exemplô *Joannis II.* Anhaltini, Co-

mitis

mitis Aſcaniæ, qui An. 1448. *Baccal. Philoſ. & AA. LL.* publicè renunciatus eſt, & poſteà Canonicus Magdeburg. & Halberſtad. factus. *D. Sagittar. in Hiſtor. Anhaltin. cap. XVII. §. 8. pag. 97.*

IX.

Quædam vulvâ clausâ, ſpontè tamen ruptâ, concipiens & pariens.

DE amico ſuo refert *Borell. C. IV. Obſerv. 26.* eum, ſine *intromiſſione penis*, externâ tantùm ſeminis ejaculatione in vulvam puellæ, illam imprægnâſſe. De equabus, ferreis annulis infibulatis, & tamen gravidis, vid. Incompar. *Harvei exerc. de partup. m. 369.* & *Borell. locô jam cit.* Puella Romana à primo ortu *clauſa*, niſi quòd exiguum eſſet foramen, vix piſum capiens, pro *urinæ* ac *menſtruorum* egreſſu, aſſiduis amaſiæ precibus commota ipſius libidini nimium dedit, rata, nullum conceptionis periculum futurum, quippe cujus *vulvæ* labia à nativitate conjuncta & unita penem non admittebant. At illa, *vulvâ* ante ferrô apertâ, debitô tempore filium peperit, notante Excell. *D. à Moinichen*, Aulæ Regiæ in Dania Medico, in *Obſervationib. ſuis num. 13.* Similem prorſus hiſtoriam habet *D. Sorbait*, Prof. Vindobonnenſis, in *Dec. I. Ephemer. Nat. Curios. Ann. III. Obſervat. 273.* de puella octenni in carbones lapſâ, totamque perinæi, *vulvæ* & pubis regionem comburente, àque Chirurgô adeò negligenter curata, ut integra *vulvæ* labia firmâ cicatrice ſibi conjungere, & relictis tantùm duobus foraminibus, unô infra *os pubis*, alterô propè *anum*, in perinæo coaleſcere permiſerit. Quæ poſteà ad pubertatem veniens, à proco per contactum ſine *membri intromiſſione* ingravidata fuit, *vulvâ*, inſtante partu, ſimiliter à Chirurgo apertâ, licèt per foramen ano proximum fœtus prodierit. Scripſit mihi ſuperiori vere *Panormô* Siculorum D. *Euſebius Hieronymus* Sellmann / Amicus integerrimus,

mus, ſe noviſſe puellam ſexdecim annorum, eximiæ formæ, cui ob genitalia, à natali clauſa, menſes & urina ordinariè modò ſolitariè, modò cum cæteris fecibus, per alvum ſine moleſtia fluebant. Cùmq; ad matrimonium inepta videretur, in cœnobium deducere volebant Parentes, quam eremum tamen ipſa declinavit. Interim neſcio à quo Jurium perito amata & vitiata ſit, ſemine virili tantùm extra pudendum virgineum adſperſô, & aurâ ſpirituoſiori attractâ. Gratæ hæ titillationes crebriorem fecêre admiſſionem. Tandem bonæ puellæ venter intumuit, ipſaq; ab omnibus renunciatur prægnans. Rogata rigoroſiùs, acta & facta Parenti recenſuit; qui verò hoc modô puellam imprægnâſſe pro impoſſibili habuit. Intereà ob calorem inordinatum, pruritumque periodicum, quem circa *vulvam* ipſa ſenſerat, *lacte aſininô* clauſtrum ſuum frequentiùs lavit fovitque. Quod laxatum ſpontè tandem noctu in ſomno diſruptum hiatum fecit ſat amplum, & exodum tandem ſuô tempore præbuit infanti. Sic *Fellmannus*. Adde, quæ de ſpontanea apertione clauſæ *vulvæ* conſignavit *Th. Bartholin. C. V. hiſt. 43.* Certè cauſas, ſeu obices, quos ibi adducit Vir Clariſſimus, in noſtra etiam fuiſſe, haud diffitebimur; membrana ſcilicet non adeò craſſa, quæ crebriori attactu, imaginatione continuâ, auctôq; calore & ſubſequente pruritu, à lacte etiam laxata magisque emollita, in inſomnio Venereo facilè rumpi potuit. Mirum verò, à rigore membri anteà non fuiſſe pertuſam. Liceat ſuſpicari, craſſiorem tunc fuiſſe, ut JCtum illum ferre potuerit.

X.

Sterilitas, adeoq; omnis appetitus venereus, auribus abſciſſis, perpetuò extinctus.

V*Itus Zacharias* Hall/ miles Weſtfalus, ſalax, robuſtus, & fœcundus, trium liberorum Pater, annô ætatis ſuæ trigeſimô, ob varia delicta, jure & more bellicô, *am-*

putatis auribus, iisq; patibulo affixis, cum infamia urbe ejicitur. Oberrans igitur in terra aliena , ſtipem colligebat oſtiatim, quam cùm à me etiam in Imperiali *Brema* peteret, ſimulq; abs aliis intellexiſſet, Medicum me eſſe, latiùs cuncta expoſuit, ſeriò addens: ab illo die tribulationis omnem *fæcunditatem*, adeoq; *omnem appetitum Venereum* in ſe fuiſſe extinctum, ut nec vellet nec poſſet aut ſemen ejaculari, aut rem habere cum uxore ſua, membrô prorſus flaccidô, rugosô, adque omnia officia ſua ineptô. Meretricibus equidem olim *aures* pœnæ locô abſcindebantur, ut laſcivia earum caſtigaretur, & vis procreationis, ſimulque peſſimorum hominum poſteritas tolleretur. Scythæ etiam ſectis retrò aures venis ſteriles facti, de quibus poſt *Hippocrat.* fuſiſſimè in utramq; partem diſceptant *Valleſius L. II. controv. Med. & Philoſ. c. 8. Andr. Laurent. L. VIII. anat. quæſt. 4. Nathan. Higmor. diſquiſit. anatom. L. III. Part. II. c. 6. Steph. Roder. à Caſtro in opuſculo quæ ex quibus Lib. IV. c. 5. Sennert. L. III. Prax. P. IX. Sect. 2. c. 1. quæſt. 1. Caſp. à Reyes in campo elyſio jucundarum quæſtion. num. 56.* Rectè *Cous L. de genitura, Maxima ſiquidem,* infit, *ſeminis pars è capite ſecundùm aures in ſpinalem medullam fertur. Ipſe autem meatus ſectione, cicatrice obducta, conſolidatur, & ita ſeminalis tranſitus aboletur,* quod doctiſſimus *D. Sorbait in Decur. I. Ephem. Natur. Cur. Ann. II. Obſervat. 104.* memorabili raràq; hiſtoriâ de impotentia ex vulnere capitis eximiè illuſtrat. Vera enim *Platonis* opinio docentis: Semen à *cerebro* etiam & *medulla ſpinali* decidere.

EXER-

EXERCITATIO
HISTORICO-PHYSICA
De
CORNU HAMMONIS,
quod Veteres vocârunt,
AGRI BRUNSHUSANI ET GANDERSHEIMENSIS LAPIDE,
quem vulgo Drakenſtein nominant,
conſcripta
ab
M. JOHANNE REISKIO.

Anno M DC LXXXIX.

VIRO

NOBILISSIMO EXPERIENTISSIMO AMPLISSIMO

DN. JULIO GEORGIO BEHRENS,

SERENISSIMORUM DUCUM BRUNSUIG. ET LUNEBURGENS. IN AULA WOLFFENBüTTELENSI ARCHIATRO ET CONSILIARIO GRAVISSIMO.

VIRO

EXCELLENTISSIMO AMPLISSIMO

DN. CASPARI POSNERO

PROFESSORI PHYSICES IN ALMA SALANA CELEBERRIMO.

PATRONIS ET FAUTORIBUS MEIS VENERANDIS,

S. P. D.

M. JOH. REISKIUS.

OFfero heic vobis lapidem in agro Saxonico prognatum, aut cornu lapideum, non Amaltheæ quidem Poëtis decantatiſſimum, ſed vetuſtô Jovis Hammonis nomine inſignitum, ac inter Veteres quantivis pretii: Hoc meum tamen ne pretiô ullô, ſed promtá voluntate animôq́; gratô metiamini, omnem in modum diligentiſſimè rogo. Summus autem veſter, quô bonas literas complectimini, amor efficiet, (ita confido) ut ne repulſam patiar, ſed preces meæ ac munus, quod dicavi, tenue locum reperiant. Ex quo enim tempore primùm heic loci, nobiliſſime BEHRENS, te cognoviſſe, ac tecum aliquoties verba feciſſe licuit, perſpexi planè doctrinam tuam & humanitatem neq; fortunâ tuâ neq; dignitate maximá inferiorem. Hinc igitur factum eſt, ut amplitudinem tuam ſingulari obſervantiá proſequerer, & cogitationes meas ad publicum hujus documentum intenderem. Sed quod præſens cum ferat occaſio, hoc exiguum, cui ſuppetias è tua Bibliotheca locupletiſſima tu

liſti, ſcriptum eò benigniori accipies manu. Nec dedignaberis illud aut aſpernaberis, quæ ſpes mea fuit, excellentiſſime POSNERE, vel ideò quòd tibi Doctori meo Fautorique meritiſſimo debeatur. Non equidem mihi ante hoc tempus contigit, ut redigerem in memoriam tibi ſumma tua, quibus me olim Jenæ ornáſti, merita, aut dignis ea laudibus prædicarem: Hæſit tamen in animo meo perpetua illorum recordatio, fecitque, ne dubitarem, quin veſtigium priſtini tui erga me affectûs retineas. Quare votis meis nihil nunc malè ominor: DEUM autem precibus imploro aſſiduis, ut Te, nobiliſſime BEHRENS, inclutæ Wolffenbüttelenſi aulæ Medicum & Soſpitatorem, tuæq; familiæ ornamentum; Te POSNERE excellentiſſime, publicum Salanæ decus, & pubis ſtudioſæ Doctorem celeberrimum diu tueatur! Valete! Scrib. Wolffenbütt. Eid. Febr. A. MDCLXXXIX.

CAPUT

CAPUT I.

1. *Occaſio ſcripti hujus ex lapide quodam Brunshuſano, quem Auctor pro cornu Hammonis habuit 2. Cornu metaphoricè ſic dicto, unde ad propriè dictum abducimur 3. è Servio, quem Ambroſinus ſequitur 4. ex Hygino, qui cauſam recenſet duplicem 5. è Diod. Siculo veriſimilior, quam Voſſius nec ita benè probat, & Herodoto 6. Cornu Hammonis originatio Græca, Romanos etiam fefellit 7. Ægyptia, Græcos Kircherumq; 8. Hebraica utriq; præfertur à Chamo Noachi filio, à quo Ammonia & Chemia Ægyptus in ſacris quoq; literis 9. terræ urbesq; in Africa & Aſia plures, & Jupiter Ammon, uti Chamus ex rad.* חמה *h.e. fervendo,*

I.

CUm Gloſo-petras Luneburgicas commentatione quâdam epiſtolicâ perſequerer, tum verò ſub finem incidi in Draconiten, agri Gandersheimenſis & Brunshuſani lapidem, quem ſermone vernaculô Drachenſtein nuncupant. Cenſui hoc nomen non ita conveniens, neque ipſum lapidem Draconitæ Pliniano & antiquo ſimilem: Quippe qui Draconis minimè, ſed cornu potiùs incurvi & arietini ſpeciem exhibeat: Ideoque mihi non alium videri, quàm eum, quem veteres noviqueScriptores cornu Hammonis vocitant. Equidem hæ cogitationes aut conjecturæ velut ſubitaneæ ſtatim mihi venerunt in mentem, ſimul ut ab amico quodam meo plurimûm colendo, lapides hujus generis duo hûc ad me miſſi fuerant: Attamen re ipsâ diutiùs excuſſâ, & lapidibus iis, quos utrosque adhuc inter mea mecum habeo, ad libros Foſſilium plures, & ſenſa doctiſſimorum Virorum optima expenſis, non muto neque depono primam ſententiam, ſed adhuc lapides ita incurvos omnes, quicunq; corneam ſimilitudinem figurâ ſuâ referunt, Ammonis cornua inter priſcos novosq; celebrata ſtatuo.

II. Quan-

II. Quandoquidem verò ſi hos lapides cernamus, vel primô intuitu ſub oculos cadit figura cornu alicujus elegantiſſima, nulla tamen hujus ſubſtantia & natura: Nomen iſtud per metaphoram lapidibus attributum, vix erit inter ſanos, qui dubitet. Hoc ergò cornu Metaphoricum ad aliud propriè dictum abducit, & ab impropria ſignificatione ad propriam, quæcunque illa ſit, nos avocat: Quam quia hiſtoriæ potiſſimùm Græcæ nobis explicant, ab iis hûc in uſum noſtrum erit mutuò deſumenda. Sed cave ſis, Lector benivole, ut veram ex idoneis & fide dignis auctoribus cauſam vel originem ubique deſideres, aut tibi promittas: Hoc enim quicquid eſt, hiſtoria plerunque mythica ſeu fabuloſa & à Poëtis veteribus conficta ſuppeditat. Neq; ideò tamen damnabis omnia aut repudiabis; Eò quòd ſub iſto fabulæ involucro veriſſimarum rerum antiquarum hiſtoria deliteſcat.

III. Hinc Barthol. Ambroſinus in Muſeo Ulyſ. Aldrovandi, Patricii Bononienſis, ubi ad lapides ab auro denominationem nactos devenit, Ammochryſon videlicet Chryſammonque, huic unam ſpeciem ſubjungit Ammonis cornu, ejusque cauſam omnem ex hiſtoria poëtica, Serviique ad Virgilium commentario arceſſit. Dum enim *(Lib. I. p. 53.)* Poëta Hiarbam Regem Ammone ſatum, & Nympha Garamantide rapta inviſum memorat, ille Servius Maurus Honoratus ex hiſtoria Bacchi commentationem texuit: *Liber*, inquiens, *quum Indos peteret, & per Libyam exercitum duceret, fatigatus ſiti, Jovis ſui patris imploravit auxilium, & ſtatim viſò ariete fons ſecutus eſt ab arenis: Unde factum eſt Jovi Ammoni ab arenis dicto ſimulachrum cum arietino capite.* ἄμμος *enim Græcè arena dicitur, quod ideò fingitur, quia ſatis involuta ſunt ejus reſponſa.* Hæc quum *(Lib. IV.)* ille Grammaticus obſcuris involverit verbis, Ambroſinus effert clarioribus, & copiosè circumloquitur, nec ab Servii ſententia, hujusque derivatione Græcula recedit.

IV. Sed

IV. Sed quid Servium citemus, qui veteres Poëtas Græcos Romanosque, horumque communem interpretem, Hyginum, Auguſti Cæſaris libertum, ab ævo antiquiori adducere heic poſſumus? Refert autem ex Hermippo, Athenienſi Comico, Bacchum ſive Liberum, quo tempore oppugnârit Africam, cum exercitu in locum deveniſſe, qui ab multitudine pulveris Ammodes appellatus fuerat. Ibi cùm in maximum periculum & aquæ penuriam incidiſſet, milites defectionem parâſſe: Poſteà conſpectô ariete viam, quò is aufugerat, eò feciſſe, & magnam aquarum obtinuiſſe copiam, duce ſuô nec ampliùs viſo: Bacchum porrò cum ſuis omnibus huc contendiſſe, ac Jovi Ammoni templum pariter atque ſimulachrum cornibus arietinis præditum conſtituiſſe, ipsô ariete inter prima ſidera collocato. Hæc ita Librô ſecundô in Poëticis Aſtronomicis copioſiùs ex editione Jo. Schefferi (*n. XX.*) correctiſſima recenſet. Denique ſubdit, quæ Leon, vetus rerum Ægyptiacarum auctor prodiderat, prioribus aut inæqualia aut repugnantia. Nempe tum temporis quum Liber Ægyptia pluraque finitima regna teneret, Ammonem quendam ex Africa veniſſe, ac pecoris multitudinem adduxiſſe: Huic pro beneficio agrum, qui eſt contra Thebas Ægyptias, conceſſum, & ſimulachra cornutô capite fuiſſe poſita, ut poſteri tenerent animô, quis primus rem docuerit pecuariam. Poſtremò ex aliorum ſenſu pauca ſubjicit ſatis obſcurata, quæ adhuc interpretem, qualis nec eruditiſſimus Schefferus eſſe voluit, deſiderant.

V. Interim quem ex Leonte Ammonem protulit Hyginus, hunc Diodorus Siculus (*Lib. III. XVII.*) regem Libyæ deſcripſit, Rhea Cœli filia uxore, & Amalthea præter hanc adamata, & Baccho ſeu Dionyſio ſuſceptô filiô, & rebus geſtis inclytum. Qui pater ac filius uterque cùm in bello cornutam galeam geſtârint, inde factum eſſe refert, ut cornuti etiam effingerentur. Idque Voſſius in Theologia gentilium interpretatur, uti velit, pellem capitis bubuli (*Lib. I. c. 27.*) cum cornibus

bus pro galea habuiſſe: At pellem capitis arietini cum cornibus ut interpreter, facit caput Ammonis arietino ſimile, cornuaque prorſus conformia. Nam vetuſtiſſimi quique galeas è pellibus canum, arietum, boum, luporum, leonum, multorumque animantium conformârunt; poſteà pro pelliceis quidem ferreas amârunt aut æneas, figuram tamen animantis aut ſaltim capitis in illo expreſſerunt tegmine. Herodotus autem in Euterpe aliud habet: Jovem *(Lib. II.)* cùm ab Hercule cerni nollet, exoratum denique ita ſtatuiſſe, ut amputatô arietis alicujus capite, ac pelle villosâ, quam ipſi detraxerat, indutâ, ſeſe conſpicuum daret: Hinc apud Ægyptios Jovis effigiem arietinô capite confictam, & ad Ammonios porrò traductam. Euſtathius quoque in ſuis ad Dionyſium Periegetam commentariis Herodoto adſenſum præbet; Rectiùs fortaſſè Diodoro Siculo præbuiſſet, qui ad verum propiùs acceſſit.

VI. Aſt quid inter devia & incerta diu hærebimus? De nomine Hammonis & cornutô ejus capite quicquid veritati ſimillimum videbitur, hoc aſſerendum erit. Triplex ergò nominis originatio ſuccurrit, Græca nimirum, Ægyptia, & Hebraica. Græca illa inter Græculos reperta Romanos Hiſtoricos atque Grammaticos fefellit: Quin Plinium ipſum, quando in Hiſtoria naturali nomen Ammonis oraculô ab arenis impoſitum ibi tradit, ubi *(Lib. XII.)* de arbore Ammoniaco exponit. Quid Servius ex illo fonte in Latium derivet, ſuprà vidimus. Unum è Criticis adhuc Romanis Sext. Pomponium, qui voces librô peculiari adſpiratas explicat, *(Lib. VIII.)* audiemus: *Hammo*, ait, *cognominatus, quia in arena putatur inventus, quæ Græcè hoc nomine* ἄμμος *appellatur. Cui cornua affiguntur arietis, à genere pecoris, inter quod inventus eſt.* Sed bonus ille Grammaticus Græcorum fabulis eô abreptus fuit, unde non potuit referre pedem, nec cauſam dare, cur litera prima fiat ſub initio aſpirata, qualis primitivo deeſt vocabulo. Patenites igitur Sacerdos Saiticus, cujus apud Platonem Proclum

clumque fit mentio, rectè judicabat, Græcos ſemper eſſe pueros, nec unquam in ultima hiſtoria ſenes: Unde quoties de rebus vetuſtiſſimis loquuntur, ad fabulas ruunt, alioſque ſecum abripiunt.

VII. Ægyptia Græcæ multum præſtat originatio in nomine, quod antiqui Hiſtorici & hodierni Critici Ægyptiacum agnoſcunt. Nam Herodotus in Euterpe, ubi Ammonios ab Ammone dictos commemorat: Ἀμμοῦν Αἰγύπτιοι καλέουσι τὸν Δία: *Ammonem*, inquit, *Ægyptii Jovem vocant.* Plutarchus in Iſide ſua confirmat, ἴδιος παρ' Αἰγυπτίοις ὄνομα τοῦ Διὸς εἶναι τὸν Ἀμμοῦν, *proprium apud Ægyptios Jovis nomen eſſe Ammun.* Sed neque ſic tota res in promptu eſt, cùm nemo antiquus vocem originariam, unde Ammon deduci poſſit, nemo recens Philologus aperiat. Quid? quòd de nominis hujus Ægyptii ſignificatione inter priſcos haud conveniat. Manethon quippe Sebennita Ἀμμοῦν κεκρυμμένος, h. e. *abſconditum* interpretatur: Hecatæus verò Abderita narrat: Τούτῳ καὶ πρὸς ἀλλήλους τῷ ῥήματι χρῆσθαι τοὺς Αἰγυπτίους, ὅταν προσκάλωνται. προσκλητικὴν γὰρ εἶναι τὴν φωνήν. *Ægyptios hoc ad ſeſe invicem verbô uti, quando quemquam evocant aut appellant: Appellativam enim vocem eſſe.* Kircherus equidem in Tomo Oedipi Ægyptiaci primo (*cap. VI.*) vult, hanc vocem ab Hecatæo Deos invocantum propriam dici; verba tamen citata, quæ omiſit ipſe, iſtum non ſtabiliunt ſenſum, neque lectoribus declarant. Satius ergò eſt, hæc in eam accipi ſententiam, ut dicat Abderita, Ægyptios hâc voce uſos in mutuis congreſſibus, quoties alter alterum appellârit comiter, & colloquium exordiretur. Ita Fullerus (*Lib. II. c. 4.*) in ſacris Miſcellaneis accepit, rectèque monuit, apud gentes pleraſque cum ſalutationibus divina crebrò adhiberi nomina. Kircherus interim ex Jamblicho dictitat, *hoc nomen in Ægyptia lingua nil aliud ſignificare, niſi vim quandam Numinis, arcanas latentium rationum vires in lucem agentem.* Adeò ſunt abſtruſa & recondita, quæ profert, ut vix Viri mentem capias, neq; locum ex Jamblicho, quem velit, citatum videas.

 VIII. Ita-

VIII. Itaque Hebræa prioribus, quæ vix ſatisfaciunt, duabus originatio præferetur: Ut ſub Hammone veteri Cham Noachi filius deliteſcat, qui primas in Africam colonias duxit, ibique longa per ſecula hôc nomine cluit; Niſi quòd Ægyptii ſonum denſæ adſpirationis mollierint, Ammumque Chamum dixerint. Hinc univerſa Ægypto vicina Africa nomen Ammonis aut Ammoniæ tulit, teſte apud Stephanum Alexandrô Polyhiſtore, inter Ægyptios tum verſato, quum Ptolomæus Lathyrus regeret. Sic enim Stephanus ubi Libyam multorum nominum regionem, è Polyhiſtore deſcripſerat: Ἀμμωνία μεσόγαιος Λιβύης, καὶ αὐτὴ καὶ πᾶσα ἡ Λιβύη οὕτως ἐκαλεῖτο ἀπὸ τοῦ Ἄμμωνος. *Ammonia Libyæ mediterranea, & ipſa & omnis Libya ſic vocabatur ab Ammone.* Hinc Ægyptus χημία Chemia vel Chamia priſcis incolis audiebat, (*loc. cit.*) teſte Plutarchô: Ἔτι τὴν Αἴγυπτον ἐν τοῖς μάλιστα μελάγγαιον οὖσαν, ὥσπερ τὸ μέλαν τοῦ ὀφθαλμοῦ χημία καλοῦσιν. *Adhuc Ægyptum, quæ ſolô eſt utplurimùm nigrô, Chemia dicunt, velut nigrum oculi.* Sed nigredo ſoli, quam Plutarchus adfert, haud ſufficit. Nam Ægyptii à Chamo exorti memoriam auctoris perpetuam hôc nomine coluerunt: Ut hodièque Cophtitis Ægyptum Chemi XHUI non aliter vocari, quàm veteribus, in Copto Prodromo Kircherus (*p. 148. 293.*) duobus locis annotet. In ſacris quoque literis Pſalmô ſeptuageſimô octavô (*v. 51.*) Ægyptus & tabernacula Chami מצרים ואחלי־חם alibi in Pſalmis (*v. 27. v. 22.*) centeſimô quintô ſextôque מצרים וארץ־חם Ægyptus & terra Chami velut Synonyma conjunguntur. Ampliùs Jeremias cap. XLV. אמון מנוא *Ammon de No* h. e. Deum (*v. 25.*) Ammonem, cui templum in urbe No ſacratum fuerit, Diis & regibus Ægypti adſociat: Ezechiel cap. XXX. (*v. 15.*) ac Nahum cap. III. (*v. 8.*) המון נוא ונוא אמון *Hammon-No & No-Ammon* urbem Ægyptiam recenſent. Ubi Bochartus cum LXX. Inpp. tuetur Dioſpolin & Thebas Ægyptias in libro primo Geographiæ ſacræ, ipſique Frid. Spanhemius in ſua ſacram ad Geographiam Introductione (*Sect. I. n. 5.*) ſub-

ſcri-

ſcribit: Alexandria rejecta, quam Chaldaicus Interpres, Rabbini, Druſius atque Voſſius (*Lib. I. c. 32.*) in Theologia Gentilium ſubſtituunt.

IX. Nec in Libya tantùm Ægyptoque nomen Ammonis percrebuit; ſed in Africa minori ſeu propriè dicta, ubi urbs Ammonis ad Cinyphum fluvium; in Meroë inſula delubrum Ammonis; in Marmarica urbs Ammonia, & regio præſertim Ammoniaca, ubi Ammonis oraculum totô orbe celeberrimum; in Arabia & promontorium Ammonium, & fluvius Ammon, & populi Ammonii apud Ptolemæum, Strabonem, Plinium adhuc ſuperſunt. Ergo benè Lucanus cecinit in Pharſalicis: (*Lib. IX.*)

> — — — *Unus ſit Jupiter Ammon*
> *quamvis Æthiopum populis, Arabumq́ beatis*
> *gentibus atq́ Indis.*

Ubi Jovis & Ammonis una eſt ſignificatio, quam Ariſtoteles apud Heſychium in Lexico tradidiſſe legitur: Ἀμμοῦς ὁ ζεὺς Ἀριϛοτέλει. Sed rectiùs fortaſsè Ἀμμοῦν ex Africana & Ægyptiaca pronunciatione ſubſtitues. Idem etiam nomen, & nominis in utroque ratio deprehenditur una, ſi Chamum ex Hebraica radice חמה *fervere aut incaleſcere* deducas, & calidum aut fervidum notare dicas. Ζεὺς γὰρ παρὰ τὴν ζέσιν. θερμότατος γὰρ ὁ ἀήρ. ἢ παρὰ τὸ ζέω, ὡς τρέω τρεὺς καὶ Ἀτρεύς. *Jupiter enim apud Græcos*, inquit Etymologici auctor, *à fervore; Aër quippe calidiſſimus; vel à fervendo, uti Atreus à tremendo.* Plura comparationis hujus momenta explicat (*l. cit.*) Bochartus, & monſtrat, Jovem ex filiis Saturni natu fuiſſe minimum, qualis Chamus inter Noachi filios fuit; Jovem Cœli Dominum effingi, quia Chamo Africa duobus tropicis concluſa, & Soli proximè ſubjecta obtigerat; Jovem Saturno patri exſecuiſſe ſua, ſi Poëtis credimus; Idque à Chamo, qui patris verenda vidit impiè ac viſa nunciavit, Vir celeberrimus deſumtum credidit, deque loco criminis hujus admiſſi ſagaciter conjectavit. Nihil tamen

de cornibus, nihil de cornuto Ammonis capite Vir ingenioſiſſimus divinat.

CAPUT II.

1. Hammonis caput cornutum ex hiſtoria Diod. Siculi atque Nimrodi, & à galea quidem deducitur 2. ab Sole Hebr. חמה *qui Jupiter Macrob. cornutus ab radiis 3. ab oraculis involutis ſive arietinis. Cornua verò non bubula Gor. ſed arietina 4. Ammonis effigies è Kirchero varia, non ſatis certa: Uti nec Hama Hammonq́ Saxonum Deus. 5. E Strabone, Curtio, Arriano; ſed deniq́ jacuit neglecta 6. Ammon corniger in hieroglyphicis numisq́ Romanis Conſularibus 7. Cæſarumq́ Imperatoriis. 8. Alexander M. quoque in ſtatuis & numiſmatibus; Item Rex Lyſimachus. 9. Hinc Alexander Arabibus bicornis, & Mahumedis familiæ inſertus. De Attila & Rege Antogilenſium cornuto.*

I.

CHamum è Noachi progenie, Ammun ex Ægyptia, & Ammonem ſive Hammonem non è Græca ſolùm, ſed Romana quoque hiſtoria ſive Reges ſive Deos, uti confido, ſatis conciliavimus: Quid de cornibus Hammonis, & cornutô hujus capite fiet? Id unum adhuc relinquitur nobis, ut cum divina ſive Moſaica componamus hiſtoria & conciliemus. Diodorum ergò Siculum heic ſequar, & Ammonem Libyæ Regem, hujusq́ue filium Bacchum ſeu Dionyſium in præſentia rurſus deducam. Libya eſt vaſta pars Africæ, quæ tota in Colonias Chamo ſive Ammoni ceſſerat: Filius huic tribuitur Bacchus ſive Bar-Chus h. e. Chuſi filius (*Gen. X. 9.*) Nimrodus נמרוד בר־כוש robuſtus ille coram Domino venator. Bacchus quippe ζαγρεὺς τοῦτ᾽ ἐστι πάνυ ἀγρεύων, uti Etymologicon habet, *ſeu venator ubiq́ captans* in fabulis; in Anthologia Epigrammatum vetuſta νεβρώδης νεβριδόπεπλος, quaſi pelle hinnuli veſtitus dicitur, utroque ad hiſtoriam Nimro-

Nimrodi accommodatô vocabulô, quod (*cap. 2.*) Bochartus in Geograph. ſacræ librô primô planiſſimum fecit. Equidem Nimrodus inter Chami nepotes aut poſteros, Chuſiq́ue filius fuit: Attamen è familia & ſtirpe Chami editus hunc patrem communem habuit. Quoniam verò uterque pater & filius, Ammon & Bacchus inter bellandum galeis cornutis uſus legitur, ſive hâc figurâ fabricatæ, ſive arietinis cornibus inſtructæ illæ fuerint: Quidni hinc Ammoni cornua enata dicamus & addita? Illud ſi quicquam ex antiquis hiſtoriis, verò eſt proximum & ſimillimum. Namq; Græculi nugantur, qui vel ab ariete inter medias arenas viſô, vel à delubro inter loca Libyæ arenoſa conditô arietina cornua Jovi Ammoniq́ue ſuo veteri deducunt.

II. Sed aliam de Cornibus Ammonis rationem ex Macrobio Fullerus iniit, eamq́ue Voſſius (*l. cit.*) in Theologiæ Gentilium libro ſecundo, & Steph. Loydius (*cap. XII.*) in Dictionario Car. Stephani recenſito (*p. 73.*) comprobat. Nimirum Chamo ex radice חמה h. e. ab incaleſcendo aut mens ignea & mirus animi fervor, aut color fuſcus nigroq́ue propior, aut terra, quæ progeniei hujus & familiæ patebat, per hiſtoricam prolepſin, uti vocant, nomen indidit. Amplius ex una eademq́ue radice ſeu primitivô iſtô vocabulô Hebræi Solem חמה tanquam præcipuum æſtus calorisq́ue auctorem & ferventiſſimum ſidus nuncupant, in ipſius quidem ſacri codicis locô non unô, quem Concordantiæ Bibliorum Buxtorffianæ indicant. Quoniam verò idem Sol eſt, qui Jupiter, docente (*Lib. I. c. 24.*) Macrobio in Saturnalibus: *Ideò & Ammonem, quem DEUM Solem occidentem Libyes exiſtimant, arietinis cornibus fingunt, quibus maximè id animal volet, ſicut radiis Sol*, eodem alibi cenſente. (*c. 21.*) Radii quippe lucidiſſimi, quotquot à Sole prodeunt, rectorum cornuum ſpeciem præ ſe ferunt. Ut vel ideò inter imagines Deorum Dearumq́ue ab Vincent. Cartario, & Fr. Swertio Sol radiatus & cornutus quaſi, nec non à Car. Patino & Mediobarbo in Græcis Romanisq́;

num-

nummiſmatibus exhibeatur. Adde, quòd aries apud Ægyptios & hodiernos Aſtrologos curriculi ſolaris ſeu totius Eccli-pticæ principium finisq́ue, carcer metaq́ue ſemper fuerit: Quodq́; vox Hebraica קרן unde Græca κέρας, latinaq́; cornu oritur, radios ſplendentes quandoq; denotet.

III. Itaque cornigerum Hammonem, ipſumq́ue cornu ex origine prima, uti ſpero, arceſſimus. Omitto dicere cauſam à Servio ſuperiùs adductam, nempe involuta nimium reſponſa ſive oracula, de quibus liquebat universè, quid opus foret, particulatim non æquè, cùm animus hæſitaret, utrum eligi oporteat: Hæc veteres arietina. ſi Gellio in Noctibus Atticis credemus, dixerant. Tantum tamen abeſt, ut ænigmata illa ſuis ambagibus plena, homines ab Ammone dimoverint; ut potiùs cum Phæſto, Græcanicô Poëta, illum peranxiè implorârint:

Ζεῦ Λιβύης Ἄμμον κεραηφόρε κέκλυθι μάντι:

O Libyæ vates exaudi, corniger Ammon!

Aut cum Lucano in Pharſalinis (*Lib. IX.*) de Libya crediderint:

— — — *Stat corniger illic*
Jupiter, ut memorant, ſed non aut fulmina vibrans,
aut ſimilis noſtro, ſed tortis cornibus Ammon.

Quare Ammonem Græci pariter ac Romani Poëtæ cornigerum ſalutant, quoties ferè hujus fit apud Ariſtophanem, Lucanum, Ovidium, Statium Papinianum, Siliumq́ue mentio. Nec cornua huic alia niſi arietina, eaque vel ad temporum regionem, vel ad capitis mitræq́ue ſummitatem vendicant. Nugas enim ridiculas ſerit Joſippus Gorionides, ſive R. Joſeph ben Gorion, quando in Alexandri hiſtoria Jovem iſtunc ſtaturâ rectum, neque ſenem neque juvenem, & in fronte (*cap. 6.*) bovis cornibus, & barbâ caninâ conſpicuum fingit. Miror itaque, hæc à Kirchero ſomnia Judaica recitari pluribus, haud refelli: Ab ipſo itidem de Ammonis effigie formaq́ue doceri,

in

in quibus majorem diligentiam, perſpicuitatem, & antiqua teſtimonia meritò deſideres.

IV. Kircherus ipſe mitratum exhibet, arietinis cornibus, tetragonum ſive quadratis Hermis ſimilem, & pelle tectum: Qualem Pauſanias Arcadibus attribuit, & in ſuis Arcadicis deſcripſit. (*Lib. VIII.*) Ἐςὶ δὲ ἄλγαμα Ἄμμωνος πρὸς τῇ οἰκίᾳ τοῖς τετραγώνοις Ἑρμαῖς εἰκασμένον, κέρατα ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἔχον κριοῦ. *Eſt autem ante domum Ammonis ſimulacrum quadratis Hermis æqualiter factum, ſuper caput arietis cornua habens.* Porrò eundem umbilici & integri arietis cujusdam ſpecie repræſentat; neque tamen auctorem ex veteribus ullum novisque citat. Denique ſiſtit hominis ſtaturam pelle arietis circumdatam, manu extenſa dextera, & hircinis cornibus; quam unde ſumſerit, ne verbô quidem ſignificat. Quicquid etiam de ſimulacro manibus repandis, & mole maximâ, & idolis Arabum ex Arabica geographia repetit, hoc Ammoni noſtro minùs congruet. Mirum verò eſt, ab ipſo hominem allegari Æthiopem, qui de Ammone hujusque ſtatuis ſciſcitatus, Æthiopicè ſcribat, multa in Barnagaſch Æthiopum regione adhuc exſtare, ſimulacra animantibus ſimilia, & caput Leonis aut arietis ex parte referentia, quæ Amuna nuncupent: Nec tamen ab Æthiope, nec à Kirchero, quod debuerat, ullum ſchema exprimi. Sic Fabricius in ſua Saxonia numen Saxonum vetus Hama profert; illudque Voſſius (*l. cit.*) ex origine vocis Hebraica ſuſpicatur Solem fuiſſe: Neuter tamen Hamæ vultum aut ſtatuam explicavit. Sic Schedius (*cap. 3.*) in Syntagmate ſuo de Diis Germanis ex Africa Hammonem ad Saxones & Weſtfalos migráſſe putat, præſertim ad Hamburgi viciniam; nullis tamen hiſtoricis rationibus, ſed conjecturis aut Monachorum fabulis ibi nititur.

V. Strabo Geographus auguſtiſſimum, quod vocat, & antiquiſſimum (*Lib. XVI.*) in deſerto Libyæ Ammoniæque oraculum perſecutus, Ammonem hircinô capite, ac pelle amictum, multisque ceremoniis cultum prædicat. Hunc enim

ab Sacerdotibus , dum reſponſa expetunt , auratô vectari navigiô ſcribit, & patriô cohoneſtari carmine, donec oraculum edat, non verbis equidem, ſed nutu ſigniſque obſcuriſſimis. Curtius Rufus verò ad Ammonem in Alexandri hiſtoria progreſſus, illud, quod pro Deo colitur, non eâdem ſiſtit effigie, quam vulgo Diis artifices accommodant. *Umbilico tenus*, inquiens, *arieti ſimilis eſt habitus, Smaragdo & gemmis coægmentatus. Hunc cùm reſponſum petitur, auratô navigiô geſtant Sacerdotes, multis argenteis pateris ab utroq; navigii latere pendentibus. Sequuntur matronæ virgineſque, patriô more inconditum quoddam carmen canentes, quô propitiari Jovem credunt.* Arrianus etiam Nicomedienſis (*Lib. III.*) ubi ad hunc Ammonem in expeditione Alexandri devenerat , idem fermè, quod alii retulerunt , paucis attigit. Eccur ſermonis multitudine ad Jovem jacentem non ſuperſedeat ? Strabo Amaſenus (*l. cit.*) enim ſuô ævô , quô Tiberius Imperator præerat, oraculum Ammonis negligi cœptum ait : Διόπερ καὶ τὸ ἐν Ἄμμωνι σχεδόν τι ἐκλέλειπται χρηστήριον. πρότερον δὲ ἐτετίμητο. *Itaq; oraculum Ammonis propemodum eſt deſertum, quod in honore priùs fuit.* Magis etiam neglectum ſuô tempore Plutarchus in iis demonſtrat, quæ ſcripſit de oraculorum defectu, cauſiſque , cur illa defecerint. Nempe quantò magis lux Evangelii prorumpebat, tantò minus pretium tenebricoſis erat oraculis. Unde Prudentius rectè cecinit :

Nec reſponſa refert Libycis in Syrtibus Ammon.

VI. Ita ſimulacrum Jovi cornigero ſuum ex hiſtoria Græca, Romana, Hebraica, falſa pariter ac vera renovavimus : Nunc igitur illud ex Hieroglyphicis & antiquioribus nummis abſolvi perficique an poſſit, experiemur. Ex Hieroglyphica minus occurrit, præter unicum Jovis Ammonis typum, qui eſt aries, biſulcam è capite flammam vibrans, globumque alatum dorſo, & interpoſitum loti florem exhibens : Uti Kircherus ad menſam Iſiacam in Oedipo commentatur Ægyptiaco. Plus antiqua dabunt numiſmata. Quantum enim iſta Deorum,

Regum,

Regum, Imperatorum, Principum & illuſtrium Virorum imaginibus reſtaurandis inſerviant, Ez. Spanhemius librô egregiô declaravit. Occurrunt autem in Romanis Fulv. Urſini familiis numi eidemque denari, Jove cornigerô inſignes: Antiquiſſimus quidem in Cornuficia gente primus, qui Ammonem veterem capillatum, gravi vultu venerabilem, barbatum, & cornibus ad tempora intus retortis ſive arietinis præditum ſingulari expreſſit artificiô, eumque ſolùm nec literis adjectis, unâ parte: Altera Cornuficium & Junonem Soſpitam Lanuvinam cum Epigraphe Romana: Q. CORNUFICI. AUG. IMP. Q. Cornuficius Augur lituum inſigne ſacerdotii habitumque geſtat: Juno cum pelle caprina, ſcutulô, haſtâ, & calceolis repandis coronam Cornuficio impoſitam. Qui Ciceronis anteà in Auguratu collega, & in conſulatu competitor æmulus, Imperatoris nomen ex Africa, cui præerat, provincia, ſimulque Jovis Ammonis imaginem ſuſcepit. Nec alius ſed idem planè vultu, barbâ, cornibus arietinis Jupiter ad gentem Antoniam Pinariamque ſpectat cum inſcriptione ANTO. COS. III. IMP. IIII. Pars cujus averſa Victoriam alatam, ejusque manu dexterâ coronam, ſiniſtrâ frondem palmeam oſtendit, ut inſcriptus adpareat SCARPUS IMP. ANTONIO AUG. Qui de ſtirpe Pinaria partes Antonii ſecutus, Africæ præfecturam, & Ammonem ex illa obtinuit. Eundem quoque gens Lollia oſtendit Jovem cornigerum una; parteque alterâ ſellam curulem coronâ exiguâ ornatam, & Græcis ΛΟΛΛΙΟΥ characteribus. Hic M. Lollius Palikanus Ædilis procul dubio Curulis fuit, cùm Jovi hunc denarium ſacrâſſet.

VII. Idem Jupiter apud Salmaſium (*p. 1025.*) in Exercitationibus Solino additis barbatam faciem caputque oſtentat cornigerum, tanquam πόλιος θεὸς καὶ προκέρωτος, h. e. *canus Deus & more arietis cornutus*; qualem antiquior isque anonymus vitæ Alexandri Magni Scriptor nuncupat, & Vir ille magnus numis comprobat. Unde numiſmata Cæſarum, qui-

bus Ammon excuditur, unam & vetuſtam effigiem religioſiſſimè conſervant: Utpote argenteus Denarius victoriatus, quô unum latus Jupiter, alterumque alata Victoria manu coronam porrigens complet cum inſcriptione: IMP. CÆS. DIVIF. Ad Auguſtum ergò pertinet, tum fortaſsè cuſus, quum Alexandria capta, Ægyptus in provinciam redigeretur. Jovem illum nec mutatâ facie numus Neronis æneus repræſentat, margini adſcripta COL. JUL. AUG. CASSANDREN. h. e. *Colonia Julia Auguſta Caſſandrenſi*, quæ in Iſthmo Macedonico juxta mare ſita ſuum Cæſari obſequium probavit. Jovem quoque cornigerum numus Trajani duplex, unus argenteus & alter æneus refert, Græcâ inſcriptione additâ: ΑΥΤ. ΚΑΙϹ. ΝΕΡ. ΤΡΑΙΑΝΟϹΣΕΒ. ΓΕΡΜ. ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ ΥΠΑΤ. Γ. *Aug. Cæſ. Trajanus venerabilis, Germanicus, Tribunitiæ poteſtatis annô tertiô;* Ut à Car. Patino Cyrenæis tribuatur, qui Ammonem in numiſmatibus cum laſerpitio ſeu ſilphio herba ſibi propria conjunxerunt, & materiam diſputandi acerrimam Medicis atque Philologis dederunt. Inſuper numus Antonini Pii æneus Ammonem cornutum juxta cum calatho, coronâ radiatâ, & ſerpente in baculum intortô quaſi Serapidem, Solem, Æſculapium, Plutonem exhibet, quem Seguinus, celebris Gallorum Antiquarius, illuſtravit: Huicque par planè unus inter numos M. Aurelii Veri à Patino ſiſtitur elegantiſſimè. Omittam in præſentia, quòd duo numi, alter Elagabali, & Philippi Arabis alter ipſum arietem coronæ laureæ incluſum non ſine jucundo ſpectaculo contineant.

VIII. Nec ſolus Jupiter ſeſe Ammon arietinis cornibus effert, ſi antiqua luſtrentur numiſmata; Sed Alexander Magnus etiam ſibi adſumſit cornua, certè ab aliis tributa non reſpuit, ut patrem, à quo natus haberi voluit, Hammonem capite ſuô referret. Hinc ipſe in conviviis veſtes ſacras purpuream ſcilicet Hammonis ex ambitu diviſam, & cornua geſtâſſe, apud Athenæum in Dipnoſophiſt. (*Lib. XII. c. 9.*) ex Ephippo dicitur: Apud Clementem Alexandrinum in Protreptico

ſtatua-

ſtatuariis id negotii dediſſe, ut cornutum ſeſe fingerent. Quare marmora hodièque per Italiam & per Europam numiſmata paſſim exſtant, in quibus Alexander Ammoniis ſuperbit cornibus, ſive illa pone aures reflexa, ſive ad aurium pinnam à fronte proceſſerint: Illud frequentiùs numi apud Salmaſium in Solin. Exercit. Zamoſcium in Analectis antiquæ Daciæ, Patinum, & Med. Biragum in libris numariis *(c. 52.)* conteſtantur: Hoc rariùs unô declarat numiſmate *(c. 11.)* Thom. Bartholinus in novis de Unicornu obſervationibus; ac *(c. 27.)* recuſo in tabella ænea non diſſimile proponit alterum Jo. Rhodii, idque argenteum, ut tamen in utroque non parum dubii reſideat. Certiùs exſtat in Lachmundi Oryctographia Hildeſienſi numiſma, *(cap. 12.)* quod Lyſimachum cornutum anticâ parte, poſtica eandem Deæ alicujus cum ſcuto puelloque alato effigiem, quæ numi eſt à Bartholino exhibiti, & perſpicuam inſcriptionem continet ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΛΥΣΙΜΑΧΟΥ, h. e. *Regis Lyſimachi.* Sicut enim Succeſſores Alexandri Reges Macedones cornua galeis geſtâſſe, Lazius librô Græcarum rerum elegantiſſiô *(Lib. I.)* adſtruxit; Sic Lyſimachus in Thracia ſucceſſor caput Domini ſui cornutum adhibet.

IX. Ammonis igitur & Alexandri cornua neque poſteritas depoſuit, nec ulla Orientalium ætas delevit. Nam Alexander adhuc apud Arabes ſolenni nomine Dulkarnain h. e. *bicornis* audit, in Alcorano pariter atque Arabica Elmacini, Keſſæi & Eutychii Patricidæ hiſtoria. Scriptores quidem Arabici, & interpres Alcoranicus Beidavus de Jove Ammone ac hujus cornibus nullam faciunt mentionem; Sive id fiat ex ignorantia hiſtoriæ Græcæ, ſive ex aliquo Mahumedis cultu, cujus abſurdiſſimæ genealogiæ ipſum Alexandrum inſerunt, quod Hiſtoria Orientalis Hottingeri *(Lib. I. c. 3.)* ad oculum demonſtrat: Elmacinus tamen in Hiſtoria, quam collegit, Arabicâ refert, eſſe alios, qui à tumore capitis morboſo Alexandrum dici bicornem voluerint; alios inde, *quod occupârit cornua Solis ab Oriente ejus ad Occidentem*, uti loquitur, h. e.

 plagas

plagas orbis duas, Orientalem & Occidentalem ſuo imperio conjunxerit. Alia neque Keſſæus Arabs, neque Beidavus in ſuo commentario refert, niſi quod hic ultimus à cirris duobus, corona bicorni, & fortitudine ſummâ ratiunculam quærat: Quamcunque verò Arabes undecunque deducant, hæc in Græcis & verioribus quidem monumentis nullum fundamentum reperit. De cornuto Attila, Hunnorum Rege, qualem in numis Boſianis vidiſſe quondam memini, hircinisque, qualia præ ſe fert, cornibus: Itemque de Antogilenſi Rege, quem duo cornua capiti affixa pro quodam ornatu regio geſtare ex Indica Hulſii navigatione liquet, nunc non diſſeram. Quid? quod ipſi Jovi cornutorum principi apud Lucianum cornua vertantur vitio, dum ita Momus ad Deaſtrum in Dialogo, cui titulus eſt: τῆς τῶν θεῶν ἐκλησίας, i. e. *Deorum Concilii.* Σὺ ὦ Ζεῦ, πῶς φέρεις, ἐπειδὰν κριοῦ κέρατα φύσωσι σοι; *Tu Jupiter, quô fers modò, poſtquam arietis cornua tibi produxerunt?* Hiſtoriam de Cornutis Vir nobiliſſimus Georg. Francus Med. D. Prof. Heidelb. & Amicus ex Muſis Jenenſium mihi ſummoperè colendus in Tractatu Philologico-Medico præbebit.

CAPUT III.

1. *Cornu Ammonis foſſile inter gemmas à Plinio refertur.* 2. *An erravit ille, uti Bartholino viſum eſt? Cardanus tamen aberrat, quoniam hæc gemma noſtris & Æthiopibus ignota.* 3. *ab Solino Plinii exſcriptore inter lapides Africanos.* 4. *Hinc & nomen ab Ammone inditum, uti ab Adaclo Venereq́ lapidi.* 5. *Cornu illud ex Ammochryſorum genere.* 6. *An divina ſomnia repræſentârit? Quænam illa fuerint?* 7. *Dii Deæq́ ſomniales. Incubatio ad eorum fana, Jovisq́ Hammonis, lapide capiti ſubjecto.* 8. *Cornu Hammonis, illud non fuit Garamanticus lapis contra Voſſium.*

I.

SIc verò ex antiqua Hiſtoria, Græca pariter atque Romana cornu Ammonis primò & propriè ſic dictum pro noſtro inſtituto apertè docuimus. Ideoque ordo, quem ſequi-

ſequimur, ad cornu impropriè aut metaphoricè dictum nos revocat, Cornu illud foſſile, vetuſtis & recentibus ſcriptis decantatum. Plinius enim Secundus (*Lib. XXXVII. c. 10.*) in Hiſtoria naturali, & librô quidem ultimô, ubi gemmas literarum ordine commemorandas aggreditur: *Hammonis cornu*, ait, *inter ſacratiſſimas Æthiopiæ gemmas, aureô colore, arietini cornu effigiem reddens, promittitur prædivina ſomnia repræſentare.* Quæ ſi merebuntur fidem, uti à Plinio relata ſunt, Ammonis cornui locus inter gemmas Æthiopiæ religioſiſſimas erit, neque cum noſtro, quod in Europa ſupereſt, ſimilitudo aliqua, ſive colorem aureum, ſive in divinis ſomniis virtutem, ſive pretium cogitemus. Neque id conſtat, cujus Æthiopiæ, num Africanæ, num Aſiaticæ? Quam utramque veteres tradunt Geographi, & hodierni cum Bocharto, Scriptore accuratiſſimô, (*Lib. IV. c. 31.*) agnoſcunt. Cùm autem Plinius in libro ſuo de gemmis ultimô ad auctores antiquiſſimos Græcos Romanosque, Jubam Regem, Xenocratem, Calliſtratum, Alexandrum, Sotacum, Varronem, Cornelium Bacchum, & Acta triumphorum publicorum domeſtica provocârit; Nihil mendacii aut falſi ſuo ex ingenio finxiſſe, inter æquos arbitros exiſtimabitur.

II. Quid ſi Plinius auctoritate Scriptoris veteris captus, errârit? Sanè Thomas Bartholinus, Danorum Æſculapius, in Obſervationibus (*cap. 37.*) de Unicornu editis errâſſe illum acutè cenſuit. *Vel enim lapidem non vidit*, inquiens, *vel oculos aliqua nubecula faſcinavit.* Equidem errare non poſſe, nunquam cuipiam auctorum contigit, quia majus hoc eſt, quàm ut convenire in humanam fragilitatem queat: Plinius tamen haud ita graviter aberrâſſe pronunciabitur, qui ſub finem capitis proximè ſequentis, ubi gemmas ab animalibus cognominatas enumerat, ſibi defenſionem ipſe prudenter conſtituit: (*cap. 11.*) *Sunt multò plures*, inquiens, *magisque monſtrificæ, quibus barbari dedêre nomen, confeſſi lapides eſſe. Nobis ſatis erit, in his coarguiſſe dira mendacia.* Sed graviori aliquô

aliquô errore Cardanus labitur, qui Hammonium lapidem cornibus arietis ſimilem ad gemmas rariſſimas in libro de iis conſcripto retulit, neque tamen ſibi ullum viſum, neque figura expreſſum addidit. Ergo hæc gemma inter rariſſimas aut incognitas jacebit, donec fortaſſis ex orbe novo in poſterum allata fuerit: Ab Æthiopibus ut exſpectetur, nihil eſt, (*Lib. I. c. 7.*) quippe illa terra pauciſſimas hucusque gignit, & regio diademati adulterinas gemmas inſitas nobiliſſimus Ludolfus in Hiſtoria Æthiopica ſcribit. Ergo citiùs fortaſſis aquam à pumice, quam ab Æthiopibus hodiernis cornu iſtud gemmeum requires.

III. Interim quicunque ſit in Plinio error, omnis tolletur facilè, dummodò C. Jul. Solinum è Polyhiſtore aut Collectaneis rerum memorabilium adhibeamus. Nam ille horum capite XXVII. ſi Salmaſii, aut cap. XL. ſi Camertis & aliorum vulgatiſſimam ſequamur editionem, ubi Africæ gentes urbesque percenſuit, ad Cyrenas & templum Ammonis proximum progrediens: *Illic & lapis legitur* (inquit) *Ammonis cornu vocant. Nam ita tortuoſus eſt & inflexus, ut effigiem reddat cornu arietini. Fulgore aureo eſt; prædivina ſomnia repræſentare dicitur, ſubjectus capiti incubantium.* Solinus itaque, qui poſt Plinium ſeſquiſeculo & ampliùs inter Latinos Hiſtoricos vixiſſe Voſſio videtur, ceu in pluribus locis verba Pliniana, ſic in præſenti etiam exſcripſit; ut tamen pro ſuo ſenſu hæc interpolaret alicubi aut emendaret. Siquidem cornu Ammonis haud inter gemmas, ſed inter lapides numeravit; nec in Æthiopia naſci, ſed in Africa, & quidem hujus parte Cyrenaicâ ſeu Ammoniâ templum Ammonis proximè legi ait. Quæ quamvis Plinio juniora ſint & poſteriora; propiùs tamen ab veritate abſunt, ut conjectem meritò, Solini tempore in Africanam Hiſtoriam plus perſpicuitatis, quàm Plinii ævo illatum fuiſſe: Maximè cùm plura Hiſtoricorum ſcripta ſuppeterent, defectumque, quô priſci laboraverant, ſupplerent.

IV. Ita-

IV. Itaque ſi cum Plinio hunc Scriptorem ſequimur, cornu Ammonis lapis vocabitur Africanus, inflexus adeò & tortuoſus, ut cornu arietini effigiem reddat, colore aureô, ſuperſtitioſis prædivina ſomnia repræſentans. Hunc lapidem Africanum dico, in Africa ex arenis ibi frequentiſſimis & Cyrenaica prognatum. Etenim cùm ibi templum Ammonis ſacratiſſimum floreret, naturaque lapides arietinô cornu ſimiles procrearet, his ab Jove ipſo nomen impoſitum quis neget? Sic in Hiſtoria lapidum gemmarumque apud Græcos Ἀδάδυ νέφρος, ὀφθαλμὸς, δάκτυλος, h. e. *Adadi, ren, oculus ac digitus*, à Deo inter Syros Phrygesque celebri; Ἀφροδίτης πλόκαμοι καὶ ὄμφαλος, h. e. *Veneris crines & umbilicus;* Beli oculus ac Jovis quoque gemma apud Plinium occurrunt. Sic à cornu Ammonis arietino inter Ammonios & Cyrenæos novum repertum vocabulum quis non videat? Cauſa enim denominationis ſub oculos cadit, ſimilitudo nempe quâ cornu arietini effigiem, uti Plinio ſic Solino, reddidiſſe dicitur. Sed mirum eſt, cur Solinus Pliniana inverterit verba, & pro colore aureum fulgorem poſuerit: Fulgor quippe gemmis, lapidibus verò communibus color inter Phyſicos attribui ſolet. Cùm ergò lapidem deſcribat in Polyhiſtore ſuo, cur fulgorem illi aureum, non colorem cum auctore ſuo, quem ſequebatur, addidit? Siccine fortaſſis noluit exſcripta videri, ac latere quadantenus aut tegi, quæ à Plinio in uſum adſumſerat ſuum? Utcunque res habeat ſeſe, coloris nomen pro fulgore convenientiùs adhibuiſſet.

V. Attamen color iſte fulgorque aureus in cornu Ammonis lapideo me inducit, ut hoc inter Ammochryſi aut Chryſammi genera reponam. Ammochryſus enim ſive Chryſammus Græcô nomine (Ἀμμόχρυσος ἢ χρυσάμμος) lapis vocatur, qui ex arena aurea compactus colorem refert aureum, ac reſolutus in pulveres ſcripturæ poſteà conſpergendæ aut ſiccandis literis inſervit. Libya nempe ac hujus pars Cyrenaica vaſtis ſolitudinibus & arenarum mobilium quaſi fluctibus ex-

aſperata, ſabulum ubicunque miſcebat aurarium, è quo Chryſammi faciliùs concreſcere potuerunt. Quum Æthiopia quoque in fluminum ramentis, arborumq́ue radicibus, & ſummâ telluris ſuperficie aurum quandoque largiter ſuppeditet, uti apud Ludolfum anteà laudatum (*l. cit.*) legimus; Pro Plinio ſtabit, quisquis contenderit, in illa Chryſammos ſive lapides coloris aurei progeneratos. Certè Ambroſinus in Muſeo ſuperiùs citato ſpeciem Ammochryſi facit lapidem, quem cornu Ammonis nuncupant, & figura exprimit non una. Ut vel ideò hujus in naturalibus verſatiſſimi Viri ſententia parùm ab mea diſcrepet, meq́; ab illa vix iterum dimoveri faciat.

VI. Cornu igitur Ammonis vetus ex Ammochryſi genere poſthac cenſebitur: Id quia plurimum religionis ex Ammone habuit, hinc erat, cur prædivina ſomnia repræſentare ſuperſtitioſi dixerint. Hæc verba quò apud Plinium ſenſu exſtant, eodem Solinus ne mutata quidem repetiit illa, ut vim doceret mirificam, quam veteres in divinis ſomniis huic lapidi attribuerunt, tum maximè, quum incubantium capiti ſubjectus eſſet. Somnia prædivina illa Græcis θεῖοι ἢ θεόπεμπτοι ὄνειροι καὶ σημαντικοί, h. e. *à Diis Deabusve immiſſa ſomnia & præſaga* dicebantur, tanquam quæ ſuô eventu non careant; Uti apud Artemidorum in Onerocriticis (*Lib. I.*) & Macrobium in ſpiſſo ad ſomnium Scipionis commentario exſtat. Potiùs δαιμονόπεμπτοι ὄνειροι, h. e. *à Dæmone immiſſa ſomnia* illa dicenda ſunt meritò, quòd anxiô labore captarentur, nec niſi votis atque ſacrificiis idololatricis impetrata objicerentur hominibus, qui ſolenniter priùs luſtrati, horum excipiendorum ergo ad aras Deorum fanaque incubuerant. Hanc enim viguiſſe olim è ſomniis captatam divinationem Græcè ὀνειρόκελσιν καὶ ὀνειρομαντίαν, Peucerus in Commentario de divinationum generibus doctiſſimô, (*p. 425.*) & Voſſius in Theologiæ Gentil. librô tertiô (*c. 35.*) perſpicuè demonſtrant.

VII. Nem-

VII. Nempe apud veteres ea quondam invaluit religio, ut petituri à Diis opem ad fana procumberent, tanquam reſponſum ab iis inter vigilias aut inter ſomnia exſpectaturi. Unde Dii Deæq; ὀνειρόπεμπτοι Græcè, h. e. *immittentes ſomnia*, Latinè ſomniales etiam vocabantur; horumque princeps velut Hercules ſomnialis, quem antiqua apud Salmaſium inſcriptio in Solin. Exercitat. (*ad cap. XXVII. Claſſ. X. n. 4.*) & Reineſium in Opere divulgato edocet, ſequentibus concepta verbis: V. F. CULTORES HERCULIS SOMNIALIS DECURIA. I. Hæc prima nempe decuria religioſi Corporis aut Sodalium ſacrorum vota fecit Herculi, ut ſomnia prædivina de præteritis, futuris, ac præſentibus, immitteret, quippe ſomniali ſeu Deo ἀλεξικάκῳ καὶ ὀνειροπέμπτῳ, h. e. *malorum propulſatori & ſomnia immittenti*. Quin Lucianus in Hephæſt. tres divinitatis notas, ſomnia nempe curationes, & oracula facit, omiſſis, quas debuiſſet addere ἐπιφανείαις, ſeu apparitionibus. Ut vel inde Jovem Hammonem ſuis cultoribus inſpirâſſe ſomnia, vel impreſſiſſe credam, iis maximè, qui fano incubabant ſuo, lapidemq; hunc noſtrum capiti ſubjecerant. *Nam incubare dicuntur propriè ii, qui dormiunt ad accipienda reſponſa. Unde eſt: Ille incubat, i. e. dormit in Capitolio, ut reſponſa poſſit accipere:* Sic Servius ad VII. (*v. 87.*) ſcribit, illudq; Plauti reſpicit in Curculione:

Namq; incubare te ſatius fuerat Jovi.

Quare velut Jovi Capitolino inter Romanos, Paſiphaæ inter Lacedæmonios; Amphiarao apud Oropios; ad Canopum in templo Serapidis; in Narbata apud Hyrcanos; ad aram Ardali apud Trœzenios; ad Pergamum Æſculapio incubabatur; ita in delubro Jovis Ammonii, ut ſomniarent, recubuiſſe homines, lapidemque ſeu cornu iſtud lapideum, ſuppoſuiſſe capiti, ut inde colligas, in proclivi (arbitror) erit.

VIII. Sed cur incubationem in fanis Deorum heic copioſè perſequar, quam excellentiſſimus Meibomius Exercitatio-

ne Philologico-Medica dudum accuratiùs, uti ſolet omnia, declaravit, & Anton. van Dale Med. D. ſecunda de Oraculis Ethnicorum diſſertatione obiter illuſtrat. Cur tantam in divinis ſomniis virtutem lapidi, Chryſammo vindicem? Vaniſſimi nempè nugarum inſtitores Onerocritici fuerunt veteres, quicunque fuerint, ſive Sacerdotes, ſive reliqui; Artemidorus etiam Vir alioqui multâ doctrinâ celebris, nec non Cardanus, ingeniô ſummus, niſi quod illud hâc re nimis futili occupavit. Aſt capite tandem ſequenti hanc lapidis virtutem pauliſper excutiam: Nunc Voſſio ſatis faciendum erit, qui cornu Ammonis ſive lapidem hunc noſtrum in Libro Theologiæ Gentilium ſecundo (*cap.2.*) pro gemma illa vendidat, quam Silius Italicus (*Lib. XV.*) Garamantidem vocat, ipſe Plinius Garamanticum & Carchedonium. Sed neque Silius Poëta in Punicis, neque Plinius in Hiſtoria, quod Voſſio probatur, comprobat. Plinius enim capite Carbunculos exponit ſeptimô: *Horumq; genera ſunt* (ait) *Indici & Garamantici, q[illegible] Carchedonios vocant, propter opulentiam Carthaginis magnæ.* Hæc ad cornu Ammonis nihil attinent, neque poſſunt eò torqueri, niſi vim faciamus Plinio, qui expoſitis per genera colorum principalium gemmis reliquas ſubjungit capite decimô, & inter eas quoq; cornu noſtrum lapideum. Silius verò quum de gemma Garamantide quandam in Punicis, de cornu Ammonis nullam fecerit mentionem, nihil ex mente Voſſii confirmabit.

CAPUT IV.

1. *De cornu Ammonis analytica commentatio ſecundùm Ariſtotelem: An ſit, quodq; ſit?* 2. *Cur ſit, quidq; ſit, juxta eundem Analyticæ magiſtrum optimum.* 3. *Materia hujus ex qua, nempe terra in agro Brunshuſano aut lenta aut macra.* 4. *Ubi de Cœnobio Brunshuſano, ejusq; conditore Ludolpho, Saxonum Duce.* 5. *Cauſa efficiens, eaq; aut univerſalis aut particularis: Et hæc quidem vel remota, vel proxima.*

ma. 6. Forma quidem ſubſtantialis, nulla tamen ex animabus, nempe κερατολιθοειδής. *7. Finis duplex aut ultimus, aut intermedius: Et quidem alius verus, aliusq́ falſus in ſomniis divinis ex Ariſtotele contra Voſſium defenſo.*

I.

DE cornu Ammonis veteri apud Plinium Solinumq́ue commemoratô ſatis habebimus per tria priora commentationem hiſtoricam texuiſſe capita: Nunc philoſophicam & analyticam de cornu Ammonis hodiernô aut phyſicam pertexemus. In hac verò nullus, quem ſequar, occurrit in antiquis alius, niſi Ariſtoteles Stagirita, optimus doctrinæ Analyticæ dictator: Hic ſecundô Analyticorum poſteriorum librô ſub initium, ut ſolet plurima, præclarè: Τὰ ζητούμενα ἐστιν ἴσα τὸν ἀριθμὸν, ὅσαπερ ἐπιστάμεθα· ζητοῦμεν δὲ τέτταρα, τὸ ὅτι, τὸ διότι, εἰ ἔστι, τί ἐστιν. *Quæſtiones ſunt æquales numero iis, quæcunq́ ſcimus: Quærimus autem quatuor, quod ſit, cur ſit, an ſit, quidq́ ſit?* Huc ergò prior mea convertetur demonſtratio, ut conſtet manifeſtiſſimè, an ſit, & quod ſiet cornu Ammonis hodièq; lapideum? Id utrumque quoniam in ſenſum perſpicuè incurrit, vix eſſe puto, cur operoſiùs demonſtrem. Sive lapidis naturam, ſive proprias hujus affectiones, ſive figuram & accidentia communia requiras, nihil in hoc cornu deſiderabitur, ſed reperietur omne, quicquid pro natura, propriis, attributis, figura, & accidentibus à te ipſo dabitur. An res enim ſint exiſtantq́ue, illud duobus cognoſcitur modis, ἢ κατὰ συμβεβηκὸς ἢ κατ' αὐτὸ, h. e. *vel per accidens* ex accidentibus nempe, quæ ſub ſenſum ipſa cadunt; *vel per ſe*, h. e. ex rerum eſſentia naturaque, aut propriis earum affectionibus. Quas quoniam in hoc cornu & naturam lapidis alicujus deprehendere nullo negotio licet, quid dubitabitur diu, an illud hodièq; extet in Europa, Germania, & hac noſtra, quam habitamus omnes, Saxonia?

II. Quæſtiones autem reliquæ duæ, cur ſit, & quidnam ſit illud, de quo disquiritur, cornu plus negotii faceſſent, & nunquam expedientur, niſi ad cauſas veras primasque confugeris. Quæ ipſa methodus demonſtrativa extat aut analytica, & antiquis Philoſophis, præſertim Ariſtoteli recepta, & tam ſolerter tradita, ut Carteſiani hodierni, eorum maximè anteſignanus Anton. Grandis in Logica ſua (*Artic. XIX*) comprobârint illam, neque tamen evidenter ſatis expoſuerint. Habet quippe ut in ætatibus auctoritatem ſenectus, ſic in doctrinis antiquitas, eaque apud cordatos plurimum ſemper valebit, quanquam apud homines novitatis ſtudioſos jaceat. Audiemus igitur Doctorem è Peripato vetuſtum, qui primô poſt. Analyt. librô (*cap. 2.*) graviter in hanc rem: Ἐπίστασθαι δὲ οἰόμεθα ἕκαστον ἁπλῶς, ἀλλὰ μὴ τὸν σοφιστικὸν τρόπον τὸν κατὰ συμβεβηκὸς, ὅταν τ' αἰτίαν οἰόμεθα γινώσκειν, δι' ἣν τὸ πρᾶγμα ἔστιν, ὅτι ἐκείνου ἀντία ἐστὶ, καὶ μὴ ἀνδέχεσθαι τοῦτ' ἄλλως ἔχειν. *Scire putamus unamquamq; rem ſimpliciter ſeu abſolutè, non ſophiſticô modô ex accidente, quum putamus, cauſam cognoſcere, propter quam res eſt, quodq; illius rei cauſa ſit, nec poſſe ſeſe illam aliter habere.* Huic ſi methodo fideliter inſiſtemus, & cauſas externas pariter atque internas, quas Philoſophi vocant, indagabimus, tum ad demonſtrationem & ſcientiam analyticam pervenietur.

III. Quandoquidem ergò cornu ſive corpus lapideum in quæſtionem venit, de materia hujus, quænam aut qualis ea ſit, primum explicabitur, tanquam de paſſivo principio, è quo uti producitur, ita productum poſteà conſiſtit. Hanc nemo aliam deprehendet, niſi terram in agro, quaquà illa patet, Brunshuſano & multam & copioſiſſimam: Quæ cùm alibi lenta, tenax & viſcida ad naturam argillæ propiùs accedat, alibi macra inter montes & rarior, plus ſabuli, calcis, lapillorumque contineat; in utroque hujus cornu materiam agnoſcimus, & viſu, ſiquidem eô teſte opus fuerit, noſtrô percipimus. Illa quidem ſolutior humoribus aut ſubterraneis aut pluviis fermentata facilè concreſcit; hæc autem ſpiſ-

ſior

ſior ſubacta humido difficiliùs in naturam lapideam coaleſcit. Utraque tamen aut fluxu, aut quâcunque percolatione, aut aliâ quâdam ratione. Ita Theophraſtus, Ariſtotelis in Peripato digniſſimus ſucceſſor, ex libro de Lapidibus peculiari ſub initium docet, ubi aquam metallis, terramq; lapidibus pro materia tribuerat. ἅπαντα οὖν ταῦτα χρὴ νομίζειν, ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν, ἐκ καθαρᾶς τινος, καὶ ὁμαλῆς ὕλης, εἴτε ῥοῆς εἴτε διηθήσεως διά τινος γενομένης, εἴτε κατ' ἄλλον τρόπον ἐκκεκριμένης. *Omnia ergò heic putandum eſt, ut ſimpliciter dicatur, è pura quadam atq; æquabili materia concreviſſe, ſive per fluxum ſive quandam percolationem facta, ſive per modum alium concreta.* Hanc æquabilem puramque ac homogeneam deprehendes materiam, ſi cornu Ammonis illud diſſolutum comminueris, aut malleô contuſum in partes diviſeris minutas. Nam iſtæ particulæ ortum indicabunt ſuum, terramque teſtabuntur aut argillaceam, unde concreverunt, aut calcariam.

IV. Hæc ipſa cornu hujus lapidoſi materiam, terra nempe in agro Brunshuſano frequens, ad iſtud, unde nomen accepit, Cœnobium Brunshuſanum avocat, Ducatûs noſtri Brunſuicenſis antiquiſſimum. Ludolfus enim patre Walberto, avo Wigberto, & Witekindo proavo, Saxonum aut Rege aut Duce prognatus, idemque Saxoniæ Dux Anno DCCCLIII. in honorem Johannis Baptiſtæ ac Stephani Protomartyris, & Monialium habitationem illud condidit, tum Odæ conjugis dilectæ ſuaſu, tum Ludovici Imp. Rom. inviĉtiſſimi, ac Papæ Rom. Sergii conſenſu: Sic habet prima fundatio, quam Heinr. Meibomius, Hiſtoriæ quondam noſtræ Saxonicæ aſſertor celeberrimus ibi protulit, ubi demonſtrat, Duces Saxonibus ex ætate Caroli M. & Francicorum Impp. ultimâ præfuiſſe. Conſentiunt Sigebertus in Chronographia, *(ad A. 860.)* Auctor anonymus de fundatione quarundam Germaniæ Eccleſiarum à B. Madero inter Antiquitates Brunſuicenſes editus; Albertus Stadenſis *(p. 162.)* in ſuo Chronico; Martinus Prædic. Monachus in MSto, *(ad A. 787.)* quod

quod Luneburgi exſtat, Chronicô, & Witekindi quidem hiſtoriâ; Gobelinus Perſona in Coſmodromio, (*ad A. 1014.*) & Theod. Engelhuſius ab laudato anteâ Madero editus. Hunc unum præ cæteris è Chronico ſuo (*cap. 42.*) audire nunc juvat: *Ludolfus iſte*, ait, *Dux Saxonum Romam causâ devotionis profectus, reliquias SS. Præſulum Anaſtaſii & Innocentii, impetratas à Papa Sergio III. detulit in Saxoniam; in quorum honorem primò Cœnobium ſanctimonialium in Brunshuſen, poſteà verò quartô annô conſtruxit in Ganderſem, hæreditate ſuâ illic attributa, & filia ſua Hadamode Abbatiſſa Dominarum ſecularium conſtituta: Eccleſiam illam dotavit XI. millibus menſis, juxta numerum XI. millium SS. Virginum.* Literæ Ludolfi Ducis Saxoniæ fundationis & dotationis Eccleſiæ à ſe Anno DCCCLIII. in Brunshuſen conditæ & hinc ad fluvium Gande translatæ adhuc ſuperſtites hæ ſunt, *quæ ſequuntur:* Quia ſcriptum eſt, pretium animæ viri, divitiæ ejus. Idcircò ego Ludolfus, Dux Saxoniæ, notum eſſe cupio omnibus Chriſti fidelibus, tam præſentibus quàm futuris: Quod ego poſt inchoationem Monaſterii puellarum, quod divinâ inſpiratione commonitus, ſimulque dilectæ conjugis meæ Odæ ſuadelâ inductus, in honorem Præcurſoris, Stephanique Protomartyris, in Brunteshuſen ædificare cœpi, literis Domini noſtri Ludovici, Romanorum Regis invictiſſimi, ad ſanctiſſimum Sergium Papam acceptis, cum prædicta conjuge mea An. Domini DCCCLIII. Indictione primâ, Romam ivi, & in præſentia ipſius Summi Pontificis prænominati Monaſterium, & omnem proprietatem hæreditatis meæ, quam habui, videlicet Gandershemiæ marcæ, & Dengdiæ marcæ, & Laachindorp marcæ, & alia loca plurima cum famulis utriusq; ſexûs, Apoſtolorum Principi, pro remedio animæ meæ, & eorum ſimul, quibus debitor extiti, & jus & proprietatem integraliter tradidi. Sanctorum etiam Romanorum Pontificum Anaſtaſii & Innocentii pignora glorioſa nobiscum deportanda piæ nobis charitatis affectu tradens petiit & accepit à nobis promiſſum, Eccle-

Eccleſiam in honorem prædictorum Confeſſorum fabricandam, & lumen ante ipſorum pignora indeficienter adminiſtrandum. Ut autem hæc omnia per ſuccedentia ſibi ſecula firma & indiſſolubilia perſiſtant; Privilegium plenæ & perpetuæ libertatis in papyro conſcriptum, ubi omnia prædicta continentur, Monaſterio noſtro liberè utendum tradidit. Nos etiam in continenti duas ſtolas albas XXX. aureis intertextas eidem beato Sergio Papæ tradidimus, ſtatuentes, ut Abbatiſſa, quæ pro tempore fuerit, eundem cenſum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ in ſignum libertatis ſingulis annis perſolvat. Cùm autem divinâ cooperante gratiâ proſperè domum rediiſſemus, gratanter à S. Collegio recepti, eundem locum ſacro puellarum cœtui videntes nimis anguſtum, in quadam ſylva hæreditatis noſtræ, juxta fluvium Gande, qui aliô nomine Ecterna nuncupatur, Anno ab Incarnatione Domini M DCCC LVI. Indictione quartâ, Eccleſiam in honorem dictorum Confeſſorum non longè à priori loco celebriori ædificio conſtruximus. Precamur igitur vos legentes vel audientes hujus noſtræ donationis paginam, ut cœleſtis regni clavigerum pro nobis ſuppliciter oretis, quatenus poſt funera carnis noſtræ Paradyſi januas traditâ ſibi poteſtate nobis aperiat, atque in extremo examine ante tribunal æterni Judicis ſupplex pro nobis advocatus exiſtat. Satis de Cœnobio & agro Brunteshuſano, ad quem heic digrediendum pauliſper fuerat.

V. Revertam igitur ad cauſas, unam præſertim ex omnibus efficientem, unde principium eſt motus ſive generationis in hoc cornu lapideo procreando. Hæc efficiens cauſa è Scholis Phyſicis duplex occurrit: Altera quidem univerſalis, alteraque particularis: In illa nempe univerſali mecum omnes convenient, ſeu de prima, DEO ſcilicet, cunctorum lapidum Auctore maximô; ſeu de ſecunda, aſtris videlicet Planetisque dixero. *Deus quippe omnium rerum ſeminator eſt atq; ſator*, Tullio noſtro; (*Lib. II. de nat. Deor.*) Cœleſtia verò

aſtra, Solem , Lunam , & reliquos Planetas in lapidum generatione ſuam conferre partem, quis eſt, qui neſciat? Benè Manilius: *(Lib. I.)*

Aſtra movent terras, Deus hæc movet ipſe ſupremus.

De particulari quædam ſententiarum fortaſsè varietas erit: Aſt removebitur illa, quæcunque ſit, certè minuetur, ſi duas dixerim , in uno hoc cornu concurrere , unam remotam , proximamque alteram : Remota caloris & frigoris erit , à quo utroque ad fermentationem & concretionem terra ſive materia jamdum rectè diſpoſita redigetur. Ita Theophraſtus in libello de lapidibus citatô anteà docet : ἡ δὲ πῆξις τοῖς μὲν ἀπὸ θερμοῦ, τοῖς δ' ἀπὸ ψυχροῦ γίνεται· κωλύει γὰρ ἴσως οὐδὲν, ἔνια γένη λίθων ὑφ' ἑκατέρων συνίςαθαι τούτων. *Coagmentatio autem his quidem à calido, illis autem à frigido fit: Nihil tamen prohibet, quædam genera lapidum ab utroque horum concreſcere.* Proxima inter cauſas particulares efficiens mihi eſto principium κεραολιθοποιὸν, h. e. *lapidi ad cornu ſimilitudinem inflectendo congruum;* ſive quis illud potentiam , ſive vim & virtutem cornei lapidis effectricem , ſive ſpiritum è Kirchero novisque Scriptoribus lapidificum appellet. Scio quidem hæc noviter reperta nomina inter Grammaticos non ferri, nec in Lexicis reperiri: Inter Philoſophos tamen ut ferantur , neceſſitas facit , & veterum æquè atq; recentiorum auctoritas. Unde Kircherus in mundo ſubterraneo (*Lib. VIII. c. 3.*) magnetiſmum , vim lapidificam, & ſpiritum architectonicum ſeu plaſticum efformat, ubi cauſam lapidibus efficientem aſſerit.

VI. Ita nimirum hæc quam κεραολιθοποιὸν dixi , cauſa efficiens in materiam efficaciter agit , ex illaque formam educit ſubſtantialem , eductamque cornu Ammonis lapideô relinquit, ut inde differentiam ſpecificam & propriam ultimo conſequatur : Hoc munus formæ ſubſtantiali apud Philoſophos injungitur. Quæ tandem illa ſiet , aut unde ſumatur, heic in quæſtionem veniet? Hîc Rhodus, hîc ſalta , ut in proverbio dicunt vetuſto. Democritus omnes formas à figura,

ſitu,

ſitu, & atomorum ordine, h.e. quantitate & qualitate ſumi voluit: Sed cur non ex reliquis categoriis depromantur? Ut enim res ſunt, ita formam ſpecificam illis convenire, quis non videat? ἰδιότητες δὲ πλείους εἰσὶν ἐν τοῖς λίθοις. ἐν γὰρ τῇ γῇ χρώμασι τε καὶ γλισχρότητι καὶ λειότητι καὶ πυκνότητι, καὶ τοῖς τοιούτοις αἱ ῥοαὶ διάφοροι· κατὰ δὲ ἄλλα σπάνιοι. *Lapidum autem plures ſunt proprietates. In terra enim coloribus & tenacitate & lævore differunt, fluxus & denſitate ac ſimilibus; ſecundùm alia verò rari:* Theophraſtus in libello anteà citato ait. Quare ſi lapideam in hoc cornu eſſentiam, ſi ſcabram, tortuoſam & infuſcatam aut ſubcinericiam ſuperficiem, ſi corneam in eo ſimilitudinem aut figuram attulero, quidni ſufficiant? Quidni formam dabunt κερατολιθοειδὴ ἢ κερατολιθόμορφον, quam Græcô rotundiùs ſermone, Latinô incommodiùs paulùm, nec ſine ambitu verboſo exprimere vix licet? Cùm hæc autem forma lapidi corneo & ſubſtantiæ inanimatæ aut corpori vitalis actionis experti debeatur, ſubſtantialis quidem ipſa eſt atque corporea; nulla tamen ex animabus, quas vegetativam, ſenſitivam & rationalem Philoſophi conſtituunt. Adeoque forma huic Cornu foſſili nihil vitæ conferet; Natura verò rerum Dædala, qualem Lucretius (*Lib. V.*) vocat, jucundum indidit ſpectaculum, nempe figuram corneam ab ariete aut animali quadrupede adſumtam. Videlicet natura Lithogennetica Kirchero (*c 8.*) Geometram ſeſe, Aſtronomam, Opticam, Pictricem, & in lapidibus cunctis divinam ferè artificem probat.

VII. Finis ſupereſt, cujus gratiâ hoc cornu in foſſilibus habetur, idemque duplex: Unus reſpectu DEI ultimus, alterq́ue humani generis reſpectu intermedius aut proximus. Ultimus ille divina eſt gloria, quam cornu lapideum nullô ſermone, ſed ſuô artificioſô extollit ſchemate augetq́ue. Quorſum enim univerſa naturæ fabrica & compages, & cunctorum corporum lapidumq́ue infinita varietas & multitudo pertinet, niſi ad gloriam DEO Ter Optimo aſſerendam? Intermedius ergò reſpectu humani generis proximusq́ue finis aut

verus etiam in hoc cornu noſtro, aut falſus erit: Verus in laude ponetur cultuque DEI congruô, ad quem homines, quotquot ſapiunt, exquiſitiſſima lapidum figura commoveri aut compelli decet. Ἐστὶ γὰρ ὁ δημιουργὸς θεὸς ἀσυγκρίτως τῶν πάντων προτιμώμενος. *DEUS enim opifex omnium maximè venerandus absq; fuco eſt.* Hierocles in Carm. Pythagor. ait: Falſus quem dico, in ſomniis divinis apud veteres ponebatur. Nam eò ſuperſtitionis proruerant gentiles, ut ſuo Ammonis cornui ad divina ſomnia repræſentanda maximam virtutem tribuerent. Sed quàm falſi fuerint, libellô egregiô Ariſtoteles *(cap. 1.)* demonſtravit, & hæc divina, quotquot jactabantur, ſomnia evertit. Τὸ δὲ γὰρ θεὸς εἶναι τὸν πέμποντα, πρὸς τῇ ἄλλῃ ἀναλογίᾳ, καὶ τὸ μὴ τοῖς βελτίστοις καὶ φρονιμωτάτοις, ἀλλὰ τοῖς τυχοῦσι πέμπειν, ἄτοπον. *Nam DEUM quîdem eſſe mittentem, cum alia irr.ationabilitate* (ſic interpretantur) *non optimis & prudentiſſimis, ſed vilibus aut plebejis immittere, abſurdum eſt.* Nempe vulgarium iſta fuerunt hominum, nulla ſapientiorum aut rariſſima. Dæmon enim facilè ſimplicioribus abuti poteſt ſoletque pro eo, quô credulos aggreditur, aſtu mirificô. Nihil ergò fuit, cur Voſſius in Theologia Gentil. *(Lib. III. c. 35.)* hanc à Philoſopho productam rationem diluere conaretur, & divina ex ſacris ſomnia urgeret, quæ nec gentilibus & falſis paria erant, nec Ariſtoteles inpugnabat. Benè Cicero de Divinatione: *(Lib. II.) An Æſculapius poteſt præſcribere per ſomnium curationem valetudinis? Neptunus gubernantibus non poteſt?* Perinde an Jupiter Hammon, an cornu ab ipſo appellatum præſcribere, aut per ſomnium indicare, quid proſit maximè unquam incubantibus poteſt?

CAPUT V.

1. *Definitio cornu Ammonis, in eaq; genus proximum eſt lapis: Nec pro cornu animalis in lapidem mutato habebitur.* 2. *Quicquid Cæſalpinus contrà ſtatuat.* 3. *Differentia ſpecifica*

cifica primùm à colore duplici. 4. *Secundò ab loco natali ſeu agro Brunshuſano, qui ab Schazfeldenſi, Hildeſienſi, alio diſtinguitur.* 5. *Tertiò à partibus duabus, apice nimirum ac mucrone.* 6. *Armatura veluti pars in definitione omittitur, ad Hoplites pertinens.* 7. *Quartò à forma ſeu figura, eaq; aut ſimplici aut multiplici contra Ferr. Imperatum.*

I.

ITa cauſas externas pariter atque internas more philoſophicô, niſi fallor, tradidi, omnesque breviter, quantum propoſito meo inſerviit, percurri. An denique ad definitionem tranſeundum heic erit? Sic fortaſsè iis videbitur, qui pro inveterata ſcholarum conſuetudine in definiendo ſunt nimii aut planè ſuperſtitioſi. Equidem nôſſe cauſas ad ſcientiam analyticam ſatis eſt: Quum tamen definitio quoque ad demonſtrationes multum conferat, neque ab illa in præſenti penitùs abſtinebo. *Cornu Ammonis itaque, de quo loquor, eſt lapis, aut nigricans aut albens, ex agro Brunshuſano progenitus, & ab apice nodoſo rugoſoq; in mucronem tortuoſum, acutum ſtriatumq; ad inſtar cornu arietini deſinens.* Genus meæ definitionis lapidem feci, quem natura, generatio & ſenſus ipſe faciunt, poſcuntque. Nam in eo nihil aliud, niſi corpus terreum, durum, friabile, nec liquabile tamen habebis, h. e. lapideam, quam Phyſici Ariſtotelici & Carteſiani definiunt, eſſentiam aut naturam. Ut omnes cæterùm doctiſſimi Viri in errorem aut credulitatem incidant, quicunque hunc lapidem pro cornu animalis in corpus lapideum mutato venditant aut exiſtimant. Ita Ol. Wormius (*cap. XIII.*) ex Melita Inſula ſub nomine cornu arietini petrefacti ad ſeſe hunc allatum in Muſeo commemorat, Hammonis cornui, quod apud alios depingitur, æqualem. Ipſe nobiliſſimus Bartholinus de unicornu hæſitat ſecum, nec apertè pronunciat, quid velit in hoc dubio argumento.

II. Andr. Cæſalpinus autem librô ſecundô (*cap. 44.*) de metallicis, ubi ad figuratos lapides devenerat, multis contendit rationibus, *corpora hujusmodi non pauca, ſed multa imò innumerabilia eandem prorſus configurationem cum viventibus habentia, viventia exſtitiſſe, ſed poſteà aut ſpontè, aut ob aliquem ſuccum lapideſcentem concreviſſe in lapideam ſubſtantiam:* Idq́ue pati frequentiùs putat oſtrearum & ſimilium teſtas, & oſſa animalium, & ligna quædam diu condita, ut propter ſubſtantiam, quæ in ipſis eſt, terream lapideſcant. Sic lapidem Judaicum, Belemnitem, Gloſſopetras è conchyliis concreviſſe ait. De cornu quidem noſtro nihil attigit: Si tamen argumenta Viri clariſſimi valebunt, pro cornu arietino in lapidem mutato habebitur. Namque cùm eadem figura in multis reperiatur, non caſu ſed aliquâ ratione configurationem hujusmodi factam urget: Omnia verò quæ caſu fiunt, non in multis, nec frequenter, ſed in paucis eadem & rarò contingere, ut in gemmis & marmoribus nonnullis imagines. Ratio autem vel ex fine habetur in figuris nempe partium, quas habent animalia, organicarum, vel ex arte, vel ex neceſſitate, ut in cryſtallo ſexangulo; Vel ex loco, quô corpora continentur. Ita nempe rationes ille continuas unà connectit. Quidni rationem aliquam à neceſſitate aut locô hujus lapidis petamus, dicamusq́ue, non alium niſi figura cornea generari potuiſſe? Quidni verò principium κερατολιθυποιὸν, quod ſuprà conſtituimus, & finis duplex pro ratione valeat? Finis quidem ab inanimatis lapidibus ipſe agnoſci & appeti nequit: Attamen ab ſuperiori aliquo agente, natura Deoq́ue ſatis cognoſcitur. Quare argumenta Cæſalpini haud illud conficiunt, ut lapis noſter pro cornu in lapidem converſo habeatur. Huic inſuper Cæſalpini, quiq́ue cum ipſo faciunt, Fab. Columnæ ac Nic. Stenonis ſententiæ contrarium exemplum idq́ue maniſeſtiſſimum Acta Philoſophica Anglicana M. Jan. An. 168¾. Num. 155. pag. 463. Eruditorumq́ue Lipſienſium M. Aug. An. 1685. pag. 371. in Conchis præbent foſſilibus, &

qui-

quidem ex *Obſervatione ſequenti Griff. Hatleji*: Cùm in Comitatu Cantii propè Huntonienſe oppidum in loco, quartâ milliaris parte à flumine Medway diſſito, piſcina amplificanda eſſet, inter fodiendum argilla primùm reperta eſt trium pedum profunditate; inde marga cœrulea optima trium pedum cum dimidio; dein ſtratum durum ex conchis, ſeu conchiformibus lapidibus ſatis densè coagmentatis, quorum interſtitia itidem margâ replebantur. Stratum hoc pollicis ſaltem craſſitie ac ita planum, ut in eo commodè ambulari poſſet, procurrebat, quemadmodum ſolent venæ ſilicis in terra cretacea; ac ſub eo rurſus marga pedis circiter profunditate deprehendebatur. Concharum iſtarum pleræque ex turbinatarum, reliquæ ex bivalvium claſſe erant; ex his tamen poſterioribus nullæ ambabus valvis invicem cohærentibus repertæ, ſed non niſi ſingulæ ſeu ſeparatæ. Ac turbinatas quidem ſeu contortas quod attinet, craſſities earum erat à vicia ad avellanam; figura omnium eadem, niſi quod in nonnullis latera nonnihil depreſſa eſſent: color, abluta marga ſeu terra lapidoſa, lapidi Bezoar ſimilis apparebat: coctæ tamen albeſcebant & cretacei quid in digitis tangentis relinquebant; quô ipsô à cochleis fricatione ablatô, ſubtiliſſimæ ſtriæ nigricantes extrorſum emergebant. Obſervatum quoque conchas has in aceto fortiter & cum bullis efferveſcere. Ex bivalvibus pleræque non excedebant craſſitiem phaſeoli, paucæ fabam majorem latitudine æquabant: valvæ tamen adeò erant tenues, ut conſimilibus animalium exuviis multum hac in parte cederent. Color idem, qui turbinatarum, niſi quod in paucis lineæ oblongæ, circulariter ad commiſſuram, quâ valvæ jungi ſolent, tendentes obſervatæ. Una tamen inter reliquas reperta ex diſtinctis quaſi lamellis compoſita, cujus convexa facies pulcherrimô nigrore ſplendebat, interiore margaritæ colorem referente. Ex bivalvularibus hiſce multæ imperfectæ apparebant, & ut ſcholæ loquuntur, in fieri; non quantum ad figuram, ſed quantum ad craſſitiem & duri-

duritiem: & in aliquibus velut prima ſtamina, in aliis quaſi gradus & profectus varii ad perfectam figurationem.

Ex hac ipſa jam imperfecta in nonnullis formatione, ut & in jam completis valvarum ſingularitate arguit Hatlejus, conchas iſtas nunquam exuvias animalium fuiſſe; præſertim cùm non auditum fuerit, exundans flumen eousque unquam pertigiſſe, aut locum iſtum anteà fuiſſe detectum. Quin potiùs exiſtimat, eas eſſe lapides ſui generis, tales ſcilicet ex quibus Conchites, ut vocari ſolet, conſtat. Confirmat hoc ex eo, quòd fruſta prædicti concreti diſſimilaris, ubi marga induruit, per quam ſimiles appareant vulgari iſti marmori, quod circa Pluckley in Cantio effoſſum adhiberi ſolet viis ſternendis; Nam & hoc non aliud credit eſſe quàm coagmentationem ejusmodi lapidum conchiformium, quibus interfuſa marga firmam ſoliditatem ac duritiem adquiſiverit: Unde & fieri ait, quòd marmor iſtud aëri expoſitum ſenſim exiguas oſtendere cavitates incipiat, interjectis ſcilicet margæ portionibus, tanquam minus duris, per temporis tractum eroſis. Pro alio adhuc ſuæ opinionis argumento allegat Hatlejus, quòd non longè à loco illo priori in agro Huntonienſi, & quidem profunditate eidem horizontaliter parallela ex quadam margæ fodina effoſſum fuerit marmoris fruſtum, quòd teſſellatô quaſi opere diſtinctum appareat lapidibus ejusmodi conchiformibus; quòdq; adeò veriſimiliter eadem cum compoſito anteà deſcripto principia agnoſcat.

III. Differentiam definitioni addo (1.) *à colore*, qualitate, ceu vocant, patibili ac noſtro primùm viſui ſubjecta. Color autem cornuum, quotquot mihi oculis & manibus tractâſſe licuit, duplex hactenus offertur: Unus quidem nigricans & fuſco propior; alter autem paululùm albens, cinereoque proximus. Utrumque Itali & Germani rerum foſſilium Scriptores *(ll. cit.)* annotant: Fer. Imperatus ſubruffum; Wormius in Muſeo griſeum aut griſeô æqualem addit. Ambroſinus cornua hæc ad ferreum, plumbeum, vel aureum quandoque

doque colorem vergere ſcribit: Ferrei aut plumbei coloris quæ ſunt, ea cum noſtro convenient: Quæcunque aurei & flavi multum habent, ea Chryſammonites ſive potiùs Ammochryſos aliquos præbebunt. Quare cornu Ammonis idem ille doctiſſimus Auctor Chryſammonitarum generi accenſet meritò, ſi nempe coloris ſabulique ſit aurei: Sin plumbei aut ferrei hoc fuerit, tum claſſi Ammochryſorum haud ita commodè inſeretur. Utcunque fuerit, noſtrum è colore ſuam, quam expreſſimus, differentiam ſervabit. Falluntur enim Scholaſtici, & in ipſum Ariſtotelem peccant, quicunque ſubſtantiarum definitionibus nullas, niſi ex ſubſtantiæ prædicamento differentias permittunt. Τελεία γὰρ διαφορὰ ἐναντιότης ἐστὶν. *Perfecta differentia eſt contrarietas*, inquit Philoſophus in Metaphyſicis ſuis. (*Lib. X. c. 1.*) Quæ verò quoniam in ſubſtantiis earumque categoria non poteſt conſtitui; cur ex alio prædicamento in ſubſtantiarum definitionibus differentias non ferunt? Intereà tamen ab ſeſe Philoſophiam Ariſtotelicam doceri volunt creduntque.

IV. Addo ampliùs differentiam (2.) *ab loco natali*, qui ager Brunshuſanus eſt, Gandersheimenſi contiguus, & ſylvâ & montibus, & pratis irriguis, & campis, & paſcuô, & antiquo Cœnobio jucundus. Terra enim, quæ ibi exſtat tum argillacea tum calcaria & lapidoſa quam non difficulter in naturam lapideam indureſcere ſoleat, hæc inflexa cornua, pluresque figuris aliis ſignati lapides conteſtantur: Puta trochitæ, entrochi, aſteritæ, ſive ſtellati, chiromorphi (χειρόμορφοι) ſeu manu humanâ præditi, ξυσμόλιθοι, h. e. lapides, qui ramenta æquent lignea, xyſmolithi, aliique, quos agricolis, foſſoribus, dum aliud agunt, & viatoribus fortuna ne quidem opinantibus offert. Quin videas eminere hoc cornu ad extremam ſuperficiem innatum lapidi prægrandi, ut fruſtrà ſit, quisquis hoc ſeparare laboraverit. Plura verò lapidum figuratorum genera Schazfeldenſis inter juga Harzica ſitus ager, ſpecuque Baumannianum in Stolbergenſi Comitatu celebre

ſuppeditat (Baumanns-Höle Germani nuncupant, neq; Baumanns-Holtz / uti Kircherus, Tollius & Wormius vocârunt.) Unde oſteocolla, dentes gigantei, quos vulgus exiſtimat, Belemnitæ ac Stiriæ nitroſæ mihi huc ex dono Viri Clariſſimi Heinr. Georg. Neuſii, Rectoris in ſchola Blankenburgica meritiſſimi ſunt allatæ. Neque cornu Ammonis lapideum agro Hildesheimenſi deeſſe, Agricola & Geſnerus *(ll. cit.)* referunt: Lachmundus in Oryctographia ſua (*cap. 12.*) nonnullis ſchematibus declarat, & nomine, quô cluit, Germanicô ein Zieher-horn oder Scherhorn: Quod & Agricola & Tollius in Notis ad Boëtium *(l. cit.)* planè idem recitaverant. Ut non dicam de agro Würtembergici Ducatûs ad Bollenſe Balneum jacente, ubi hoc cornu frequentiùs, Bauhino teſte, reperitur. Maltha Inſula, & in locis pluribus Italia, Sicilia, Dania & Anglia illud itidem progenerare apud Wormium, Bartholinum, Imperatum, Ambroſinum, cæteroſq; legitur. Ut clariùs hinc pateat, quandam ex loco natali differentiam noſtro, quod definivimus, cornu obtingere.

V. Inſuper (3.) *à partibus*, quas natura diſcrevit, & anfractu aliquô convolvit elegantiſſimè, duabus: Una eſt nodoſa rugoſaque, nodis veluti rugisque pluribus diſtincta, quam apicem voco, h. e. ſummitatem exteriorem, digitis ferè tribus latam, & flexo magis magisque ambitu coarctatam: Altera eſt mucro interior, idemque ſtriatus, tortuoſus, adeò & patulus, ut foramen medium ſeu concavum relinquat. Veluti enim cornu animalium quodque duas complectitur partes baſin ac mucronem extimum; Illaque baſi ad cranium caputve naſcitur & hæret, hâc verò mucrone in extremitatem cavam ſolidamve deſinit: Sic duas in hoc lapideo κατ' ἀναλογίαν partes facio, easdemque tueor, quas natura ſuô artificiô aut ordine diſcrevit. Nec aliàs à Phyſicis foſſilium Scriptoribus (*l. cit.*) agnoſci aut diſcerni hucusque video. Ita Wormius in Muſeo cornu Ammonis exprimit contortum & acutum, longitudine unciarum trium, craſſitie pollicis, acutô apice, cruſtâ

lævi

lævi & marmoreâ, rugis per tranſverſum coëuntibus, colore cinereô luteôque: Ut lineas minutas ſtriasque per longitudinem, & juxta baſin è centro in circumferentiam notet. Huic alterum adjecit ex Anglia ſibi allatum, quatuor circumvolutionibus in ſe revolutis, perpetuis ſtriis & articulationibus dotatum, colore ſubnigrô, ſubſtantiâ ſiliceâ, & quibusdam in locis armatura aurea ſplendens, ut in ambitu quinque pollices, duosque in diametro contineat. Ita Jo. de Laët. (*Lib. II. c. 22.*) in nobis ad Boëtium producit, quod verrucis, tuberculis & quaſi rugis quibusdam variegatum fuerat. Bauhinus autem in Hiſtoria (*Lib. IV.*) fontis balneique Bollenſis cornu hoc multiplex, nec unô exhibet exemplô, nec iisdem ferè partibus; helicoides puta, hoplites, criſtatum inſuper atque pertuſum. At ſi exempla probè omnia expendes, nullô patebit negotiô, Conchitem, Strombiten, Oſtraciten aut alium nonnunquam pro cornu Ammonis aliquô exhiberi. Quis enim pro cornu habeat Conchas lapideas, limaces & ſerpentes ſaxeos, quales Bohemia quoque profert tam affabrè factos, ut viatoribus horrorem incutiant? Ita Joh. Balbinus in Miſcellaneis Regni Bohemiæ Hiſtoricis (*cap. 51.*) commemoravit.

VI. Quid de armatura fiet, cujus ex Wormio mentionem ſuprà fecimus? Nonne illa inter partes collocabitur? Omninò ita ſentio, ſi quidem noſtris ex agro Brunshuſano editis adhæreret illa: Sed cùm deſit, non eſt ſanè, cur ad eas referri debeat. (*Lib. IV.*) *Cornua ſcilicet Ammonis, quæ plerunque armatura ferri politi colorem referente obducuntur, ſucco aluminis infecta aurei coloris fiunt;* In libris de ortu ſubterraneorum, Agricola dicit. Armaturam verò metallici vocant (Germanicè Harniſch) quòd ferri politi aut æris aut alius generis ſimilitudinem gerat. Neutrum tamen non modò metallum eſt, ſed ne tantillum quidem illius ex eo poteſt confici: Ut hoc Viro (*Lib. V.*) judice ſit potiùs naturæ rudimentum, metalla facere diſcentis: Lapisque, qui hâc armaturâ indutus fuerit,

Hoplites Græcè dici queat. Ambroſinus autem in Muſeo ſuperiùs citatô Chryſammos & lapides, inquit, aliquando materiâ quâdam armari, quæ ad colorem ferreum, plumbeum, vel aureum vergat. Hoc ut exemplis comprobet, (*loc. cit.*) Oſtreum petrificatum & armaturâ coloris aurei conſpicuum, atque Chryſammonites figuris variis, quosdam armaturâ prædiços deſignat. Imperatus denique obſervat, Ammonis cornua, ſi fortaſsè in marcaſitam inciderint, tunicâ veſtiri metallicâ, ſive armaturâ, quam communiter vocent (*veſtite di color metallico, il che chiamano armatura.*) Nec ab Laëtio, nec à Tollio in ſuis ad Boëtium additamentis aliud proferri videas. Ambroſinus (*Lib. IV. c. 15.*) igitur Ammonis cornua & lapides, quicunque cruſta polita inſtar ferri elaborati ſeu armaturâ metallicâ circumdantur, Hoplitis accenſuit, nomenque ὁπλιτῶν ἀπὸ τῶν ὅπλων, i. e. ab armis, uti debuerat, derivavit. Bartholinus autem laudatus (*l. cit.*) anteà obſervat, non in ſolo cornu, ſed in matrice ipſa ejusmodi armaturam conſpici frequentem, & ab ſeſe cum Petro Caſtello, Medicô Meſſanenſi, erutam ex ea collis parte, quâ hortus in altum publicus adſurgit. Quoniam ergò hæc armaturæ cornibus Ammonis quandoque obtigit, noſtris verò de quibus diſſeritur, nulla; Hanc ſanè inter partes collocare non poſſumus, nec debemus.

VII. Denique (4.) *à forma ſive figura*, quâ lapis noſter in cornu arietinum deſinit, nomenque Ammonis apud veteres impoſitum adhuc meritò tuetur. Cùm autem natura pro ſuo, quem armis animalium exercet, luſu cornua in anfractum convoluta dederit arietum petulco generi; Hunc quoque lapidem pro miro, quod ſubterraneis demonſtrat, artificiô non in ſimplicem ubique ſed in anfractum quandoque multiplicem convolvit. Wormius enim (*ll. cit.*) quatuor circumvolutiones in uno; Ambroſinus, Bauhinusque tres in aliis; Agricola duas deprehendit. Mirari ergò ſubiit, cur Imperatus hosce lapides inſtar cornu bovini deſcripſerit involutos:

lutos: Curque illos, qui parùm torquentur, teretesque ſunt, cornua dici, eos verò qui gyrantur & in ſpiram contorquentur, ſerpentibus aſſimilari ſcribat. Fateor quidem eſſe generis hujus nonnullos, qui cùm læves ſint, & nodis tuberculisque careant, ſerpentem aut cochleam aquaticam referri videantur, uti eſt ab Laëtio (*l. cit.*) non malè obſervatum: Attamen quotquot ſunt Ammonis cornua, non bovini, ſed potiùs arietini cornu effigiem reddunt. Spiræ ſerpentum etiam, ſi quæ lapidibus impreſſæ appareant, ad cornu tortuoſum, quale in arietibus eſt, accedunt proximè, quin ab multis Auctoribus eò referuntur. Hinc Wormius quoque Ammonis cornui lapidem ſubjecit, qui ſceleton ſerpentinum exhibeat, grandem adeò, ut pedes fermè quatuor pluresque ſpiras ambitu, & mediâ ſive centrali foramen patulum complectatur. Forma ergò in cornibus Ammonis (ſi tamen ex horum genere ſint, quæ deſcribuntur, omnia) aut ſimplex erit aut multiplex: Simplex quidem unâ aut duplici anfractu ſeu circumvolutione; Multiplex ſpiris pluribus aut inflexionibus conſtabit. Hæc ſi placuerint, ad definitionem, hujusque differentiam dicta ſufficiunto. Formæ naturales enim ut plurimùm in ſe ſuâque naturâ ſunt accidentia; Differentias autem ſpecificas ἐκ τῆς πρὸς ὑποκείμενον σχέσεως, i. e. *ex habitudine ad ſubjectum* conſtituunt, eique ſuam in certo genere perfectionem aut finem à natura præfixum adferunt: Quod præclarè Ariſtoteles in ſuis Analyticis, & Zeidlerus in doctiſſimo ad illa Commentario (*c. 12.*) explicavit.

CAPUT VI.

1. *Cornu Ammonis inanimatum eſt, nec habet ullam è tribus animam.* 2. *Cardanus tamen lapides omnes animatos voluit vivosq́;: Idemq́; Chymici nonnulli & Philoſophi volunt.* 3. *Carteſiani verò animam lapidibus, plantis & animalibus demunt omnem, vitamq́; tripliciter diſtinguunt.* 4. *Vita triplex Ariſtoteli pro plantis animantibus & hominibus.*

5. Vita ex Helmontio noviſq; Philoſophis triplex, & lapidum & omnium communis, & contradictionibus plena. 6. Rationes pro vita lapidum animaq; diluuntur. 7. An cornu Ammonis ab animali principio fiat? Neg. contra Ferr. Imperatum, Chymicosq; novos. 8. An cornua boum Indica augeantur ab eo creſcantq;.

I.

SUperiùs in quarto capite Ammonis cornui ſeu ſubſtantiæ inanimatæ, formam ſubſtantialem atque corpoream ſive materialem tribui, omnemq́ue iis ex animabus, quas vegetativam, ſenſitivam, & rationalem nuncupant, ademi, & adimendam planè ſtatui. Nulla enim vis animæ, nulla poteſtas, ab hoc cornu & lapide unquam prodiit, aut prodire videbitur, ſi animam eô, quô inter Philoſophos receptum fuit, ſignificatu accipias. Cornu quippe iſtud lapideum nec ab interno generatur principiô, nec augetur, nec potentiam generandi ſibi ſimile aut facultatem habet: Ergo vegetativa carebit anima. Idem cornu quia nec ſenſum, nec motum localem, nec appetitum, nec rationem exſerit ullam, ſenſitivâ & rationali quin deſtituatur animâ, nemo ſanus erit, qui dubitet. Quamvis verò formâ ſuâ ſubſtantiali gaudeat; hæc tamen nihil vitæ, nihil operationis vitalis conferet, aut conferre videbitur, niſi animata corpora cum inanimatis confundere audeamus. Quare cornu aliud animatum eſt, & quibusdam animantibus conceſſum, aliud inanimatum, & lapidibus per quandam ſimilitudinem commune: Ubi Ariſtoteles in Libro de partibus animalium, dum tractat cornua, tertiô ipſe diſtinxit: (*c. 1.*) Ἔχει δὲ ὐδὲν μὴ ζωοτόκον· καθ' ὁμοιότητα δὲ καὶ μεταφορὰς λέγεται καὶ ἑτέρων τινῶν κέρατα. ἀλλ' ὐδενὶ αὐτῶν ἔργα τῦ κέρατος ὑπάρχει. *Nullum verò habet niſi viviparum; per ſimilitudinem & translationem quorundam aliorum dicuntur cornua, ſed nulli operationes cornuum inſunt.*

II. Sed

II. Sed uti fert communiſſima Philoſophorum diſſenſio, mirum dictu eſt, quàm hodièque de vita lapidum inter ſeſe diſſideant. Cardanus enim magni nominis ſive Mathematicus ſive Medicus, inter ſubtilitates, quas tenues quandoque nectit, eò abripitur, ut cunctis lapidibus vitam animamque ſuam tribuat. Nec aliter poteſt ingenii prodigioſi homo, qui omnia omninò vivere, ſuâque conſtare vult animâ, tum communi tum propriâ. Hunc autem Jul. Cæſar Scaliger in ſuis Exercitationibus probè caſtigavit, animamque non mundo ſolùm univerſo, ſed lapidibus evertit, quàm multis ille rationibus adſtruxerat. (*Exerc. VII.*) *Omninò verò*, inquiens, *tu nugatus fueris. Siquidem omnia dicis vivere: Quam opinionem Thaleti tribuit Philoſophus. Non jam formam & animam, ſed animas duas congeſtione quâdam infarcies in unoquoque, alteram propriam, alteram communem.* Deinde Fallopius in Tractatu de foſſilibus inſcripto (*cap. 8.*) ſingulas Cardani rationes eruditiſſimè diſcuſſit, quæque à Scaligero prætermiſſa fuerat reſponſio, hanc iis ſolidam ſubjecit: Ut pateat, *Cardanum interdum plus homine ſapere, in pluribus minus pueris intelligere*, quæ Thuani, Scriptoris graviſſimi, de Viro ſententia fuit. (*Lib. LXII.*) An ex veteribus hanc doctrinam hauſerit, ipſe nusquam indicat; nec mihi ſuccurrit ex lectione philoſophicâ locus, unde planum iſtud faciam: Democritus tamen apud Fallopium animata putâſſe omnia, & lapidibus animam vegetativam propriam dediſſe legitur. Denique mihi ſuccurrebat locus è Diog. Laërtio, & vita quidem Thaletis, unde pateat, quis Philoſophorum primus lapides & metalla vivere putârit. Θάλης πρῶτος τοῖς ἀψύχοις μεταδιδόναι ψυχὰς λέγεται, τεκμαιρόμενος ἐκ τῆς λίθου τῆς μαγνήτιδος καὶ τοῦ ἠλέκτρου. *Thales primus inanimatis animas tribuiſſe dicitur, conjectans ex magnete lapide ac electrô.* Ad quem locum ubi J. Gerh. Voſſius in Phyſiologia Chriſtiana (*Lib. VI. c. 1.*) devenerat, pro invicto ipſi contra Thaletem è Peripateticis argumento eſt, ſi animam habeant vegetativam lapides, inſtrumenta

etiam

etiam habere organica, quibus nutriantur, & generent ſibi ſimile: At neutrum dici poſſe. Nam augeri quidem; verùm non ſicuti plantas & animalia, quorum ſingulis partibus à calore intùs calefactis nova materies addatur, inque poros accepta corpori agglutinetur, ut propterea majori ſpatio ſit opus; prout idem ſuprà dixerat. (*Lib. III. c. 21.*) Metalla autem foſſiliaque creſcere per appoſitionem externam, non mutatô interiùs eô, cui quid apponitur, ſed illô, quod exteriùs attrahitur, agglutinatô, ſimilemque in ſubſtantiam converſo ejus, cui illud apponitur. Foſſilia porrò carere ſeminibus, nec unum ex altero naſci. Hæc ita Voſſius rectè: Quibus tamen expoſitis non vult cum eo contendere, qui quadruplicem eſſe animam dicat: *Unam, quæ qualemcunque vitalem vim largiatur; alteram, quæ nutrimentum præſtet & generandi facultatem; tertiam, à qua fuerit ſenſus & motus; quartam eorum, qui ratione utuntur.* Quomodo vita latiùs patebit vi nutriendi & generandi; hæc latiùs ſenſu motuque; motus ratione. Miror autem ſummoperè, cur ita fluctuet ipſe, tantùmque Thaleti Philoſopho, & duobus ab eo in medium allatis exemplis, magneti ſcilicet ſuccinoque attribuat. Paullò poſt tamen mutatus denuò & quaſi alter, ſi nomen animæ diſpliceat, hanc vim formatricem dici poſſe ſpiritum putat, eoque inclinat, ut ab Moſe per Spiritum DEI aquis incubantem non tertia SS. Trinitatis perſona intelligatur, ſed ſpiritus primô die creatus, ac poſteà foſſilibus, cæterisque, quæ inanima dicuntut, inditus. Sed illum ſpiritum Vir doctiſſimus nimis deformat, ſuamque ita ſententiam involvit, ut ſui dememiniſſe, aut libris Phyſiologiæ Chriſtianæ poſterioribus manum ultimam non admoviſſe videatur. Lectoris heic judicium depoſco, & ipſum appello arbitrum in eo, an Thaletis, Cardani & Campanellæ, num Ariſtotelis & complurium antiquorum ſententia præſtet. Addo unum, idque recentius obſervatum, quod capiti fortaſsè quinto congruet: Nempe cornu Ammonis ad extremam alicubi ſuperficiem, & prægrandi

grandi lapidi connatum eminere, ut hinc ſeparari nequeat. Tale cornu ſaxei hujus exemplar pagus Gremſenas, à Brunshuſano cœnobio non procul ſitus continet. Utcunque de antiquis fuerit, conſtat, multos Chymicorum cum Helmontio, novosque plures Philoſophos idem quod Cardano placuit, docere, ac ſuas animas lapidibus, metallis, cunctisque quotquot ſunt, corporibus aſſerere: Ut ideò mundus univerſus, & cuncta hujus ambitu comprehenſa corpora, ſuam animam vitamque his Philoſophis acceptam referre debeant.

III. Omnibus iis reſiſtunt acriter Carteſiani, & ipſi de novitia ſecta prognati Philoſophi, qui formas ſubſtantiales tota exturbant Phyſica, neque in plantis animas, neque in animantibus ullas ferunt, ſed unâ partium temperaturâ, ſitu, & diſpoſitione vitam metiuntur: Niſi quòd hominem hujusq; mentem ſeu animum excipiant. Unus inſtar omnium heic erit Anton. Grandis, qui parte ſeptimâ Inſtit. Philoſ. (*Art. 1.*) hoc unum agit, ut corpora viventia ſeu viva, qualia & plantas & animantia eſſe fatetur, à non viventibus, metallis puta, lapidibus cunctis, & foſſilibus diſtinguat; formas tamen ſubſtantiales animasque claſſi viventium & non viventium utrique deſtruat: Intereà dum in eo eſt, *vitam pro notione triplici diſpeſcit, ut ſimplicis exiſtentiæ unam, alteram exiſtentiæ actuoſæ, tertiam coexiſtentiæ ſeu durationis nuncupet:* Primam illam cunctorum, quotquot exiſtunt, entium communem facit, & locum Ariſtotelis ex Libro ſecundo de anima huc incommodè trahit: Alteram inanimatis ſive non viventibus, & animatis ſive vivis attribuit: Tertiam in unione duarum ſubſtantiarum, aut ſubſtantiæ unius & accidentis conjunctione poſitam homini adſcribit, & unô hujus exemplô explicat. Ergo Carteſianus ille dum formas ſubſtantiales viventibus demit, eademque à non viventibus ſecernit, vitam utrisque actuoſam aut exiſtentiæ actuoſæ unam vendicat. Quid ergò fuit, cur vitam ex

æquivoca notione diſtingueret, barbariſque nominibus efferret?

IV. Equidem non nego, vitam æquivocis annumerari vocabulis, & diverſâ notione aut ſignificatione vulgò accipi: Aſt illa notio melius declaranda fuit. Sanè Ariſtoteles noſter hanc rem planius declaravit in libro de anima ſecundô, *(c. 2.)* ubi corpus animatum, & inanime diſtinguit. πλεοναχῶς δὲ τοῦ ζῆν λεγομένου, κἂν ἕν τι τούτων ὑπάρχῃ μόνον, ζῆν λέγομεν αὐτό, οἷον νοῦς, αἴσθησις καὶ στάσις ἡ κατὰ τόπον. ἔτι δὲ κίνησις ἡ κατὰ τροφὴς καὶ φθίσις τε καὶ αὔξησις. *Cum autem vivere multipliciter dicatur, etſi unum aliquod horum inſit ſolùm, vivere id dicimus: Ut intellectus, & ſenſus, & motus, & ſtatus ſecundum locum; adhuc autem motus ſecundum alimentum, & augmentum, & decrementum.* Quare ſicut anima triplex habetur, vegetativa nempe, ſenſitiva & rationalis; ſic vitam ab ea triplicem Philoſophus deduxit, & primam vegetabilibus plantisq; communem, alteram animalibus, tertiamque hominibus propriam ſeu peculiarem attribuit. Attamen tantum abeſt, ut vita hæc triplex animaque ſibi invicem opponatur, ut potiùs ſubordinetur, & in conceptu animalium prima inſit vegetalis, huic progreſsô tempore ſenſualis, & rationalis denique ſuccedat ultima. Sic idem Philoſophus in libro de generatione animalium ſecundô (*cap. 3.*) evidenter docuit; nec in libro de reſpiratione mutavit ſententiam, sed vitam plantis atque animantibus communem ita deſcripſit, ut eſſet animæ nutritivæ cum calore manſio ſeu poſſeſſio. Itaque ſi hanc doctrinam ſequimur, nulla erit lapidum & cornu lapidei noſtri, nulla metallorum, nulla denique hujus univerſi vita.

V. Sed in alia nunc omnia novi abierunt Philoſophi æquè ac Chymici, quicunque Helmontio, Belgarum Chymicorum fermè principi ſubſcribunt. Nam cùm ille per ignem Philoſophus in libro ſuo, cui titulus eſt *Magni oportet, vitam aut primam, aut mediam, aut ultimam conſtituat;* hanc illi tuentur triplicem mutatô paululum ſenſu. Vita enim prima illis dicitur

citur energia ſeu operatio animæ, quæ actiones in ſuo genere perfectiſſimas exercet, mineralium ſive foſſilium, plantarum & animantium communis: Media verò energia operationibus quidem ſuis, ſed non vitalibus inſtructa, ad quas tamen ei regreſſus dari poteſt, per quandam ſcilicet in plantis mineralibus, & animantibus reſuſcitationem, uti vocant, Chymicam aliamve artificioſam: Ultima deſcribi ſolet energia cujusdam animæ, operationibus quidem ſuis, ſed non vitalibus inſtructa, ad quas neque regreſſus ei datur, in oleis nempe, ſpiritibus & chymicis, quas vocant, eſſentiis, pinguedine animalium & axungiâ, herbarum ſeminibus, ovisque contuſis aut coctis, itemque animalium ſeminibus refrigeratis. Itaque quod vitam operatione omnem abſolvunt, hoc antiqui Philoſophi Medicique, Hippocrates, Ariſtoteles & Galenus comprobant: Quod verò animam foſſilibus & inanimatis corporibus intrudunt, illud ex ſenſu novitatis cupido repertum dogma, veteres ignorant. Deinde quantis contradictionibus vita, quam appellabant, media & ultima implicatur? Vitam enim operatione omnem definiunt, ſed mediam ultimamque operationibus non vitalibus inſtructam volunt. Siccine vita non vitalis erit, aut operationes non vitales exſeret? Siccine à privatione vitalium operationum ad eas per naturam dabitur regreſſus? quippe ubi operationes non vitales adſunt, ibi vitalium erit privatio & defectus: Ut vel ideò nova hæc ſententia domeſticis Auctorum contradictionibus evertatur.

VI. Age videamus argumenta, quæ in aciem pro anima cornu hujus lapidei, lapidumque omnium producunt. Primò quidem agmine illud prodibit:

Quodcunque corpus generatur, vivit.
Lapides & mineralia generantur.
Ergo lapides & mineralia vivunt. Major propoſitio per ſe clara nec probationis indiga diſputantibus videtur: Minorem ipſi tum rationibus tum experimentis, quæ ars &

natura ſuppeditat, multis confirmant. Sed major probatione opus habuit, non minor propoſitio: Hanc ergò ſolidam ſi dabunt, tum verò plus momenti concluſio habebit. Interim unâ diſtinctione aut limitatione additâ totum hoc argumentum concidet, ſi dicas:

Quodcunque corpus generatur ab interno, eſſentiali activôque principiô, illud vivit.

Lapides & mineralia generantur ab interno, eſſentiali activôque principiô. L. Hæc minor utpote falsa novam efflagitat confirmationem, eamque nec artium compages, nec naturæ totius fabrica præbebunt. Inſuper neque illud omittam, quod majori propoſitione ſervatâ de meteoris igneis, aqueis, & aëreis, de pluvia, nive, grandine, vento, deque terris, igne ipsô, aëre, aquis, fontibus, & cunctis ſublunaribus eandem conſequentiam formare poſſumus. Siccine vitam conſequenter omnia? Siccine aquas vivas, argentum vivum, ignemque vivacem propriè dicemus? Atqui hæc impropriè aut æquivocè dici, apud omnes hactenus in confeſſo fuit: Aliter apud novos homines nunc obtinet, qui elementis ipſis, & omnibus, quotquot ex eorum miſtione oriuntur, corporibus vitam propriè dictam & vitalem animam obtrudunt, invita etiam natura; modò exiguæ in quandam ſpeciem auctoritates & ratiunculæ conquirantur. Neque deſunt inter novos Philoſophos, qui dictum Apollonii Thyanæi ex epiſtola ad Valerium ſcripta depromunt, & mortem rebus naturalibus exterminant: θάνατος οὐδεὶς οὐδενὸς, ἢ μόνον ἐμφάσει. *Mors nulla eſt rei nullius, niſi apparenter.* Sed Apollonius ille Pythagoræus quin Magus fuerit ſacerrimus, non erit, cur dubitetur, ob antiquum Euphratis Tyrii & Mæragenis teſtimonium; quod Huetius in Demonſtratione Evangelica (*Prop. IX. c. 147.*) citat.

VII. Itaque hoc cornu Ammonis lapideum, & omnes lapides ſuo inanimatorum generi poſthac inſerentur. Id ſupereſt, ut diſquiramus, annè cornu iſtud ab animali principio fiat?

Sic

Sic enius Ferr. Imperato, (*l. cit.*) quum de cornu Ammonis ediſſerit, in Hiſtoria naturali videbitur: *Dunq; le dette & altre ſimili ſono forme tutte dependenti da principio animale, che ſuccedendo l' humor petriguo ſia nel corſo di tempo impetrito.* Ejusmodi & ſimiles figuræ dependent ab animali principio; cui ſuccedit humor lapidificus, & temporis ſucceſſu in lapidem concreſcit. Sed Imperatus ille ſuam non ita fideliter expreſſit mentem, neque dixit, quodnam principium animale, an extrinſecum velit, an internum, an cœleſte, an terreſtre aliquod. Utrum intelligat, illô ne opus quidem erit ad corneam figuram lapidi huic imprimendam. Principium quippe internum externumque, quod ſuprà ſtatuimus, huic ſufficiet negotio, nec ullum animale ſubornabitur. Nonnulli tamen Chymici cum Jo. Langio cœleſte huc principium ab intelligentiis trahunt: Alii ab influxu ſiderum aſtrorumque communiſſimô: Alii ab mente mundanâque animâ id petunt. Verùm intelligentiæ veterum à Philoſophis ſepultæ jaceant, nec ampliùs reſuſcitentur: Anima mundi totius tota quoniam dudum exſpiravit, maneat exſtincta, neque in poſterum reviviſcat: Influxus verò aſtrorum & ſiderum quicunque ſit, cauſam univerſalem dabit, minimèque particularem aut proximum, unde cornea hujus lapidis figura proveniat, principium. Ergo noſtrum cornu lapideum omni carebit animâ, ſive hujus eſſentiam, ſive generationem curatiori oculô perluſtremus.

VIII. An verò ab rebus Indicis arceſſent, unde principium animale huic cornu ſubterraneo confirmetur? Hugo enim Linſchottus in navigatione Indicâ (*cap. 61.*) refert, quòd portento ſimilius videatur. Nempe ab Indis Goæ Inſulæ ſeſſoribus boum & animantium aliorum cornua terris mandari: Hæc defoſſa ſi aliquandiu latuerint, radices mittere, ac ſpithama longius ſuper terram excreſcere, ut conatu evellantur maximô. Rem paulò aliter in ſua peregrinatione ſocii Arthus & de Bry, nec non nobiliſſimus Mandelslo apud Olearium

commemorant: Hic enim ita ex aliorum relatu: Man hat mir ſagen wollen/ daß in Indien ein Ort ſey/ da die Hörner der Thiere/ als von Ochſen/ Kühen und Ziegenböcken/ wenn ſie auf das Erdreich geworffen würden/ wachſen/ und Wurtzeln in die Erde ſetzen ſolten/ daß ſie ſo ſteiff ſtünden/ als wenn ſie aus der Erde gewachſen wären/ und kan man ſolche mit Gewalt kaum heraus ziehen. Id, niſi relatio fallit, plus monſtri aluit; quod injecta terris cornua neque defoſſa radicem fecerint. Utcunque ſit, cauſa hujus inſolitæ accretionis Goënſi ſolo, certoque hujus agro debebitur: Nec aliud exemplum in orbe, quod ſciam, toto ſupereſt. Intereà cornuum illorum Goënſium planè alia fuit natura & ratio, quâm lapideorum, de quibus heic diſquiritur. Nam illa excuſſa animalibus terræ inſeruntur, & ſuam ſubſtantiam ſervant: Hæc verò ex ipſa terra in ſubterraneis meatibus progenerantur, neque ab ullis radicibus naturam lapideam adſumunt.

CAPUT VII.

1. An cornu Ammonis pro Draconite, ac in veneficio lactis remedium haberi debeat? 2. Draconites veterum è Plinio aut Dracontias. 3. E Solino Plinii exſcriptore non ſatis bono. 4. E Philoſtrato Græco. 5. Marſil. Ficinus in Dracontia eò falſus accepit Aſteriam. 6. Falſus etiam Cæſalpinus cornu hoc noſtrum aut Chryſammoniten. 7. An vis ejus aliqua ſit in veneficio? Duæ hinc quæſtiones expediuntur. Lac ſanguineum è cauſis naturalibus oriri poſſe contenditur. 8. Veneficiò tamen corrumpi eripiq; auctoritatibus docetur. 9. Exemplisq;. 10. An ſtercori humano contra iſtud maleficium vis inſit? 11. An huic Ammonis cornu lapideô per qualitatem aliquam occultam? 12. Num per quandam ἀντιπάθειαν aut συμπάθειαν? num ab atomis? 13. Num ἀναιτιολόγητόν τι ſubſit? Num ab veneficis dracænis? an Dracone volatili? Cauſas rerum omnium nôſſe, non eſt hominis.

I. Ita

I.

ITa cornu Ammonis ex viventium aut animatorum genere rurſus excluſi: Unum ſupereſt, ut declarem, an pro Draconite illud haberi debeat. Sic enim Germanicum inter Agricolas Brunshuſanos nomen obtinet, quô Drachenſtein vulgariter appellant, & lingua efferunt vernacula. Sic communis illa fert perſuaſio, quâ huic lapidi virtutem in veneficio removendo ſingularem tribuunt: Tum maximè, quum vaccis per incantationem lac ſuum deficit omninò, aut ab veneficiis ereptum creditur. Id ſi accidat, tum jubent pro eâ, quâ ſunt opinione, hunc immitti mulctro lapidem, ut priſcum lac redeat, copiaque ſuppetat priori. Hæc autem ex ingenio meo ne videar hauſiſſe, teſtes citabo literas, quas fide digniſſimus amicus nuper ad me dedit: Ubi hunc in ſenſum breviter ac nervosè: Man hält ins gemein dafür / daß dieſer Drachenſtein ſonderbare Krafft bey Hexerey habe / ſonderlich wenn die Kühe ihre Milch nicht geben / oder von Hexen durch Satans Betrug ausgemolcken werden. Alsdann wird in Melckpot dieſer Stein geleget / und darauf die vorige Milch bey der Kuh verhoffet / wie ſie denn ſich wieder einfindet / ꝛc. Siccine cornu illud in Draconiten transmutabitur? Siccine adverſus veneficia præſens remedium dabit?

II. Videbimus ergò primum, quem Draconiten in Hiſtoria naturali Plinius (*Lib. XXXVIII. c. 10.*) deſignet. *Draconites ſive Dracontia è cerebro fit draconum, ſed niſi viventibus abſciſſô nunquam gemmeſcit, invidia animalis mori ſe ſentientis: Igitur dormientibus amputant. Sotacus, qui viſam eam gemmam ſibi apud Regem ſcripſit, bigis vehi quærentes tradit, & viſô dracone ſpargere ſomnifica medicamenta, atque ita præcidere: Eſſe autem candore translucido, nec poſteà poliri, aut artem admittere.* Hæc optimus Hiſtoriæ inter Romanos Phyſicæ Auctor è Græcis potiſſimùm monumentis retulit. Nam utrumque nomen Græcum eſt Δρακονίτις ἢ Δρακοντίας; & alterum quidem

nullô

nullô ſphalmate, quod fruſtrà Salmaſius notavit; alterum unô laborat, in editionibus quoque recentiſſimis, ubi Dracontias pro Dracontia ſubſtituendus erit. Oritur autem â Dracone majori ſerpentum genere, quod per varias Græcorum, Latinorum & Arabum deſcriptiones adeò diſtrahitur, ut vix membris omnibus iisdemq́ue cohæreat: Sive pedatos & apodes, ſive alatos & alis omnibus carentes, ſive barbatos & imberbes, ſive virulentos & veneni penitùs expertes dracones prodiderint, occurrent dubia, neque diſſolventur, quamvis Jonſtonum de ſerpentibus, Bochartum in Hierozoico (*Lib. II. tit. 1.*) aliosq́ue conſulas. Illud nobis de Draconite veterum (*Lib. III. c. 14.*) liquet, gemmam fuiſſe candidam naturâ translucidamq́ue, nullius expolitionis aut artis indigam.

III. Plinio Solinum exſcriptorem aut ſimium adjungamus: Ita verò capite Salmaſ. edit. XXX. vulgaris XLIII. *Exciditur*, inquit, *ex cerebris draconum Dracontias lapis; ſed lapis non eſt, niſi detrahatur viventibus. Nam ſi obeat priùs ſerpens, cum anima ſimul evaneſcit durities ſoluta. Uſu ejus Orientis Reges præcipuè gloriantur, quamquam nullum lenocinium artis admittat ſoliditate: Et quidquid in eo nobile eſt, non manus faciant; nec alterius quàm naturæ candor ſit, quô reluceat. Auctor Sothacus gemmam hanc etiam ſibi viſam ſcribit, & quibus intercipiatur modis, edocet. Præſtantiſſimi audaciâ viri explorant anguium foveas & receptus: Inde præſtolati ad paſtum exeuntes, prætervectiq́ percitis curribus objiciunt gramina medicata, quantum poteſt ad incitandum ſoporem. Ita ſomnô obſopitis è capitibus exſecant lapides, & de manubiis præcipitis auſi prædam revehunt temeritatis.* Hæc omnia exſcripta quis non intelligat, aſſutaque denuò nonnulla? Salmaſius (*l. cit.*) ergò in Solinum heic invehitur, quòd ab Auctore, quem ſequi voluit, data diſcedat opera, & de ſuo inferciat, quæ vix apud veteres legiſſe potuerit. Quid enim eſt, niſi detrahatur viventibus, non eſſe lapidem, ſed evaneſcere duritiem ſolutam, ſi

priùs

priùs ſerpens obierit? Hæc in Exercitationibus paradoxa Salmaſio videntur, & ſupra captum poſita. Plinius certè planiora & multò expeditiora refert, unde non augurari, ſed perſentiſcere, quid velit, liceat. An Sotacum è Græcis Auctoribus antiquum Solinus pervolverit ipſe, non dico: In plura exemplaria, quæcunque vidi, edita, falſum Sothaci nomen irrepſit. Nam Apollonius in Admirandis, quæ ſcripſerat, Græcè Σώτακον vocavit eundem, qui Plinio citatur, hominem & ſcriptorem.

IV. Romanis de Hiſtoria naturali Auctoribus Græcum, qui Athenis ſub Nerone Imp. floruit, Philoſtratum aſſociabimus. Nam in ſuo Lithognomico tradit ille, quæ ad hanc rem pertinent. Προσπεσόντες οὖν οἱ Ἴνδοι κειμένῳ πελέκει ἀναρράττουσι, καὶ τὴν κεφαλὴν, ἀποτεμόντες ληΐζονται. Λίθοι δὲ τούτοις ἀπόκειντα, τὸ μὲν εἶδός αἰθυραὶ, καὶ πάντα ἀπαυγάζουσαι χρήματα. *Procidentes igitur Indi (ſcilicet ad draconem) ſecuri contundunt, & caput reſecantes deprædantur. Lapides verò his manent quoad ſpeciem rubei aut ſandarachini, & mercibus cunctis præfulgentes.* Ita heic verto, quæ Salmaſius omiſit: Et de colore quidem fluctuo, neque quicquam certi apud Lexicographos conſtitutum video, neque Salmaſius, qui valebat multum oculis, vidit. Intereà ex hoc loco patefit, Indis hanc gemmam draconibus ereptam, fulgore alias ſuperâſſe plures. Ab Sotaco, quod promittam, nihil eſt, quamvis uterque Plinius & Solinus unum hunc Græcum appellaverint: Hujus enim libri per temporis injuriam perierunt, nec in ulla, quod ſciam, Bibliotheca MSti. ampliùs ſuperſunt, nec unquam editi prodierunt publicè.

V. Quia igitur de priſco Draconite inter antiquos non ita convenit; neque mirum eſt, de hodierno inter noſtros admodùm diſcordari. Marſilius enim Ficinus hunc lapidem allatum ex India, & ſibi Florentiæ viſum ait, lupini magnitudine, ſtellis quàm plurimis naturaliter inſignitum: Eumque, ſi aceto imponatur, in rectum & obliquum ferri, donec vapor omnis exhalaverit. Sed Marſilio ita fuit impoſitum, ut lapi-

lapidem ſtellarem ſive Aſteriam & Aſtroiten pro Dracontia æſtimaret. Aſtroites quippe aut Aſterias lapis eſt, ſtellis duabus, tribus, pluribusve, ac eâ virtute inſignior, ut in aquam conjectus, bullas attollere, aut ſeſe aliquando commovere ſoleat: Qualem Ambroſinus in Muſeo (*l. cit.*) varium depinxit, & ipſe duos ex agri Brunshuſani vicinia mihi ſubmiſſos heic retineo. Sed quantum Dracontias & Draconites ab hoc Aſteria diſtet, ex antiquis perſpicuè imò ad oculum patet, ſi minera, unde ortum habuit, terraque curatiùs pervideatur: Siquidem in promtu erit, è cerebro draconis hunc lapidem naſci nunquam potuiſſe. Ficino (*Lib. IV. c. 65.*) itaque id fuiſſe fraudi, Ambroſinus, Boëtius, & Jo. de Laët in ſuis obſervationibus notârunt. (*Lib. II. c. 172.*)

VI. An Cæſalpinus quoque fallacia circumveniri potuit? Librô enim ſecundô de metallicis refert, ſibi fuiſſe Draconiten, effigie corniculi, abſciſsâ cuſpide, colore partim nigrô, partim flaveſcente, ſplendidô neque pellucidô. *Qui mihi tradidit* (ſic ille) *affirmabat eſſe linguam ſerpentis magni in Germania, ac ictum inferre letalem.* An fides verò penes Auctorem heic eſſe debeat, uti à Boëtio (*l. cit.*) pronunciatur? An nova impoſtoris alicujus captio, quæ tum ſuberat, aperiri & pateſieri? Sanè aut error quispiam aut dolus latuit in Germanico Draconite. Si locus dabitur conjecturæ, illud Ammonis cornu, quod deſcripſimus, aut Chryſammoniten pro Dracontia heic ſuppoſitum fuiſſe dixerim. Lapis enim corniculi cujusdam effigie niger, flaveſcens, & ſplendidus ad duos illos, de quibus conjeci, proximè accedit. Cornu Ammonis etiam ſæpè octo digitos latum eſt, & tres libras pondere aliquando ſuperat: Nonnunquam ita exiguum eſt, ut nucis magnitudinem non excedat, teſte Tollio in ſuis ad Boëtium notis. (*l. cit.*) An non hoc noſtrum corniculum ſive cornu Dracontias vocatur, & ab Agricolis vulgò habetur? Cæſalpinus quidem è Plinio Albertoque M. repetit, quæ ad Draconiten pertinent: Illa tamen non ſuo congruebant lapidi,

pidi, quem planus aut deceptor ille pro lingua ſerpentis alicujus noxia venditabat. Dracontias enim non ex lingua, ſed è cerebro draconum & amputatô capite ſumebatur.

VII. Ergo Draconites veterum nuſquam in orbe noſtro ampliùs reperietur. Neque mirum eſt, Brunshuſanos agricolas hoc in fraudem nomine delabi: Cùm duo Viri ſummi & naturæ peritiſſimi falſum in eo lapillo admiſerint. Quid de virtute adverſus veneficium ſingulari judicabitur? Hanc ſanè communis agricolarum opinio, eventusque in agro Brunshuſano multiplex comprobabit, ubi toties conſtat, hôc ipsô lapide in mulctrum conjectô, vaccis lac purius reſtitui, & de ſanguineo ad album redigi colorem. Sed duo in quæſtionem heic venient: Unum de lacte ſanguineo crudoque, an non illud è cauſis oriri naturalibus queat? Alterum de virtute, quam lapidi ſuo agricolæ attribuunt, num illa per naturam aut qualitatem hujus propriam efficiatur? Prius illud, quod in quæſtione relinquitur, ut primò expediam, liquet ſanè ac teſtatur experientia, ſæpiùs ad maleficium, incantationes, & ſagarum artes peſſimas referri, quæ per naturam fiunt, & à cauſis naturalibus pendent. Cùm enim vaccæ morbô afficiuntur aliquô, aut pabulô fruuntur noxiô, aut ſtomacho laborant, neque ad excoquendum lac ſibi ſufficiunt; Quid aliud, niſi crudus & cum ſanguine miſtus humor iis emulgebitur? Nam ſanguinem hujusque ſerum pro materia lactis proxima eſſe, nemo negabit, niſi qui nutritionis in lactario animantum genere, aut modi quô lac bubulum generatur, inter Phyſicos demonſtrati & certiſſimi expers erit. Addo, quod ex muliercularum ruſticarum ſententia lac rubrum contrahat colorem & ſanguineum, ſi hirundo ſubter ventrem vaccæ aliqua volitârit: Quamvis non aſſequor, quæ ſit hujus volatus tanquam cauſæ cum effectu aut lacte in ſanguinem vergente connexio vel comparatio. Liquet autem ex manifeſtis rationibus, vaccas maleficiô affectas credi, tum ſæpiùs, cùm cauſæ naturales ſuberant. Ita Wierus in libro de præſtigiis

giis Dæmonum quartô (*cap. 11.*) commemorat, lac ductile & filatum ſiccius è Comitatu Marcenſi ad Cancellariam Clivenſem ab inepta muliere allatum, quæ lacti eam formam ex incantamentis à ſua vicina redditam aſſeveravit: Quum ignitum titionem ollæ, in qua lac coquebatur, ſubditum hæc abstuliſſet, quô ignem domi exſtrueret. Lac enim ſi vetuſtate nonnihil ſubaceſcere inceperit, & tum coquatur, mox diſſolutus caſeus cum butyro coit, ut admodûm lini ductilis filamentô tenaciſſimô deduci poſſit, & faciliùs ad ſiccitatem redigi.

VIII. Neque tamen repugnabo temerè, ſi quis γαλακτοκλεψίαν ab maleficio profectam affirmaverit, contendatque, lac ſagas ex uberibus vaccarum ſuffurari poſſe non minùs quàm ſolere. Nam valet in hoc argumento, & valere apud omnes meritò debet graviſſima Theologorum, Juriſconſultorum, Medicorumque auctoritas: Valent etiam tot tamque crebra lactis erepti per veneficium exempla. Balduinus igitur in Caſibus Conſcientiæ, quos libris egregiis tractat, & libri quidem tertii capite quintô, (*caſ. 5.*) ubi ad magos veneficasque progreditur, hanc γαλακτοκλεψίαν ita explicat, ut affirmet, Diabolum non lac tantummodò, ſed aurum argentumque, fruges ex agro, & bona alia poſſe furari aliis, ſi DEUS huic nocendi poteſtatem permiſerit: Hunc poſteà ſagarum operam adhibere, non quaſi eâ indigeat, aut ipſæ quicquam efficiant, ſed ut in devotione ſuâ credulas retineat: Jubere interim, ut varia uſurpent media ex cultris, clavis, forcipe, colo & ſimilibus inſtrumentis lac emulgeant: Illud quanquam effluere videatur, eſſe tamen Diaboli ludibrium, qui lac aliunde adducat, & mirâ celeritate furtô ſubtrahat, vetuliſque perſuadeat, ipſas emulſiſſe. Hinc Aretius in Problemat. de Faſcinat. *Accedit experientia manifeſtior, quam ut negari poſſit; faſcinantur à veneficis infantes, ut contabeſcant, vaccæ, ut lac non reddant.* Ita Grillandus JCtus Italus in libro de Sortilegiis: (*quæſt. VI. n. 13.*) *Quædam veneficia,* inquit, *fiunt ad deſiccan-*

dum

dum totum lac unius gregis, vel fœcundi armenti vaccarum, adeò ut nihil caſei penitùs reddant, quamvis anteà in maxima abundantia reddidiſſent. Idem ſuô conſenſu approbant Gödelmannus in Tractatu de Magis, Veneficis, Lamiisque doctiſſimô, (*Lib. I. cap. 7.*) & Bened. Carpzovius, ſummus JCtus, in Practica nova rerum Criminalium, pluribusque ſententiis Scabinorum Lipſienſium illuſtrat, quid in magica γαλακλοκλεψίᾳ paſſim contigerit. Idem etiam Mart. Delrio in Diſquiſitionibus Magicis (*part. I. qv. 50.*) confirmat, aitque factum vel epiſtomiô, vel cultrô in domi parietem impactô, vel utribus coriaceis: Hos enim maleficas ad anatis ſimilitudinem è corio conſuere, conſutos primùm ſponte ſuâ ire vacuos, mox emulctô lacte plenos redire domum, dicique apud Belgas Littelaten communiter. *Vide ſis Lib. II. quæſt. 12. §. 2. Lib. III. p. I. qv. 4. ſect. 3. Lib. VI. c. 2. ſect. 1. qv. 3. §. 2.*

IX. Unicum heic producam exemplum evidentiùs ex libro Germanico, quem Heinr. Rimphoff/ Verdenſis Eccleſiæ Miniſter, titulô Dracken-Königs additô emiſit, & de ſaga quadam exſecrabilem tragœdiam deſignat. (*A. 1647. p. 43.*) Sic enim ille Auctor ex manifeſtiſſima puellæ cujusdam confeſſione de ligulis quatuor ad poſtes affixis, & lacte ab iis emulctô: So hatte die alte Wobbecke von Steffan Gauß gekaufft vier Senckel/ welche das Mägdlein hat holen müſſen: Welche ſie in einen Stenner in die Stube geſchlagen / und dann Milch daraus gemolcken/ und darnach ausgeſiegen: Das Mägdlein vermahnet/ ſie ſolle auch kommen und melcken; Milch ſolte ſie immer gnug haben. Aliud præbet Joh. Agricola, Palatinus, Medicus, dum vixit, Wratislavienſis in Tractatu parvæ, quam edidit, Chirurgiæ quintô, (*p. 650.*) ubi mirum magicæ lactis ſuffurationi remedium opponit: Illud in præſenti, ut proferam, quibus exprimitur verbis, nihil video, quòd vetet. Und ſolches ſiehet man an den Zauberern / welche das Vieh bezaubern/ daß ſie/ an ſtatt der Milch / Blut geben; So man in ſolche gemolckene blutige Milch ſalvô honore hoſieret/ und ſetzet es zum Feuer / ſo wird der Zauberin

angſt und bange; Sie weiß im Hauſe nirgends zu bleiben / und iſt ihr in dem Munde alles / was ſie iſſet und trincket / nicht anders / als wenn ſie lauter Menſchen-Koht eſſe. Und ſolches Spiel hat ſich auf meinem Gute offt begeben / daß das Vieh alſo bezaubert worden. Da hat meine Hoffmeiſterinne dieſe Kunſt alſobald gebrauchet / da hat man den ſchönen Handel geſehen / wie die verdächtige Perſon gelauffen kommen / und ein Gewerbe in das Haus gemachet / und ſeynd die Kühe bald wieder zu rechte worden. Daraus ſiehet man / was dieſes vor ein unmächtiger Teuffel ſeyn muß / welcher auch nicht einen ſolchen Unflat vertreiben kan: Aber dadurch lachet er nur die Unholdinne aus / und ſpottet ihrer. Hactenus ille Medicus per Sileſiam Germaniamq; tum temporis celeberrimus.

X. Fides equidem in hoc remedio penes Auctorem illum ſit, per me licet; Non tamen capio, quæ vis humano inſit ſtercori ad veneficium avertendum. Agricola ſanè non in uno lactis, ſed in morborum maleficio id ſæpiùs commendat, aitque, rerum omnium vires & cauſas homini nondum eſſe cognitas aut perſpectas; Plus momenti etiam à piis precibus poſſe accedere: Addiderim ego non minus ab opinione aut phantaſia, quâ ſibi perſuadent homines, id ex humano profectum ſtercore, quòd à cauſis, quæcunque ſint, aliis proveniſſe potuit. Sin eventus miro huic medicamento reſpondeat, tum dixerim, id DEO volente fieri, quo permittente damnum Diabolus inflixit: Ut vel ita conſtaret, huic congruere nomen Βεελζεβȣλ, Beelſebul, quod in Hiſtoria Matthæi, Marci, Lucæque ſepties in eum confertur. Nempe Dæmon בעל זבול Beelſebul h. e. *Dominus ſtercoris, ſive Jupiter quâdam paranomaſiâ cluit ſtercorarius*, qui apud Ethnicos בעל זבוב h. e. *Dominus muſcarum* atque Ζεὺς μυιαγρὸς ἢ μυιώδης, h. e. *Jupiter muſcarius* cluebat: Idola etiam receptô inter Judæos nomine per contemtum ſtercora, & ſacra iis facta ſtercoraria, & facientes מזבולין h. e. *ſtercorantes* probroſo notabantur vocabulo, hodièque in libris notantur Talmudicis; uti ab Lightfooto in Horis ad Matthæum Hebraicis, & Grotio in Anota-

notationibus ad N. Teſtamentum doctiſſimis obſervatur. Ideone ſtercorarius Dæmon humano cedet ſtercori, ſuasq; illo injurias aut noxas luet? Certè lepidum in maleficio lactis prohibito remedium Marc. Delrio recenſet; Ubi ſaga lac ſuffuratura cultrumque vicini oſtio impactura, cùm recitâſſet formulam, ab hero audiente plagis excipitur benè, ac fuſtibus mulctatur. *(Lib. III. l. cit.)*

XI. An verò virtus in magica lactis ſuffuratione aut veneficiô tollendo huic, de quo diſputamus, lapidi per naturam obtigit? Hoc ut diſquiratur, ille, quem conſtitui, ordo nunc facit: Sed formula, quâ Romani Senatores cauſam extraxerunt dubiam, uſurus, fateor mihi non liquere. Effectus equidem de cauſa teſtatur, & arguit, hôc lapide in mulctrum injectô maleficia, ſi quæ ſubſint, prohiberi, lacque integrum ex voto uberibus reſtitui: Virtus tamen ea num materiæ, num formæ lapidis debeatur, hoc obſcurum relinquitur dubiumque. Siccine ad occultas qualitates confugiam cum nonnullis arcanorum ſectatoribus, qui eas in ore ſinuque ferunt perpetuò? Abſit autem, ut in leges philoſophicas ita turpiter peccem, aut occultum quid ſurrogem in demonſtratione, ubi notius & prius ex methodo legitima deſiderabatur. Graviter Galenus, Criticorum non minùs quàm Medicorum princeps ille *(in præfat. Athen.)* Caſaubono in libro ſecundo *(cap. 5.)* de præſagiis è pulſu: Διττὸς ἐςὶ τῶν μηδὲν διδασκόντων ὁ τρόπος, ἐνίων μὲν εἰς ἰδιότητα καταφευγόντων ἄῤῥητον, ἐνίων δὲ λεγόντων μὲν ὀνόματα, μήτε δ᾽ ἃ σημαίνει, φυλαττόντων, μηδ᾽ ὃ βούλονται σημαίνειν, ἑρμηνευόντων. *Duplex eſt hominum nihil docentium modus: Alter eorum, qui ad proprietatem ineffabilem confugiunt; Alter eorum, qui proferunt quidem nomina, neq; tamen quid ſignificent, obſervant, neq; quid ſignificare velint, interpretantur.* Itaque cùm nihil doceatur, nihil ex occultis qualitatibus eruatur, ecquid ad hoc ignorantiæ aſylum ſeſe recipiunt multi, & ſub eo veluti obſcuro latent tegmine?

XII. Num

XII. Num deniq; cum pluribus ad quandam ἀντιπάθειαν delabar, h. e. ad eam repugnantiam, quâ lapis noſter veneficio per proprietates contrarias reſiſtit, aut reſiſtere videtur? Num ad συμπάθειαν h. e. conſenſum aut convenientiam noſtri lapidis cum lacte bubulo, puroque ad ubera reducendo? Sed valdè vereor, ne utraque deficiat cadatve, non aliter, quamſi Democritus aut Carteſius ab atomis heterogeneis & homogeneis cauſam hujus remedii ullam deducere conetur. Nec minùs metuo, ne idem judicium cordatus Phyſicus de hac utraque ferat, quod Plutarchus in Libro Sympoſiacon ſecundo de Philoſophis, qui antipathias jactitant, olim tuliſſe legitur: Maximè quum diſquirunt, cur elephas furens conſpectô ariete inſaniam deponat; Cur vipera ſiſtatur, faginô contacta termite; Cur taurus alligatus ficui quieſcat; Cur ſuccinum ad ſeſe trahat univerſa levia, præter ocymum, oleoque imbuta corpuſcula; Cur magnes allio inunctus ferrum non attrahat. De his omnibus antipathiæ veterum exemplis acutiſſimè Chæroneus ille Philoſophus: Ἐγὼ δὲ τοῦτο μὲν ἔφην ἀπόφασιν εἶναι, τῆς ἐρωτήσεως μᾶλλον, ἢ τῆς αἰτίας ἀπόδοσιν. Σκοπῶμεν δὲ (εἶπον) ὅτι πολλὰ συμπτώματα ἔχοντα ἐπακολούθησιν, αἰτίων λαμβάνει δόξαν οὐκ ὀρθῶς. *Ego verò dico, hoc negationem potiùs diſquiſitionis, quàm cauſæ redditionem eſſe. Id autem conſideremus (inquiebam) multa accidentia eſſe, quæ non rectè pro cauſis tamen habentur.* Nam ſicuti nihil rationis aut parùm dicunt reddunt que, qui occultas in demonſtrationibus qualitates crepant: Ita paululùm ratiocinando proficiunt, qui antipathias & ſympathias demonſtrationi allinunt, ut quicquam tamen dixiſſe videantur, ubi nihil, quod ad rem pertinuit, dicebant.

XIII. Siccine inter ἀναιτιολόγητα referetur, quam huic lapidi eventus comprobat, & agricolæ attribuunt, virtus in veneficio tollendo? Ἀναιτιολόγητον πάθος autem Dioſcorides & Alexander Aphrodiſæus illam nuncupant proprietatem, cujus cauſa aut nulla excogitari, aut ſi quæpiam excogitetur, difficillimè, uti ſufficiat, reddi poteſt. Itaque fatebor ἐπι-

στήμην

ſτήμην τȣ͂ ὅτι, ἀλλ' ȣ̓δαμῶς τȣ͂ διότι, h. e. illam ſcientiam, quâ tenetur, quòd res ita ſit, non eam, quâ liquet, cur res ita ſit, in hoc argumento ambiguo ſuppetere. Fatebor etiam nec invitus, *ἀναντιολέγητον* hunc eventum, quô accidit, ut cornu Ammonis lapideô in mulctrum inditô aut *γαλακτοκλεψίᾳ* magicâ removeatur, aut lac bubulum ſuo colori reddatur integrum. Hæc duo ut lubens profitear, methodus jubet demonſtrativa, quâ cavetur meritò, ne cauſas omnium rerum captemus. Benè Philoſophus noſter in libro Metaphyſicorum quartô (*cap. 4.*) *Ἐςτὶν ἀπαιδευσία, τὸ μὴ γινώσκειν, τίνων δεῖ ζητεῖν ἀπόδειξιν, καὶ τίνων ȣ̓ δεῖ.* *Eſt inſcitia, haud nôſſe, quorum oporteat quæri demonſtratio, & quorum non oporteat.* Hinc Alexander Aphrodiſæus in præfatione libri primi Problematum agnoſcit quæſtiones philoſophicas, quæ modum humani ingenii prorſus excedant, Deoque ſoli rerum omnium auctori pateant. Num hæc noſtra ex illarum erit numerô? Sic mihi videbitur; nec lubet divinare curioſiùs, aut probabiliter conjectare, num à Draconitis nomine, quô hunc lapidem inſigniunt, ad remedium veneficis ſeu dracænis vetulis opponendum plebeji proceſſerint? Noto enim eſt notius, communiter ſagas noſtra vernacula dracænas (Dracken oder Dracken-Weiber) ignominioſius appellari. An à Dracone, cui ſerviunt, volatili, cujus ſpeciem noctu Dæmon repræſentare dicitur, quòd affirmem, nihil habeo. Quare non excutiam hanc de noſtro lapide agricolis opinionem, neque negabo, ſæpiùs contigiſſe, aut contingere poſthac poſſe, ut eventus opinioni reſpondeat: Doctioribus tamen relinquam, ſique fas fuerit, hanc commendabo quæſtionem difficillimam, ut ipſi diſpiciant, quæ cauſa naturalis in hoc lapide, quæve virtus ſubſiet. Uti Scaligero in Exercitationibus contra Cardanum, ita mihi hactenus *humanæ ſapientiæ pars fuit, quædam neſcire velle. Exercit. CCCVII. ſect. 29. Plus enim ſcire velle, quàm ſatis eſt, intemperantiæ genus eſt, inquit Seneca Epiſt. LXXXVIII.*

 Epi-

Epigramma.

Eſt hominis, cauſas cognoſcere velle. ſed omnes
nôſſe, DEUM ſolum laus ea ſola manet.
Ergo erit & quædam neſcire ſcientia; nemo
quum bene perſcrutans omnia nôſſe queat.

Vos verò
Viator, Civis, Advena
quicunq; ſuas
Lector Spectatorq́;
Vos ad unum omneis
eô, quod Heracliti Epheſii fuit, alloquiô
excipiam, dimittam.
Introite: Nam & heic Dii ſunt!
Subite mecum quæſo
has obſcuras terræ latebras
has cavernas undique lapidoſas
Nam & heic Dii veterum ſuperſunt
Joves Ammones
agnoſcite, ſi vultis, reſciſcite
caput ex lapide unô cornutum idq́; Ammonium
caput Ægyptiis, Græcis, Romanis, Libycis divinum
&
ſuperſtitionem, quæ ſuberat, craſſiſſimam
ingemiſcite, indoleſcite.
Sed
prodite paullulùm collectis animis
obſtupeſcite, pertimeſcite
ipſum DEUM in lapidibus præſentem
DEUM ter optumum ter maxumum
mirabilem tanti artificii auctorem

ut

ut
cornu ex lapide arietinum
inque illô
non baſin tantùm rugoſam, ſed mucronem etiam tortuoſum
admirari ſcrutarique liceat.
Igitur vel ex hoc ipſo
lapide corneo aut cornu lapideo
niſi vobis ſit cornea fibra
ad laudes DEO ter optimo nuncupandas prædicandas
mecum facilè permovebimini
Vos
quotquot adeſtis
Viator, Civis, Advena
Lector Spectatorq;
Vos
abite fauſtô admodùm gradu
Ubicunque ibitis, & ibi DEUS eſt!
D. V. E.

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY.



HENRICUS VOLGNAD. VRATISLAVIENSIS, MEDICINÆ
DOCTOR ET PRACTICUS, S.R. IMPERII ACADEMIÆ
NATURÆ-CURIOSORUM ADIUNCTUS, dictus SIRIUS.

SINGULARIBUS
IN PATRIAM REMQUE LITERARIAM
MERITIS
CELEBERRIMO VIRO,

HENRICO VOLGNADIO,

DOCTISSIMO FIDELISSIMOQUE
VRATISLAVIENSIUM MEDICO,
QUEM
NATURÆ CURIOSORUM
IN SACRO ROMANO IMPERIO
ACADEMIA
COLLEGAM ET ADJUNCTUM,
COGNOMINE SIRIUM,
HABUIT:
ANNO M. DC. LXXXII. DIE JANUARII III.
SUPREMUM FATUM
REBUS HUMANIS EXEMIT:
JUSTA SOLVIT
MARTINUS HANKIUS,
VRATISLAVIENSIUM SCHOLARUM INSPECTOR,
GYMNASII ELISABETANI RECTOR
ET PROFESSOR.

ANNO M DC LXXXIX.

LECTORI BENEVOLO
S. D.
ACADEMICI CURIOSI VRATISLAVIENSES.

MEmoriam VOLLGNADIANAM integrô demùm ſeptenniô à B. Viri exceſſu planè elapsô luci publicæ exponi à nobis, certò ſcimus, miraturos eſſe multos, qui Ejusdem famæ, noſtræ cum Eo cultæ familiaritati, legibus Academiæ Curioſæ, & Hiſtoriæ litterariæ convenientiùs fuiſſe judicant, ut citiùs huic editioni invigilaviſſemus. Quamvis autem culpam iſtam, non omni tamen ex parte noſtram, non inficiemur, excuſatione illam non indigere prolixâ putamus apud Eos, qui humanarum viciſſitudinum memores rebus ſæpiſſimè tentatis, & ſuſceptis plures objici poſſe remoras non neſciunt. Illud verò præſertim vitio ne vertatur nobis, precamur, quòd, more hactenùs conſuetô, Ipſi manum operi non admoverimus, relictâ hâc ſcribendi provinciâ Viro quidem Celeberrimo, extra Societatis tamen Leopoldinæ communionem degenti. Cùm enim B. VOLLGNADIUS, qui aliorum, quàm propriæ famæ erat ſtudioſior, pauciſſima quædam Vitæ ſuæ periodos cernentia in chartam conjeciſſet, nobis, unde defectus iſte ſalvâ veritate ſuppleri poſſet, neſciis opellam iſthanc mancam, mutilamq́; exarare non placuit, &, inviti quidem, ſatiùs tamen fore arbitrati ſumus, ſi negotium calamo Amici à primis ſtatim ſerperaſtris ad extremum usq; halitum conjunctiſſimi, adeoq́; vitæ decenter peractæ Teſtis optimè conſcii expediendum committeremus. Parùm enim referre putamus, utrùm noſtro, vel aliûs obſtetricante manu prodeat hic fœtus, modò lucem aſpiciat genuinus; & hoc non obſtante in noſtrûm omnium pectoribus conſtans vigebit eò magis Defuncti memoria, quò intimior cum Vivo nobis interceſſit Amicitia. Vale!

Intra

* * *

INtra Decennium, quod Annus M. DC. LXXII. incepit, M. DC. LXXXII. abſolvit, felix NATURÆ CURIOSORUM ACADEMIA, quæ raris Obſervationibus, Inventisque ſalutaribus ROMANUM GERMANORUM IMPERIUM nobilitat, univerſumque Literarium Regnum ad ſubtiliorem Philoſophicarum, maximè Phyſicarum Medicarumque Rerum Intelligentiam excitat, ſubinde notabiles Viciſſitudines infelix obiit. Nam hoc exigui Temporis Decurſu, quot quantosque Viros, & Societatis tam ingenioſæ Statores, & Peritiæ tam exquiſitæ Propagatores, in præproperæ Mortis Fugam natos, Prædam Mortis præpoſteram vidit? Ut aliarum Provinciarum Filios Silentiô transmittam: quid de SILESIIS, quid de VRATISLAVIENSIBUS memorem? In horum Numero tres amiſit, quorum Solertia multis, Induſtria pleriſque, ſi non præripuit, tamen dubiam fecit Palmæ Gloriam, Medicos excellentiſſimos, *Philippum Jacobum Sachſium*, ſereniſſimum PHOSPHORUM: *Joachimum Georgium Elsnerum*, fideliſſimum TELAMONEM: &, quem Illuſtris ARGO GERMANICA noviſſimis Naufragii Periculis agitata perdidit, *Henricum Volgnadium*, efficaciſſimum SIRIUM.

Omnium Eruditorum intereſt, ne quis, ſupra cæteros Literis Meritisque clarus, à poſteris turpem Oblivionis Umbram Injuriamque patiatur. Nam ſi potioribus denegatur, ecquod mediocribus, ecquod poſtremis inter doctos ſupererit poſt Cineres Nomen? Certè, Juris naturalis eſt, tum quemque, pro ſuis in Publicum Studiis, aliquod à Publico reportare Bonum, tum in primis eos, qui per ſingulares in humanam Communitatem Actiones vulgarem benefaciendi Modum longè tranſcenderunt, &, quod in præſentia, ſimul in futura contulerunt, proſequi Præmiis, non fugitivis, ſed manentibus. Iis autem, qui, cum deſierunt eſſe, non deſierunt prodeſſe, quid, cum jacent, in Gratiam referendam præſtare poſſu-

poſſumus, niſi Memoriæ Continuationem, quâ ſemper velut erigantur & reviviſcant? Accedit, quod plures, hodiernô Temporum Geniô ductos, ad Imitationem invitet in Exemplis magnis, non tam prævius Laboris Fervor, quàm Honor Virtutis poſtumus. Quô magis iniquum eſt, ut quisquam Sæculi, quod coluit & ornavit, primum Oculis, poſt Animis quoque paulatim ereptus, tandem ſublatis omnibus, quos Præſtantiæ ſuæ commodos Indices habebat, bis moriatur.

Exoptatiſſimos Actorum Scriptorumque ſuorum Præcones invenerunt, *Sachſius* quidem *Johannem Danielem Majorem*, celebrem Kilonienſium in Holſatia Profeſſorem, Ingenii fœcundi, promptiſſimique Styli Polyhiſtorem: *Elsnerus* autem *Adamum Ezlerum*, illum Oris ſuaviſſimi doctiſſimique Chryſoſtomum Breslicum. Hactenus, à quô Juſta conſequeretur, expectavit noſter VOLGNADIUS: non, quod careret idoneis Æſtimatoribus, ſed, quod hanc Parentationis Perſonam diuturnior eorum Conſenſus, à quibus feliciore pronioreque Succeſſu geri potuiſſet, ob ſingularem cum Defuncto Familiaritatem, à teneris ad extremum Vitæ Momentum continuatam, Humeris meis imponendam reſervaverit. Proinde ſimul optimo, ſimul eruditiſſimo Viro, ne Manus omnis in Commendationem promeritam longius deſit, accommodare Calamum ipſa me tandem jubet Neceſſitas. Sed Monumento, quod Beato ſtatuere ſuſtineo, ſi Lector copioſum, magnificum, & quale ſummas in Laudes omnia convertit, Eloquium pollicetur, errat. Sanè, tam ſpecioſum dicendi Genus, nec affectant noſtri Mores, neque Manes inuſitatiore Modeſtiâ communem Faſtum redarguentis exigunt: & parum circumſpecti Laudatores arripiunt, quos vel Argumenti Sterilitas commovet, ut Verborum Abundantiâ Tenuitatem Materiarum extendant, vel Supercilii Temeritas provocat, ut Figurarum Luxuriâ Gloriam Oratorum venentur. De Rebus Amici, non ut Amicus, ſed ut Hiſtoricus, agam: in quo præcipi-

cipitem Charitatis Libertatem ad Verecundiæ Cancellos revocat integra Veritatis Honeſtas. Sapientioribus, per ſe laudabilia, ſimplici Narratione ſatis laudantur.

Hanc, quam amiſſuri nanciſcimur, Vitam pauciores honorabiliter ingrediuntur, pauciſſimi decenter peragunt, plerique difficulter relinquunt. Itaque conſummatam Hominis Felicitatem obtinuit *Henricus Volgnadius* noſter, in quem plena Divinæ Gratiæ Magnitudo cecidit. Nam in Terris Ætatem propenſioribus Fatis inchoatam, eximiis Laboribus conſumtam, Deſideriis optimis finiit: Exemplo memorabili, cujus Bonitatem primam ſecunda, ſecundam tertia ſuperavit: quam excepit, non tribus, ſed omnibus Numeris perfecta Beatitudo.

BRESLAM, Sileſiæ Caput, ſortitus eſt Patriam: cui debent Ortum præcellentes Ingeniô Viri, tum alii, tum etiam Medici: quam potiſſimùm ex his celebrem fecerunt illuſtres Scriptores, *Antonius Niger*, *Andreas Aurifaber*, *Carolus Oslevius*, *Johannes Crato*, *Petrus Monavius*, *Joachimus Baudiſius*, *Laurentius Scholtzius*, *Lucas Pollio*, *Elias Bonvinius*, *Johannes Hennemannus Reyſinchius*, *Daniel Bucretius*, *Caſpar Cunradus*, *Daniel Sennertus*, *Petrus Kirſtenius*, *Michaël Dœringius*, *Philippus Jacobus Sachſius*, *Johannes Daniel Major*, *Paulus Ammannus*. Ibi natus eſt Stirpe non tantùm honeſtâ, verùm etiam nobili: ſeu paternos, ſeu maternos Generis Conditores reſpicias. Id VOLGNADIORUM, à quibus Noſter & Spiritum, & Splendorem accepit, Natales ſingulariter illuſtrat, quòd horum in Celſiſſimam Potentiſſimamque Domum Auſtriacam Merita RUDOLPHUS II. Imperator Indulgentiſſimus venerabili Judicio decoraverit: Glorioſiſſimus Cæſar MATTHIAS, cùm Annus à CHRISTO nato M. DC. XII. decurreret, conſpectiore Dignitatis Augmento remuneranda cenſuerit. Habuit Proavum JOHANNEM, Avum JOHANNEM, Patrem PHILIPPUM VOLGNADIUM: Matrem CATHARINAM, Sebaldi LAURERI Filiam. Ad

horum Decus maximè ſtabiliendum facit ea Virtus, quæ Principum Civiumque bonorum Virtutes omnes complectitur, ſolida Pietas, quò rarior, eò major: ideò ſumma, quòd DEO, DEUMque colentibus pretioſiſſima judicetur. Hæc VOLGNADIIS, per Temporum, quibus vixerunt, incorruptum Candorem, tum alibi, tum in primis Vratislaviæ, quàm ſpectatiſſimis Familiis ſuis auctiorem honoratioremque reddiderunt, tam inſignem, tam durabilem excitavit Famam, ut, non ex privatis tantùm Indiciis, etiam è Documentis publicis agnita, ſinceros Cultores in Admirationem convertere nondum deſinat. Tam egregii Sanguinis, tam ingenui Moris, per quem ſolum vetus Integritatis Germanicæ Laus & retinetur, & extenditur, novum Propagatorem noſtrum in primam Lucis Uſuram edebat, poſt recuperatam humani Generis Salutem, Annus M. DC. XXXIV, poſtridie Nonas Maji.

Sed quid Originis Felicitas ad Educationis Salubritatem, ex quâ totius Ævi dependet Proſperitas, Ecquis enim Sæculi peritus ignorat, multos, ex ampliſſimis æſtimatiſſimisque Proſapiis genitos, à Veſtigiis Majorum Conſanguineorumque ſuorum præviis longè digreſſos, Gentilitiis Ornamentis adeò nihil addere Fulgoris, ut potiùs tantò plus Nitoris auferant, quantò magis, cum in Adoleſcentiæ nobiliſſimam Formam componendi ſunt, aut noxiis, aut vanis Oblectamentis Animos devovent. Qui, dum optimo Regimini, quod incautam Juventutem per Rationes prudentiſſimas in faciendis fugiendisque ſalutariter diſponere laborat, audaciſſimum in Modum repugnant: neminem mirari ſubeat, ſi luxuriantibus Affectibus, Magiſtris peſſimis, obſecuti, Cogitationes neque priores in Temeritatem revocari, neque poſteriores in Emendationem erigi patiantur. Quamobrem VOLGNADIUS noſter habuit, quod ſimul juſtis aliorum Imperiis, ſimul promtis Obſequiis ſuis acceptum referret. Actionum ſuarum Moderatores, & pios, & doctos, & cordatos, magnô

Salutis

Salutis Incrementô, fuit adeptus. Domi Patrem, & Patruum Auguſtum VOLGNADIUM, Exempla Virtutum pulcherrima, continenter intuebatur. His enim quos antiquæ Conſuetudinis Exiſtimationisque retinentiſſimos avitus Genius efficiebat, tum Experientiam Maturitas Senectutis perficiebat. Publicè Doctores in Eliſabetano Patriæ Gymnaſio fideliter audiebat: quorum Præceptis Monitisque non ferreus, ſed cereus ad ea, quæ Fundamentis Literarum Morumque firmiter decenterque formandis ſerviunt, ſe non trahi, ſed duci permittebat. Quô Pactô fiebat, ut per Linguas & Artes Ingenio Sapientiæ ſtudioſo neceſſarias feliciter progreſſus ad majores Diſciplinas Scientiasque complectendas, cùm in ſupremum Auditorium aſcendiſſet, conſequeretur Duces, ad eruditam beatamque Vitam exercitatiſſimos, *Johannem Gebhardum*, *Johannem Fechnerum*, *Chriſtophorum Colerum*, & *Eliam Majorem*, in Rem literariam civilemque magnis multisque Meritis clariſſimos Viros. His præter accuratam Romani Græcique Sermonis Notitiam, plurimis, iisque ſelectisſimis Antiquitatibus refertam, illas Humanitatis Delicias, Oratoriam Dictionis Vim, Elegantiamque Compoſitionis Poëticam debebat: debebat etiam potiores Philoſophiæ Partes, in quibus Rerum naturalium Cognitionem, Scopo Studiorum Academico præ cæteris applicabilem, Conatu majore diligebat. Neque poſthabebat ſacra Theologiæ Chriſtianæ Capita: quæ ſibi, quantum plebejo ſufficit, familiaria reddidiſſe, non ſatis habebat: ideoque ſuis è Principiis non tantùm ad pleniorem approbantium Intelligentiam demonſtrata, ſed etiam ab ingenioſis diſſentientium Erroribus vindicata, ſolicitus avidusque nunquam non capiebat. Tantum aberat, ut immaturum importunumque Juventutis temerariæ Judicium ſecutus, collectis Doctrinarum quibusdam Fragmentis contentus, aut etiam elatus, non ſatis componeret expoliretque ſemel arrepta, vel multò perverſior, Sapientiam cœleſtem faſtidiret: quam ſupra Vulgus diſcere, non Medicorum, non

 JCto-

JCtorum, non Politicorum, non aliorum, niſi Theologorum futurorum eſſe, protervior an imprudentior dicam, Adoleſcentia ſomniat. Cæterùm, ita ſe Profeſſoribus omnibus probabat, ut Commilitonibus ob Induſtriam conſtantem anteponerent plurimis, ob peculiarem Modeſtiam optimis annumerarent. Accedebant in Suſcitamentum per ſe fortiter ad præfixam Metam procurrentis Sodales meliores, quos Spatiis Profectuum conſpectioribus ſe partim antegredi, partim ſubſequi deprehendebat: illos, ſi non vincere, tamen æquare contendens: hos, niſi paris Æmulationis cupidos, longiùs à Tergo relicturus. Etenim haud paucos, ex iisdem Diligentiæ Sociis, in eodem Lyceo florentibus, cum quibus tum Cogitationes Curasque literarias miſcebat, poſt etiam in ſubtilioribus Phyſicarum Medicarumque Rerum & Meditationibus, & Experimentis, aut Præcurſores, aut Imitatores habuit. Inter quos Galenis ſuis adſcripſit intra Sileſiam Vratislaviæ *Fridericum Ortlobium*, *Sebaldum Scholtzium*, *Johannem Cornelium Weberum*, *Johannem Jæniſium*: Lignicium *Iſraëlem Volckmannum*: Olſna *Chriſtianum Agricolam*: Strela *Johannem Libetantzium*: in Holſatia Kilonium *Johannem Danielem Majorem*, Hamburgum *Michaëlem Dœringium*. Ex his maximè *Johannem Danielem Majorem*, ex cæteris *Theodorum Jacobi*, *Johannemq; Dœringium*, quos egregiis Provinciis ſuſcipiendis Jurisprudentia fecit habiles, Indoli ſuæ conſimillimos, in ſingulare Conſortium, id eſt, Eruditionis & Virtutis quotidianum Exercitium aſſumebat. De quorum Amicitiâ ſincerâ perpetuâque, non pauciores Utilitates, quàm Jucunditates complexâ, me parcius loqui decet, ne, quicquid ad ſelectiſſimorum Familiarium Conjunctionem, cujus Pars fui, pertinet, ſi laudavero, ſimul in meum Decus addidiſſe videar. Hâc Lege fiebat, ut à teneris ad recta flecti facillimus, Ætatem primam & compoſitis Moribus, & Literis præclaris exornaret.

Satis

Satis Laboribus Academicis præparatus, Lipſienſe tam Emporium, quàm Athenæum celebre, nobiliſſimas ſibi Merces Conatibus indefeſſis emturus, Anno M. DC. LV, ſextô Calendas Majas, intrabat. Ibi Tempora ſic diſponebat, ut primùm ea, quibus in Gymnaſiô patriô Mentem applicuerat, deſtinatis Horis repeteret, Acceſſionibusque crebris ampliſſima redderet; itaque fideliter & augeret, & acueret Inſtrumenta Peritiæ, cui ſe potiſſimùm erat conſecraturus: deinde, quicquid ad capiendam Artis Medicæ Notitiam conſummatiorem inter Initia requiritur, intentiore Curâ perveſtigaret. Hunc in Finem ſæpiùs audiebat excellentes Humanitatis, Sapientiæ Prudentiæque Profeſſores, *Andream Rivinum*, *Johannem Ittigium*, *Gothofredum Sluterum*, *Fridericum Rappoltum*, *Chriſtianum Fridericum Franckenſteinium*, *Jacobum Thomaſium*, *Johannem Kuhnium*, *Johannem Sigismundum Schvvenckium*: quorum Cathedris, præter Elegantiam Sermonis, non tantùm Copiam Ingenii pleniorem, ſed etiam Acumen Judicii ſubtilius in acceptis referebat. Tum cæteris, tum maximè Corporum naturalium Contemplationibus, quantum ſatis, immoratus: ad ipſam demùm accedebat Medicinam: cujus Partes Ordine, quô decet, tractabat, circumſpectos exercitatosque Monitores ſecutus. Totius Hominis Structuram, in Membris etiam tenuiſſimis, perſpectam excipiebant ea, quibus retineri ſolet Incolumitas, ſeu per Alimenta Vires inſtauremus conſumtas, ſeu per Motum Torpori Putredinem ſubtrahamus imminentem, ſeu per Quietem Defatigationi Pauſam indulgeamus neceſſariam. Ab his ad innumerabiles Morborum Formas digrediebatur, qui naturalem Valetudinis Statum, & in Partibus, & in Univerſitate minoris hujus Mundi, cujus Gratiâ Mundus ille magnus eſt excitatus, imminuere vel deſtruere conſueverunt. Hinc in ampliora Spatia procedebat, ubi reperitur, quicquid providentiſſimus benigniſſimusque Conditor Mortalibus in Vitæ prorogandæ Subſidium produxit. Ibi verò, quemadmodum

dum Natura dives in tribus, iiſque maximis Foſſilium, Vegetabilium, Animaliumque Regnis Theſauros incredibiles nobis exhibet, quos nemo perſcrutatus, nemo perſcrutaturus eſt omnes: ſic Speculator noſter inſatiabili Cupiditate, quam Subtilitas admirabilis comitabatur, hactenus adauctos Animi Nervos non tam in obvia, quàm in occulta Rerum creatarum Miracula penitùs intuenda convertebat. In his occupandæ Cognitionis ſalutaris ſupra diſcentium Vulgus Incrementis, ad Exemplum & in Auxilium ſibi commendatiſſimos habebat inſignes ſtabiliendæ revocandæque Sanitatis Doctores, quorum Artibus eô Tempore Lipſia præcellentes Tirones Medicos elaborabat, *Johannem Michaëlis*, *Gothofredum Welſchium*, *Johannem Hoppium*, *Chriſtianum Langium*, *Polycarpum Heilandum*, *Arnoldum Mengeringium*. Per hos & alios jam ſibi comparatis parùm contentus, quò plures impetraverat, eò plures appetebat Scientiarum Opes, ſemper avarior.

Notaverat, ex præſtantiſſimis præſtantiſſima non poſſe, niſi per Artificium, cui potiſſimùm & Ignis & Liquor ſervit, extrahi, componi, permutarique feliciter, ut Ægrimoniis Abitum tempeſtivum accelerent, atque laborantibus opportunô Levamentô ſuccurrant. Id etiam intelligebat, non Cathedrarium Auditoribus, ſed Practicum Spectatoribus Hippocratem daturus, acquiſitam Medicinalis Eruditionis Copiam, niſi, per multiplicem Uſum, diſtinctiores Notitias, tutioresque Curas produceret, majores afferre Poſſeſſoribus Delectationes, quàm Amatoribus Utilitates. Quamobrem, utrumque proſecuturus Inſtitutum, transactô Lipſiæ Quinquenniô, ſub Anni M. DC. LIX. Terminum, inveniebat exoptatum alibi Magiſtrum, qui Perfectionem ampliorem affectantis, ſimul in Chimicis, ſimul in Therapeuticis, Manum Operamque dirigeret. Is erat *Chriſtophorus Ausfeldius*, Altenburgenſium experientiſſimus feliciſſimusque Poliater: in cujus Domicilium VOLGNADIUS receptus, quicquid à Patre

Filius

Filius in arcanis ſperare poteſt, id ab Hoſpite ſuo, quem Eruditione, Pietate, Suavitateque totum poſſidebat, obtinuit. Ab eô, mox eliciendis per Calorem Humoremque Succis, Salibus, aliisque coctorum exuſtorumque pretioſis Reliquiis adhibebatur: mox ægrotis, ſervatô Graduum Ordine, primùm nulli, deinde modicô, tandem ultimô Vitæ Periculô, (quantum ex Cauſis Circumſtantiisque patebat) obnoxiis ad Sublevamentum deſtinatus, in Conſilii, Solicitudinis, & Laboris Partem aſſumebatur. Hunc proficiendi conſtantiſſimum Ardorem, quem exſtinguere non poterat, non nihil inhibebat ſupremum PHILIPPI VOLGNADII Genitoris Fatum, quem humanis Rebus valedicere placidum piumque Senem Annus CHRISTI M. DC. LX, Ætatis LXXVIII, quartus Calendas Quintilis, juſſerat. Tum enim ad Suos Vratislaviam revocatus, cùm à Negotiis Hæreditatem ſpectantibus, quô poterat, breviſſimô Spatiô ſe liberaviſſet, à Sileſiis ad Bohemos, ubi Res maximè Pragenſes Oculis ſubjiciebat, transgreſſus, ad Miſnenſes Altenburgum redibat, cœpta continuaturus. Ibi, quantâ Solertiâ, quantô Succeſſu, VOLGNADIUS in privatô Studiis ſuis conſuluiſſet, nemo rectiùs ad extremum in publicô, quàm *Ausfeldius* ipſe patefaciebat: qui, cùm graves mortiferasque Valetudinis Vices experiretur, &, ſuperante Fortitudinem Animi ſtrenuam Languore Corporis nimiô, defatigatus, jam ſibi deeſſe Medicus inciperet, VOLGNADIO Salutem ſuam committere nihil dubitabat. Et fiebat, ut nec *Ausfeldium* Fiduciæ, nec VOLGNADIUM Operæ pœniteret. Nam VOLGNADIUS quidem *Ausfeldio*, quem ab Ægrimoniâ Præſidiis efficaciſſimis vindicans, memorabili Præmiô remuneraverat, illuſtre Specimen in Medicum cadentium, & Profectuum maximorum, & Morum optimorum edebat: *Ausfeldius* autem VOLGNADIO, quem ex hoc Documento, velut ex Ungue Leonem, agnoverat, Altenburgicæ tum Aulæ, tum Civitati, potentiorem in Modum commendabat, eam conciliabat Exiſtima-

tio-

tionem, quam meretur bonus, & tantò melior futurus, quantò pluribus Opem afferre didicit, depellendarum Ægritudinum Artifex.

Jam ea Noſter aſſecutus erat, quæ diviſa doctum, conjuncta nobilem oſtendere Sanitatis Reſtitutorem Conſervatoremque poterant: ſed major aliis, quàm ſibi, nondum ſatisfecerat Deſideriis ſuis: quibus duo reſtabant, cum Altenburgum relinqueret, Teſtimonium publicum, & longinquum Iter. Priùs intendebat, non, ut eò ſpectabilem Eruditioni ſuæ Dignitatem attraheret, ſed, ut Conſuetudinis Legem ſecutus, citra Plebis Dubitationem aut Timorem, Medelis ſuis juſtam & Integritatem, & Libertatem aſſereret. Urbem Witebergenſem Anno M. DC. LXII, ſeptimô Calendas Majas, (quô Die Lipſienſem ante Brumas octo primùm viderat) ingreſſus, ab Academicis Collegii Medici Profeſſoribus, id, quod ex meritô concupiſcebat, ex facili conſequebatur. His enim ſanandi peritiſſimis Doctoribus, quicquid attulerat, partim invitatus Occaſione, partim Neceſſitate compulſus, tam luculenter expoſuerat, ut eum, ordinariis Candidatorum Documentis feliciter editis cum Applauſu defunctum, Decano *Michaële, Danielis Filio, Sennerto, Conradus Victor Schneiderus*, eodem Anno, XXIV. Calendas Decembris, cùm Medicinæ Doctorem Solennitate conſuetâ renunciaret, licèt abſentem, admodùm honorificis proſequeretur Elogiis.

Witebergâ ſub Æſtatis Exitum, eodem Anno, digreſſus, ubi veterem cum *Johanne Daniele Majore* Familiaritatem exoptabili Conſortiô redintegraverat, in Altenburgenſem Urbem, ad *Ausfeldium* ſuum revertebatur: poſterius etiam, quod reſpiciebat, exſecuturus. Sic enim apud Animum ſuum ſtatuebat: nihil intentatum, nihil inauſum relinquendum, unde partis Experientiæ Copiis aliquid addi queat: cum Exteris amicam frequentemque Conſuetudinem multum ad Mentes in verô confirmandas, & à falsô retrahendas

das

das facere, ſi, quò liberius, eò prudentius omnia peragantur: præ cæteris, in re Medica nullum inveniri doctum revera, nedum ſingulariter doctum, ſeu Collegium, ſeu Virum, à quô diuturnis Experimentis ad Excellentiam provectô, (niſi domeſticæ Gloriæ prorſus Invidia poſtponat omnem Proſperitatem communem) peculiare quiddam non reportari poſſit, ſi pandere ſecreta commodô ſtimulô jubeatur: adeunda proinde Loca, quæ Principatum in ſelectiores delicatioresque Corporum naturalium Inveſtigationes ſibi vindicant: earumque Roſcios peregrinis Auribus Oculisque non inaniter oſtentare gaudent. Quare nactus in Viæ Societatem, *Johannem Libetantzium*, olim Condiſcipulum, Artis convaleſcendi Cultorem, Honoribus, quos VOLGNADIUS jam obtinuerat, acquirendis intentum, Altenburgenſibus Anno M. DC. LXXII, nono Calendas Octobris, valedicebat.

Chemnicium, Miſnenſium Urbem, tranſierat, cùm Annæbergam intraret. Ibi copioſâ metallicæ Naturæ Scientiâ ductus, non tantùm extra Fodinas, quicquid notabile patebat, curioſis Perluſtrationibus excipiebat, ſed etiam Operas Machinasque Foſſorum cæterorumque Miniſtrorum in ipſis Fodinis aſpecturus, in Cuniculum omnium maximum, cujus Profunditas in ulnas MCC. deſcendebat, non citra Periculum, (in quô Metum & Cupiditas & Spes vincebat) Audaciâ ſi non laudabili, tamen excuſabili, ſubmittebatur. Per Vallem Joachimicam Thermasque Carolinas concedebat Egram. Ex Bohemia per ſuperiorem Palatinatum in Franconiam pergebat. Hinc perluſtratis Norinbergenſium Antiquitatibus, Auguſtam Vindelicorum in Suevia, Monachium in Bavaria, cum Oeniponte Tridentum in Tirolinenſium Terris contemplabatur. Tandem, quò dixerat Iter, in decantatiſſimam Venetorum Academiam Patavinam, veram Medicorum quaſi Patriam, octavo Calendas Novembris, acce-

cedebat. Inveniebat ibi Doctores eminentiſſimos, quorum Placita, cum in publicis Auditoriis, tum etiam in Colloquiis privatis, acutô Judiciô perpendebat: ideoq́ue Cogitationes crebrò miſcebat cum *Hieronymo Vergerio*, *Petro Marchettio*, *Joanne Bonardo*; maximè cum *Antonio Molinetto*, (cujus & Dexteritatem promtam, & raram Solertiam ſingulariter admirabatur) intelligentiſſimis Rerum Medicinalium Cenſoribus: quibus per Horas ſuccisivas, in Converſationis Oblectamentum, addebat Oratorem Hiſtoricumque ſummum, *Octavium Ferrarium*, Romanas potiſſimùm Literas Obſervationibus Explicationibusq́ue luculentis eleganter illuſtrantem. Monumenta præcipua, quibus Ingenium arrexerat, apud Patavinos aſſecutus, Anno M. DC. LXIII. mediô, plures Italorum Urbes Aſpectui Conſiderationiq; ſubjiciebat. Venetiis, Vicentiæ, Veronæ, Mantuæ, Mediolani, quô plus notabilium inveniebat, eò diuturniorem agebat Hoſpitem.

In Germaniam reverſus, Lindaviam Conſtantiamq́ue Suevorum, Helvetiorum Schafhuſium & Baſileam, ubi *Johannem Bauhinum* & *Johannem Henricum Glæſerum* compellavit, perluſtrabat. Hinc ad Rhenum nobiliſſimas Urbes, Briſacum, Argentoratum, Spiram, Manheimium, Wormatiam, Moguntium, Coloniam intrabat. Cùm Juliacenſes, Limburgenſes, Leodienſes, Namurcenſes & Hannonicas Terras peragrâſſet: in Flandria Duacum, Tornacum, Inſulas, Ipras, Dixmudam, Neoportum, Dunkerkam, Oſtendam, Brugam: in Brabantia Gandavum, Bruxellas, Lovanium, (ubi *Vopiſco Fortunato Plempio*, celeberrimo Medico, ſe commendabat) Machliniam, Antverpiam: in Zelandia Fliſſingam & Middelburgum adibat. Vix attigerat Batavorum Oras, cùm Occaſionis Opportunitatem, quam Graveſandum offerebat, arripiendam ratus, in Angliam Ventis ſecundis trajiceret. Ibi totius Regni Caput, pulcherrimumq́ue Compendium, Londinum, in Commoda ſua convertebat, non tantùm

tùm antiquiſſimorum rariſſimorumq; Monumentorum Spectator, ſed etiam Rerum naturalium artificialiumque Scrutator, in primis curioſisſimorum ſubtiliſſimorumque Medicorum Salutator: quorum Comitati retulit acceptum, quicquid in Solennitate ſacrâ conſpexerat, cùm Potentiſſimus Britannorum Rex, CAROLUS II, multorum ſanandorum Genas Dextera tangeret, CXX. ſanatorum Collis niveum Filum ſericum, ex quo Nummus aureus pendebat, applicaret: poſteaque Convivio, cui JACOBUS II, poſt CAROLI II. Fratris, in Paternis Regnis Succeſſor, nunc exul, aderat, defungeretur.

Perquiſitis in eadem magnâ Peninſulâ nobilioribus Civitatibus aliis, in Belgium redux, Lugdunum Batavorum ingrediebatur, Quietem Corpori juſtam, novam Delectationem Animo daturus. Hoc enim Loco, quem Academia doctisſima nobilem facit, incidebat in Medicos excellentiſſimos, *Johannem Antonidem Lindanum* & *Franciſcum Boæum Sylvium:* quibus in Noſocomio publico, cùm partim ſanandi Rationem in variis ægrotantium Generibus, partim moriendi Neceſſitatem in apertis exſtinctorum Corporibus demonſtrarent, aſſiduus Comes aderat. E Cathedra *Joannem Hornium, Adolphum Vorſtium* in Horto peculiares Obſervationes proponentem audiebat. Nec, humaniorum immemor, quorum à teneris Amator fuerat, negligebat prorſus Hiſtorias & Antiquitates, quas *Antonius Thyſius, Georgius Hornius,* in primis *Joannes Fredericus Gronovius* exponebant. Non igitur inde vacuus commigrabat Harlemum, Hagam Comitis, Delphos, Roterodamum, Dordracum. Apud Amſtelodamenſes *Gerardum Blaſium* conveniebat: apud Ultrajectenſes, tum *Isbrando Diemerbrœkio*, tum etiam *Henrico Regio* ſe monſtrabat. Hinc Daventriam Geldrorum, Grœningam Friſiorum perveniebat.

Utrumque, cùm Regium, tum fœderatum Belgium, cujus præcipuas, & mutas & loquentes Bibliothecas inſpexerat, egreſſus, Hamburgi cum *Petro Kirſtenio*, Medico Profeſſoreque clariſſimo, ſi ſpectes Originem, Moravo; ſi cures Educationem, Sileſio, dudum initam renovabat redintegrabatque Colloquiis diuturnis Amicitiam, ex eô tam conſtanter, tam fideliter cultum, ut nihil, niſi Mors, valeret diſſolvere. Viſis ad Mare Balthicum vicinis Urbibus, Lubecâ Berolinum in Marchiam, & Altenburgum in Miſniam tendebat. In eâ VOLGNADIO ſtatim patebat ſubſiſtendi Locus, ubi ſe notiorem hactenus, quàm domi fecerat. Sed, ut erat in Modeſtiam propenſiſſimus, inverecundum arbitrabatur, inconſultâ Patriâ, cui potiora deberet, parta conſecrare Solo peregrino. Quare Vratislaviam repetebat ſub Anni M. DC. LXIV. præcipitem Autumnum. Ibi verò tam Suis exoptatus, tam charus aliis erat, ut apud eos Sedem figendi Propoſitum denique firmiſſimum caperet: à quô ſe per Miſnenſis nec Urbis, nec Aulæ, quamvis ſponte ſuâ Provincias inſignes offerentium blandam Solicitudinem dimoveri patiebatur.

Tum ad Metam Oculô Sapientiæ directo, quicquid hactenus & Doctrinarum & Experimentorum collegerat, vel nullum, vel exiguum, niſi commune fieret, Bonum eſſe ratus: expetitum ſeu confirmandæ, ſeu reparandæ Valetudinis Conſilium nemini denegabat: ægrotantiumque, ſicut Corporibus Peritiâ Providentiâque juſtiſſimâ, ſic Mentibus Comitate Facilitateque ſuaviſſimâ conſulebat. Hoc Pacto fiebat, ut ſubinde plures morbidorum clinicorumque proſtratas Spes, quas erigere, quas implere poſſet, in ſe converteret, Annorumq; paucorum Spatiis eò Famæ progrederetur, ut Artificibus medendi potioribus adſcriberetur.

At uni Civitati ſervire, parùm habebat. Ideò majorem creſcentis Eruditionis Utilitatem in univerſam, non Sileſiam, ſed Germaniam, quin Europam, extendere conabatur. His

Cogi-

Cogitationibus, non Animum ſubitò transvolantibus, ſed eidem firmiter impreſſis, ad altiora ſemper aſcendentibus, ſemper ad ampliora procurrentibus, Viam monſtrabat Dux egregius, conſimili Scopô delectatus, *Jacobus Philippus Sachſius*, Vratislavienſium Poliater, in præcellentiſſimis doctus, circumſpectus, ingenuus: ipſe jam inter hos receptus, à quibus nequaquam vulgaria Sæculum exſpectabat.

Nam, poſt inſtauratam in Imperio Romano Pacem, quam tricenis Annis Bellum interruperat, intra Germaniam, in Francorum Terris, apud Suinfurtanos, Anno M. DC. LII, ſub Expeditionis Argonauticæ Titulo, privatis Auſpiciis excitata, Suffragiis publicis intenta Societas, Ingeniis Naturæ curioſis opportuna, cùm ſub Initium (quod maximis etiam Rebus parvum eſſe conſuevit) Aſſeclas teneret pauciſſimos, in Augmentum ſuum Viros invitabat, qui ſupra cæteros eminebant. Collegis proinde ſuis, Anno M. DC. LVIII, *Sachſium*, magnâ ſelectioris Scientiæ, tum Varietate, tum Elegantiâ ſpectatiſſimum, addebat: cui Locum inter Adjunctos Præſidi proximos honorabilem aſſignabat, ſplendidumque PHOSPHORI Cognomentum inter Naturæ Curioſos imponebat. Is, cùm Annus M. DC. LV. Inventorem Antiſtitemque Societatis hujus primum, *Johannem Laurentium Bauſchium*, Suinfurtenſem, Patriæ Phyſicum, ARGONAUTARUM JASONEM, exſtinxiſſet: iisque ſupra Modum fatalis Annus M. DC. LXI, *Gregorium Horſtium*, Ulmenſem, Patriæ Phyſicum: *Conradum Theodorum Linckerum*, Marpurgenſem, Patriæ Phyſicum: *Andream Wolfium*, Jenenſem, Smalcaldiæ Phyſicum: & *Jonam Deutſchlanderum*, Frauſtadienſem, non Patriæ tantùm, etiam Polonorum Regis Medicum, ex Meritô celeberrimos Viros, eripuiſſet: ne pateretur ARGO Naufragium, Remis Velisque contendebat. Nam eodem Anno, matutinam Fulgoris ſui Gratiam, ut PHOSPHORUS, in Orbe literario patefacturus, inter tot nobiles Labores, quorum

 nihil

nihil emiſerat, primos, non Vini, ſed Ingenii Copiâ Spiritûque plenus, de Vino Lucubrationes, cordatis Æſtimatoribus ad auxiliatrices ARGONAUTIS Dexteras porrigendas, Invitamenta Vino dulciora propinabat. Et, ne quisquam à Pelagi, quem Societas intraverat, Fluctibus abhorreret, Oceanum magnum à parvo, quem Homo quisque mobilem in Venis ſuis experitur, niſi Mole, nihil aut parùm diſtare, luculenter Anno M. DC. LXIV. docebat. Et, ne quenquam de Præſidiis Vitæ neceſſariis Solicitudo retraheret, Anno M. DC. LXV, cuivis, ut priùs Sitim per Vinum levaverat, ſic poſteà per Cancros Famem ſolabatur. Ita cùm amœniùs effeciſſet ARGONAUTARUM GERMANICORUM per ſe jucundum Conſortium, exquiſitis & Operibus ingens, & Elogiis felix *Sachſius*, Familiarem ſuum, cum quô Secreta ſæpè miſcuerat, VOLGNADIUM noſtrum, & Studiis & Moribus ſuis reſpondentem, & Publico deſtinatis habilem, in Naturæ Curioſorum Collegium cenſebat recipiendum. Id VOLGNADIUS Anno M. DC. LXIX, Præſide *Joanne Michaële Fehrio*, Kittingano, Suinfurtenſium Phyſico, deſiderabilis Abſynthii, quod Lectoribus nihil Fellis, Mellis plurimùm exhibet, Autore, cui de Notâ meliore commendatus erat, ingreſſus, primùm COLLEGÆ, mox ADJUNCTI Perſonam, Cognomentumque SIRII conſequebatur. Poſt illa PHOSPHORUS SIRIUSque ſic conſpirabant, ut in commune Bonum Radiis Ope mutuâ collineantibus producerent maximè ſalutarem effectum.

Hactenus ſolitariis Collegarum Opuſculis in Lucem editis laborioſa Curioſorum Societas inclaruerat. Tum ea Conſilium de componendis in poſterum, ad prævia vicinorum Populorum, Anglorum, Gallorum, Italorum Exempla, Germanicis Ephemeridibus approbabat: in quibus Naturarum innumerabiles Dotes, admirabilia Monſtra, ſecretas Vires, Morborum inuſitatas Formas, Medelas raras: Inventorum

vete-

veteres recenteſque Species, ſeu recipiendas, ſeu rejiciendas: & quicquid ad rerum creatarum, diſtinctiùs interiùsque cognitarum, Hiſtoriam quocunque Modo pertinet, cuivis exponere liceret. Hoc multiplicis Varietatis, Delectationis, Utilitatis arduum Opus, quod ſingulis Annis, tanquam in Naturæ quodam Novo Theatro Materias exquiſitiſſimas, anteà vel nunquam, vel perperàm, vel obiter in medium prolatas, Curioſis repræſentaret inſpiciendas, examinandas, dijudicandas, & Calculis ſeu nigris, ſeu candidis, quibus Ratio Pondus, non pretium Numerus conciliet, notandas, Vratislavienſibus Sileſiorum Duumviris, *Sachſio* VOLGNADIOq; colligendum, dirigendum, edendumq; committebatur.

Quid Naturæ Curioſorum Academia per hos Procuratores, quorum Humanitas ſingularis, Autoritas ſpectabilis, incredibilis Induſtria fuit, apud Italos, Hiſpanos, Anglos, Hungaros, Polonos, Suecos, Danos, Bohemos, non Germanos tantùm, potuerit, illi cunctorum Oculis atque Judiciis expoſiti Codices, qui Germanorum Epemerides audiunt, ſatis loquuntur. Certè, non exigui Negotii, neque vulgaris Prudentiæ fuit, ei Structuræ, cujus Moles jam in Annum XVII. excurrit, ſolida ponere Fundamenta: quibus deinde Succeſſores, quicquid cuperent, commodum in Modum adjicere valerent. Quin ita Votis reſpondit Eventus, ut hic illa ſuperaret. Etenim Sacrum Imperii Romani Caput, LEOPOLDUM, feliciorem AUGUSTO, TRAJANO meliorem, utriusque pronis in Literas & Literatos Affectibus Documentiſque non tam Imitatorem, quàm Victorem, Sileſiis Indulgentiſſimum, quem ſibi Maximum Optimumque Patronum, in Naturæ Curioſorum Tutelam & Gloriam, expetebat Ephemeridum Germanicarum Annus primus, CHRISTI M. DC. LXX, adeò ſentiebat propitium, ut inde novus ARGONAUTIS univerſis exoreretur SOL, qui progreſſuris perpetuam Serenitatem, ſecundos Ventos, innoxium Mare ſpondebat.

debat. Alter harum Ephemeridum Annus, CHRISTI M. DC. LXXI, ſubſecutu Annis parem Fortunam pollicitus, Operam diſparem augurabatur. Tum enim & catenatis Curis, & Morbis contumaciſſimis jam fractus *Sachſius*, tertiô Menſe poſt, cùm Annus CHRISTI M. DC. LXXII. Septimum Diem ageret, Rebus Mortalium valedicens, omnem Continuationis Laborem ſoli VOLGNADIO relinquebat.

Hic, quoniam tot & tantis expediendis, quæ majus Incrementum editis addere debebant, unus impar erat, in Auxilii Partem acceperat Collegas, ſub Initium *Johannem Jæniſium*, Vratislavienſem Poliatrum, hodiè Phyſicum, inter Naturæ Curioſos ARCTURUM, Familiaritatis veteris, Affinitatis recentis Jure ſibi conjunctiſſimum: ejusque poſteà non ampliùs his Laboribus, quos alii ſufflaminabant, vacantis lectiſſimos Succeſſores, Breslenſes Medicos, *Gothofredum Schultzium*, Naturæ Curioſorum ÆGINETAM Primum, & *Johannem Burgum*, Eorundem MESUEN.

Sed nihilo ſeciùs, (ut erat in ea, quæ toto Pectore concupiſcebat, propemodùm immobilis,) quô ſubtilioris Roboris, eò plenioris Alacritatis, Conſtantiæque longioris, non modò primarias, ſed etiam plurimas Res exſequebatur: itaque Solicitudines potiores, Moleſtias crebriores ſuſtinebat, invictus Hercules. Is ad publicum Bonum Acceſſiones provehendi Conatus privatus, quantam in perpendendis Circumſpectionem, in diſponendis Patientiam, in procurandis Promtitudinem requiſiverit, in omnibus Moram Temporis conſumſerit: faciliùs aſſequi Cogitationes ingenioſæ, quàm diſertæ Voces eloqui poſſunt. Sanè difficillimum, idque ſatis etiam exercitato magnum Negotium erat, Literario Regno ſemel à Germanis deſtinata Monumenta fideliter colligere, ſapienter æſtimare, feliciter publicare: cum Viris per Europam celeberrimis, quanquam maximè ſupra cæteros Medicinam aman-

amantibus, aut etiam docentibus facientibusque, continuum ſcribendi reſcribendiq; Commercium habere.

Ne quicquam in hoc ultra fidem, ſupra verum, dixiſſe videar: quos ſingularem Propenſionem VOLGNADIO noſtro, Placita Collegii ſui curioſa diligenter curaturo, declaraviſſe conſtat, non recenſebo prolixè, cùm Eorum Nomina, functionesque tot, quot ipſe edidit, Ephemeridum Tomi, qui ab omnium manibus teruntur, ab oblivionis labe vindicaverint.

Intra Provinciam Patriam, quibus noſter VOLGNADIUS in Pretiô fuerit habitus, cui non in Sileſia conſtat, cujus ille Famam longè latèque diffudit? Præterquam enim, quod omnes, maximè communem aut Originis, aut Muneris Sedem nactos, indefeſsâ Comitate fuit amplexus. Ex iis, ut ſolos enumerem Medicos, fuerunt inter BREGENSES, *Gothofredus Schubartus: Gothofredus Chriſtianus Wincklerus*, tandem Octoviri Brandenburgici Conſiliarius & Medicus. Inter SUIDNICENSES: *Sigismundus Graſſius:* Inter GRUNBERGENSES, *Samuel Ledelius:* inter ipſos VRATISLAVIENSES, præter alios, ante laudatos, *Gothofredus Thileſius, Fridericus Ortlobius*, Phyſici, *Franciſcus Adamus Keſſius, Sebaldus Scultetus, Johannes Cornelius Weberus, Caſpar Feldnerus, Johannes Emericus, Joachimus Georgius Elsnerus, Gothofredus Schultzius, Johannes Burgus, Maximilianus Preuſſius, Johannes Chriſtianus Tralleſius.*

Cæteris enumerandis non ſum: quos Memoria, per longiores Moras pluresque Curas impedita, nobis denegavit: & vereor, ne quosdam ipſa Multitudo mihi ſubduxerit, quorum Nomina quidem non exſtinxerit Oblivio, ſed non ſuggeſſerit Promtitudo. Non igitur præteritos afficiet Omiſſio: neque concitabit recenſitos Simplicitas, quæ juſtum Narratoris Officium impletura nulla Præconium adjecit debitum. Pleriſque Scripta Nomen, ipſis etiam in Ephemeridibus Ger-

manicis, vel admirabile, vel æſtimabile reddiderunt: reliquis aliunde Laus publicè conſtat. Et Lumen addere clariſſimis, an non eſt eorum diffidere Claritudini? Per hos autem ſimul Naturæ, ſimul Curæ ſubtiliter intentos Amatores VOLGNADIUS multis præthereà, non Germanis ſolùm, etiam Gallis, Britannis, Suecis, Danis aliisq; novas Rerum Inventiones Obſervationesq; ſingulariter appetentibus, & ſui fecit, & in eorum pervenit Notitiam.

Cæterùm, quem ſemet omnibus demonſtraverit, apprehendere, non exprimere ſuſtineo. Nam tot ſatisfacere doctiſſimis, iisque diſſimillimis Capitibus, cùm non ſit, niſi præcellentis Ingenii, quod unum ſe plurimis Ingeniis accommodare poteſt, &, pro Temporum Habitu, cuique ſuam & Honoris & Amoris Notam formare didicit: ecquis vel ex eô non agnoſcat VOLGNADIANAM & Solertiam & Prudentiam? Inde fiebat, ut apud omnes ingentem & iniret Gratiam, & acquireret Exiſtimationem: cum iis verò, quorum Genios ſuo pares animadverterat, & honeſtam, & utilem, & dulcem Amicitiam contraheret: quod ab eo partim editi Codices, partim reſervatæ Literæ produnt, in quibus miræ tum acceptas, tum etiam redditas Humanitatis Teſſeras invenire datur. Horum nihil ad Gloriam referebat: quam adeò non affectabat, ut potiùs, quantum poterat, vel declinaret, vel opprimeret: rectè factis, tanquam optimis Bonis, intra ſolam Conſcientiam lætus: nullum Famæ, nullum Invidiæ Pabulum daturus.

Id VOLGNADII noſtri cum tam numeroſis, tam delectis Ingeniis, per epiſtolare Commercium, inita Societas obtinere ſatis habebat, ut ex totius Collegii, non tam Laudibus, quàm Fructibus, Salubritatem Dulcedinemque ſuam ad Eruditos omnes transmittentibus, quilibet Aſſecla purum innoxiumque Gaudium conſequeretur. Eò direxit à ſe publicatas plusquam mille Phyſicarum, Mathematicarum, Medicarumque

que Meditationum Delicias; quales, non ut *Gellii* Scripta, NOCTES, nec ut *Heſiodi* Carmina, DIES: ſed, quia MENSIBUS etiam præferendæ ſunt, ANNOS vocare par eſt. Accedit VOLGNADII noſtri pro Collegio, cui Nomen ſuum adſcripſerat, in amplius Decus evehendo, ſincera Fides, Conatus perpetuus, præſertim ille, quô Fautores in Aula Cæſarea potentes, variis Benevolentiæ Nutrimentis allectos, non tam ſibi, quàm univerſæ Societati ſuæ propenſiſſimos aut retinuit, aut reddidit: per quos AUGUSTO noſtro, cùm devotiſſimum in Modum conſecratas EPHEMERIDES quotannis opportunè porrigerent, totius Operis Autores omnes, non tantùm Procuratores, ſe non mediocriter commendaverunt. Nam utrisque Munimentum firmum, ſummum Ornamentum LEOPOLDUS Imperator Optimus Maximus, ut eſt tam Literis indulgens, quam felix Armis, Præmium rependit Magnitudine ſuâ dignum, id eſt, Illuſtriſſimum. NATURÆ CURIOSORUM ACADEMIAM Univerſam & confirmavit & condecoravit: cujus & Autoritati Suam, hoc eſt, Publicam addidit: & Legibus ſubſcripſit: & Titulo, qui SACRUM ROMANUM IMPERIUM præ ſe fert, annuit Anno M. DC. LXXVII: poſtquam, ex ipſis EPHEMERIDUM EDITORIBUS, noſtrum VOLGNADIUM & *Johannem Jæniſium*, in Cæſareæ Liberalitatis & Humanitatis peculiare Documentum, aureâ ſimul Torque, ſimul Imagine ſuâ, clementiſſimum in Modum, An. M. DC. LXXV, ſtatuerat honorandos.

Nimirum VOLGNADIUS noſter, ut erat æſtimatiſſimi *Sachſii*, neque Succeſſor degener, neque diſpar Imitator: ita non tantùm ex Auguſto Palatio, ſed ab omnibus Locis, ubi Cultores eruditæ pariter & curioſæ Diligentiæ ſolertiores inveniuntur, conſimilem Favorem aut reportavit, aut promeruit. Non equidem in Vita concordes, poſt Mortem, tanquam diſcordes, committam Viros excellentes: in iis tamen,

 quo-

quorum & Integritatis, & Sedulitatis, & Sagacitatis Convenientiam agnoſco, quandam Inæqualitatem reperio: quæ ſubtiliorem Judicem dubium facere poſſit, utri gravius Meritorum Pondus attribuere debeat. *Sachſius* omnium primam, VOLGNADIUS magis diuturnam Opuſculis Collegii ſui proferendis Operam impendit: quorum ille quidem duos, hic autem octo publicavit Annos: quaſi de clariſſimo Decennio feliciter implendo Pactum in Conditiones diſſimiles rotundum iniiſſent: PHOSPHORUS audentiore, SIRIUS ardentiore Conatu: PHOSPHORUS Noctem ordinariâ, SIRIUS & ordinariâ Noctem, & Diem extraordinariâ Luce colluſtrat. De cætero SIRIUS noſter quemadmodum Splendorem ſuum, quando cum PHOSPHORI noſtri Lumine contendi patitur, adeò non imminuit, ut potiùs vel adæquet, vel adaugeat: ſic, quod Radios ſuos nec altiùs emiſerit, nec latiùs diffuderit, id neque Facultati, neque Voluntati, ſed Neceſſitati, quæ Mortales alios citiùs, alios tardiùs manet, imputandum. Erat revera, quô Naturæ Curioſum Societas cenſeri cupit, NUNQUAM OTIOSUS: ideoque SIRIO ſemper moveri ſolito par, eôque non nunquam aliis, nunquam ſibi, nocente melior: quod, aliis ſerviendo, ſeipſum conſumeret. Quanquam verò ſemper, quod ageret, non quærebat, ſed accipiebat, operoſiſſimus: tamen, in plura diſtractus, quæ conceperat, ſe Judice, quin propemodùm Accuſatore (Vitam brevem Arti longæ non reſpondere conqueſtus) non tantùm præſtare poterat, quantum cupiebat. Sanè VOLGNADIUS, quod Arcanorum, in quibus occupabatur, conſcius Fide bonâ teſtor) eas, præſertim in Chimicis, Res moliebatur, quas ſi per catenatas Expeditiones alias, ipſamque tandem ſiniſtram Valetudinem, tam celeriter elaborare, quàm feliciter invenire potuiſſet, utique majora publicis Rebus Incrementa contuliſſet, conſpectioremq; Nomini ſuo Claritatem circumdediſſet.

Aliud,

Aliud, idque multò ſublimiùs Gloriæ Culmen attigit: vel ideò Viris maximis, non civili Temporum Senſu, ſed cœleſti Numinis Judiciô, cenſendis adſcribendus. Nam ita quidem eſt: Laudem ſuam meretur, & Ingenii ſubtiliſſimum Acumen, & Memoriæ promptiſſima Tenacitas, & Scientiæ copioſiſſima Supellex: quibus, per ſe ſpecioſis, evidentiùs accreſcit Pretium, ſi communis Utilitatis Succeſſus in Teſtimonium, & Famæ ſingularis Applauſus in Ornamentum accedat. Sed hæc, quanta quanta videantur eſſe, tamen, ſi deſtituantur uno, quod cæteris, cum adeſt, Gratiam ſummam confert; &, cum deeſt, ſummam Bonitatem adimit: hoc eſt, ſi Pietate careant: vel mediocria, vel parva, vel nulla ſunt. Nam qui ſupra Mundum attollit Mentis Oculos, ad Unum omnia referenda videt, à quo deſcendunt omnia. Quod cùm ſola Pietas, eaque ſolida, quæ Chriſtianos & decet, & beat, præſtet: abſit, ut citra Bonorum hanc Genitricem fœcundiſſimam, Nutricem benigniſſimam, quicquam in Mortalibus magnum judicemus. Quare nobis eſt, cur VOLGNADIUM, à teneris traditum Pietati, cui totam Vitam conſecravit, etiam iis anteponamus, quos Vulgus inter doctos, extra Pietatem, Vanitati ſtudentes, quanquam eminentes, tantùm non pro Miraculis habet. Hanc principem Virtutem, Ævi noſtri cum in Terris, tum etiam in Cœlis præcipuum Decus, quod à Brutis Homines, quod à paganis Chriſtianos maximè diſtinguit, quod in nobis optimum Divinitatis Simulacrum eſt, ita VOLGNADIUS convertebat in ſuum, ut ſimul in aliorum converteret Commodum. Nam, quod verè Sapientis eſt, à mutabilibus & perituris ad conſtantia perenniaque progredi ſolebat: ſæpiùsque curioſas Cogitationes, non intra creatarum Rerum delebilem Circulum hærere paſſus, iis involvebat, quorum tenuem Umbram in abjectioribus, in excelſioribus elegantem Imaginem nobis repræſentat univerſus Naturæ Complexus. Hinc non in aliô, quàm in

eô, qui Deſideriis humanis ſolus omnibus ſatisfacere poteſt, ſupra cæteras Bonorum Species defixus, ſemper firmâ tenebat Fiduciâ, quicquid ille Potentiâ firmiſſimâ tenet: adeoque Poſſeſſiones manſuras deſerendis præferens, omnia poſſidebat, quia poſſidebat omnia poſſidentem: quam integer Cultor publicè privatimq; ſibi reddebat proprium.

Per hunc Felicitatis omnis & Autorem & Conſervatorem, quanquam ter quaterque beatus, ſibi tamen Numeris omnibus felix non eſſe videbatur, niſi DEO ſervire conſuetus, iis etiam, quoad poſſet, ſerviret, quibus ſervientes ipſi DEO ſerviunt. Sic enim philoſophabatur: quemadmodum DEUS etiam ideò feliciſſimus eſt, quòd per eum ſint alii felices, quicunque felices ſunt: ita quemque tantò magis eſſe felicem, quantò magis per eum fiunt alii felices. Non igitur Facultates, etſi tales, unde ſibi plus Quietis & Commoditatis attrahere poſſet, obſtare patiebatur, quò minus expetenti cuique ſalutarem Scientiam ſuam impenderet. In eâ diverſiſſimis ægrotantium Generibus efficaciter applicandâ tam circumſpectus & ingenioſus erat, ut ſimul alienæ Valetudini, ſimul Conſcientiæ ſuæ conſuleret. Unam Circumſtantiam toti laborantis Statui novam excitare Formam, Experientiâ doctus Magiſtrâ, Vices omnes ſolicitô ſpeculabatur Studiô, mutatisque Conſilium accommodabat mutatum. Pertinacibus Morbis pertinaciores Curas opponere ſolitus, neceſſariam Medelæ Tarditatem optatiore compenſabat Effectu. Succurrentis neque Celeritas Periculis, nec Humanitas Doloribus, neque Facilitas Deſideriis (quorum Conditio vel Sublevamentum, vel Oblectamentum, non Detrimentum ſuggerebat) deerat. Ita ſæpiùs & Animorum & Corporum Medicus, omnes Meritorum Partes implebat, quæ poſſunt ab exercitatiſſimis providentiſſimisq; Sanitatis Autoribus exſpectari. Quô Nomine, cum amabilis, tum etiam venerabilis Civitati Provinciæq; potiſſimùm Vratislavienſi, ſupremis annumerabatur inter ſui Temporis Æſculapios.

Quic-

Quicquid Honorum & promeritus & conſecutus erat, non permittebat Indolem corrumpi modeſtiſſimam: quam omnibus Vitæ Gradibus ſic confirmaverat, ut ſibi nunquam non conſimilis, parem ubique monſtraret Amœnitatis Speciem, Humanitate conſpicuam. Accedebat huic Virtutum Purpuræ niveus Animi Candor, rariſſimus Sæculi noſtri Color, quod, dum ſincerum & juſtum videri, non eſſe, ſtudet, (quale per miras Simulationis & Diſſimulationis Artes publico delicatiorum Populorum Genio placet) omnes in Vanitatem argutam Nervos dirigit, talesque ſuorum Temporum Magiſtros, & inprimis veneratur, & certatim æmulatur, qui blandis & aſtutis, ſed inanibus noxiisque Modis, tantò feliciùs Ingenia circumveniunt, & in Verborum Rerumque Laqueos inexplicabiles adigunt, quantò peritius, ſeu Ludibria, ſeu Damna, ſpecioſis Bonorum Commodorumque Titulis obtegunt: quorum Frontes oſculantur, eorum Terga feriunt, nec ſe priùs Amicis Hoſtes, quàm Victores monſtrant. Ejusmodi cum Sodalium, tum Patronorum Scenicorum pertæſus, quorum ſe Converſationi ſubtrahere non poterat, Familiaritatem effugere didicerat: in quam & paucos & fidos recipiebat, pleroſq; pares: inter quos, ut major Fides, ſic plenior Libertas, tutiorq; Jucunditas.

In perpetuum Vitæ Solatium, An. CHRISTI M. DC. LXV, decimô tertiô Die Menſis Octobris, ad conjugalem Amicitiam ſibi copulaverat exoptabilem Virginem ROSINAM: ſpectatiſſimis Parentibus, quorum Familias potiſſimùm Vratislavia Niſſaque clariſſimis annumerat, *Jeremia Schæpſio, Roſinâq; Germersheimeria*, progenitam. Hanc magis ob Animæ Dotes, quàm ob Fortunæ Facultates, amabilem, non poterat non in Deliciis tantò firmiùs habere, quantò plus Pietatis, Caſtimoniæ, Manſuetudinis, Concordiæ, Prudentiæ, Charitatis alere, quotidianis è Documentis cognoſcebat. Illa proinde cum familiaris Rei Negotiis juſtum in Modum defungeretur: ipſe

Curas

Curas nobiliores partim ſecurior, partim expeditior ſuſtinebat: in Conſortium, ſed & in Auxilium, Conjuge potitus. Neq; carebat Effectu ſanctus inter ipſos Amor: quem, etiam inter Ærumnas, quibus Pii, ſeu frequentiùs, ſeu vehementiùs, exerceri ſolent, comitabatur perennis Felicitas, ſequebatur conſtans Fœcunditas. Hanc oſtenderunt quinque Filii, *Samuel*, *Philippus Jeremias*, *Henricus*, *Gothofredus*, *Philippus*: duæ Filiæ, *Suſanna* primùm, deinde *Catharina*. Sed, ut mœſta lætis crebrò miſcere Thalamus amat, Funeribus acerbis, iisque pluribus Fortitudinem ſuam impendere jubebatur. Nam Anno M. DC. LXXIII, *Suſannam* nondum quatuor: Anno M. DC. LXXVIII, *Philippum* nondum duobus Menſibus, ſuperſtites amiſit: & iisdem Diebus, quibus ſuſceperat, *Samuelem* An. M. DC. LXVII: *Philippum Jeremiam*, An. M. DC. LXVIII, decedere videbat: itaque cum ipſe caduca ſempiternis permutavit, è progenitis non niſi duos, *Henricum* & *Catharinam*, in Nominis Generisque ſui Stabilimentum Poſteris reliquit, Paternæ ſimul & Maternæ Virtutis Imagines futuras.

Nimirum, quanquam Mortis, quàm & in ſuis, & in aliis, ſæpiùs inſtantem depulerat, nunquam expulerat præſentem, continuâ Meditatione ſatis per ſe memor erat: tamen etiam domeſticis, hoc eſt, omnium efficaciſſimis Experimentis, (quorum Numerum, Anno M. DC. LXXIII, quinquagenaria Socrus: Anno M. DC. LXXVIII, ſeptuagenarius Socer adauxerunt) frequenter admonebatur, in Ætate nullâ, Conſiliis nullis, nullis Remediis exſtingui poſſe, quod ipſos etiam Medicos tandem opprimit, Fatum. Id adeò non exhorreſcebat, ut, quamvis nondum Senectutis Annos ingreſſus, nunquam deprecari ſuſtineret. Unde, cum ad extremum in Corpore, quod gracilius & debilius Natura compoſuerat, Cura ſiccius & tenuius reddiderat, magis magisque Valetudinem frangi ſentiret: ſibi, non vanus Augur, imminere Diem ſupremum prænunciabat: Res ſuas, pro Temporis Statu, benè diſponebat,

&in

& in æternæ Salutis Datorem totus ardentiſſimis Votis erectus, æquiſſimô placidiſſimôque Mentis Habitu, quicquid hactenus, tanquam ſummum Chriſtianæ Vitæ Scopum, & optaverat, & ſperaverat, aſſequi complectique gaudebat. Sicut autem non internum Animæ Robur à lentô Virium Exceſſu diſſolvi patiebatur: ita ne poterat quidem ultimus Ægrimoniæ Conatus Vigorem in Membris omnem proſternere, quô ductus, tribus Menſibus adhuc Pedes Officium ſuum agere lætabatur: exceptis duobus inter poſtremos Diebus: per quos, ſe Jacentibus adjuncturus, jacebat. Tum quoque prorſus integrô Senſuum Uſu, nec impeditâ vel Memoriæ, vel Linguæ Potentiâ, ſingulare Fortitudinis cœleſtis Exemplum, crebrô Pietatis Exercitiô defunctus, Conjugi, Liberis, Amicis Nomen, DEO Spiritum ſuum committebat, & obdormiſcebat, Annos XXXXVII, Menſes VII, Dies XXVI. natus.

Sic Anni Chriſtiani M. DC. LXXXII. tertius Januarii Dies VOLGNADIO noſtro, cùm eriperet mortalem, immortalem afferebat Vitam. Sic cum eô decedebat exquiſitiſſima Peritiæ literariæ Supellex, quam Ingenium penetrabile, Judicium acutum, Speculatio longa repererat & accumulaverat: etiam illa Secretorum Cognitio, quæ Scriptis duraturis tradi meruiſſet; & fuiſſet tradita, niſi multorum Medicorum Spem, plurimorumque Clinicorum Elevationem immaturus VOLGNADII Caſus intercepiſſet. Supereſt, ut, poſt CATHARINAM, duobus Menſibus ab optimi Patris Exceſſu Gaudiis ſupernis additam, ſolus è ſeptem Liberis ſuperſtes HENRICUS, Indole bonus, capax Ingeniô, Conatu ſtrenuus Adoleſcens, in quô prima Literarum Morumque Fundamenta feliciter poſita ſubinde conſpectiores Acceſſiones recipiunt, non tantùm Nominis, ſed etiam Eruditionis & Honoris Hæres, Genitorem ſuum Poſteritati reddat, Annis Meritisque, ſi non ſuperiorem, certè parem HENRICUM VOLGNADIUM.

Jam quis VOLGNADIUM noſtrum non beatiſſimis annumeret: quem Filius redivivum pollicetur: qui Teſtes Ævi benè transacti pulcherrimos, & intus, & foris, exhibet, Conſcientiam puram DEO, MUNDO Famam bonam? Numquid Mortalium non omne Punctum is tulit, cui Mortalitatem exuenti, cum ad Immortalitatem transfertur, accedit, ut DEO MUNDOque, dum hic doctos, ille pios æſtimabit, charus; inter utrosque vivat, quò magis clarus, eò magis felix? Nemo Chriſtianus, ſatis cordatus, quantumcunque Fulgorem ſuum, etſi vel SIRIO, vel etiam PHOSPHORO parem in Terra poſſideat, præferre poteſt Nitori, quem æternis Sæculorum Ætatibus SOLE majorem poſſidebunt repræſentaturi meliora SIDERA, ſplendidius COELUM.



OBITUM

OBITUM
VIRI
Nobiliſſimi, Ampliſſimi, & Excellentiſſimi
DN. HENRICI VOLGNADII,
Phil. & Med. D. & Practici Vratislavienſis,
SACRI ROMANI IMPERII
ACADEMIÆ NATURÆ-CURIOSORUM
ADJUNCTI
SIRII Cognomine
& *EPHEMERIDUM COLLECTIONE Celeberrimi*,
COLLEGÆ ſui Deſideratiſſimi
Ipſo exequiarum Ejus die,
8. Januar. 1682.
debitô honore proſequuntur
NATURÆ-CURIOSI VRATISLAVIENSES.

* * *

JAſonidæ Socii, quos Mens & cura virilis
Diffuſum Phyſeos navi ſulcare profundum
Juſſit, & arcanas ex imo promere merces,
Triſte Celeuſma ſonat, veſtrâque crepatur ab ARGO:
SIRIUS extinctus lethalibus abditur umbris,
Aſſidui ſcopulis proram defendite Nautæ!
Infelix obitus præclari Luminis, Aſtri,
Quô vix candidius fixarum ſplendet in Axe,
Quid, niſi nimborum denſos prænuntiat imbres,
Auſtrinosque dies, & caſſas lumine noctes,
Atque tenebrosâ ſqualens caligine Cœlum?
Jacturam penſate, VIRI, penſate receptam:
Bis modo quina redit revolutis bruma diebus,
Navigii quando Lux lugebatur ademta,
Lux radio illuſtri trepidis ſolamen in undis,
Ambiguumq; Pharos per iter, planctusq; citatos
Immani fremitu perculſum reddidit æquor:
PHOSPHORE, redde diem, quò Te modò, PHOSPHORE, condis?
SIRIUS Hunc ſequitur, conjuratisque coruſcum
Aufert Remigibus Caput atrô ſyrmate tectus.
Menſem, Jane, tuum nigrô carbone notemus,
Nec capiant memores poſthàc tua nomina Faſti,
Occaſu properô qui ſplendida ſidera merſas.
SIRIUS ereptus juſtiſſima cauſa doloris
Sidus erat fervens, nulli fervore moleſtum,
Non nocuiſſe ſtudens, multis prodeſſe paratum.
Ut primùm innatos emittere cœperat ignes,
Congenitumque pari niſu monſtrare vigorem,
Quò fulvi audiret ſoboles genuina Leonis,

Helluo

Helluo naturæ totam ſitiebat abyſſum;
Sic fontes, puteos, vada, flumina, ſtagna, paludes
Attentâ luſtrans acie, radioque ſagaci,
Sordibus omiſſis illimes imbibit amnes,
Hôc magis æthereo fervori pabula ſubdens,
Quò magis ardorem fluctu reſtinguere tentat.
Labitur annorum ſeries, accreſcit in æſtu
SIRIUS, atque ſibi non ignea ſigna Leonis
Ampliùs, aut proprium perpendens ſufficere Orbem;
Fontem, ſeu Pelagum propiùs petit Ille caloris,
Et Soli comes ire parat: Lux creſcit eundo,
Ac geminata vibrat radiantis ſpicula vultus;
Nec fluvios ſaltim, ſed nunc mare combibit ipſum,
Quaque patent terræ recluſa repagula Soli,
Oceani ſpectes ſeu fundum, ſive cavernas,
Unde petuntur opes, & magnis pharmaca morbis;
Huc penetrare ſimul ſtudet irrevocabilis ardor:
Altius evectus qui Solem vincere tentat,
Corporis humani, quò non pertingere Phœbi
Lux valet, interiora oculo ſcrutatus acuto.
SIRIUS hinc lætum mortalibus extitit Aſtrum,
Influxuque ſuô morbos diſcuſſit obortos,
In dubiiſque facem potuit ſuccendere rebus.
Accidit, ut tumidis concredita fluctibus ARGO
JASONIS auſpiciô BAUSCHI veheretur in altum.
Ubere Teutonicus quò fœnore Portus abundet;
Eminus egregium Sidus lætata ferire
LUCIFERO ſociatum oculos, & lumine blando
Auriferæ claſſi fauſtum promittere fatum,
Talia *Nauclerum* fecit profundere verba:
SIRIUS ut noſtram comitetur in æquore Puppim,
Optamus, *Socii*, nebulas diſpellere promtus,

Et tempeſtatis prænuntia Stella ſerenæ.
Annuit hûic voto radiis vibrantibus Aſtrum,
Adſtat & usque rati, motuq́ue movetur alacri,
Fervet opus cœptum, perflant apluſtria venti,
Otia cura fugit, nec tædia longa recuſat,
Et cumulata novis diteſcit mercibus ARGO,
Annalesq́; ſuos complet ſtudioſa quotannis,
Queîs donec pretium doctô ſtatuetur in Orbe,
SIRIUS & laudes, nomenq́; merebitur ingens.
Et meruit, dum Stella fuit, non fixa, ſed amplâ
Utilitate ferax, ad commoda publica natus,
Pro quibus haud piguit vigiles inſumere noctes.
Hic ubi *Cæſaream* rumor pervenit in *Aulam*,
Suſcepit niſus placido *Clementia* vultu,
SIRIUS ingenti cumulo mactatur honorum,
Totus & auratô perfuſus ab imbre niteſcit.
Aſt velut abſumptâ cerâ candela fatiſcit,
Expiransq́ue levis tacitô ſub ſchemate fumi
Ignis abit, lucisq́ue ſuæ vix ſigna relinquit;
Ac velut illunis per amica ſilentia noctis
Sidera ſtricturis emungi celſa videntur,
Interitusq́ue ſui veſtigia prodere clara:
Sic quoq; perpetuô motu, fervoreq́; tritus
Lentâ tabe perit famoſum, SIRIUS, Aſtrum,
Nec niſi Nomen inane, & pauca favilla ſuperſunt.
Nos, quos acceptæ ſurreptô ſidere cladi
Indoluiſſe decet, demtum lugemus AMICUM,
Et ſociæ quondam commercia ſuavia Vitæ,
Quam ſemper memores recolemus mente fideli,
Exuſto cineri, ceu fas, bona fata precantes!
Lux quondam veniet, veniet Lux illa ſuprema,
Quâ nec erit Cœlum, nec cœli, ſidera, gemmæ,

SIRIUS

SIRIUS at noſter renovati luminis hæres
Et Solem, & Lunam nitidô ſuperabit amictu.
At Vos, *Jaſonios Heroas* & *Aſtra* relicta,
Quos inopina ferit jactura, gravisque procella,
Servet inocciduâ virtute & luce coruſcos
Provida cœleſtis Clementia Numinis ævo,
Naufraga ne pereat decumanis fluctibus ARGO!

MEMO-

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY.


Natus 1648.
Denatus 1686.
IOH. FRIDERICUS ALLMACHER,
Meiſenheim: Acad. Nat. Cur. Adjunct9.
Quem Mors eripuit nobis hoc ære perennat,
Ipſe ſuâ vivens Virtute perennior ære.

MEMORIA ALLMACHE- RIANA.

ILLUSTRISSIMÆ NATURÆ CURIOSORUM ACADEMIÆ

Perennitatem vovet

MICH. BERNHARDUS VALENTINI!

DE VALERIO POBLICOLA referunt Hiſtorici, quòd ſingulari in defunctos pietate ductus Bruti Collegæ ſui corpus non ſolùm ſplendidè ornatum Populo in concionem vocato propoſuerit, ſed conſcensô inſimul ſuggeſtu in ejusdem laudes epicedia cecinerit, ut Dionyſius Halicarn. Plutarchus & alii conteſtantur. Utinam & ego ſim VALERIUS, *VIRI PER-ILLUSTRES*, utinam, inquam VALERIUS ſim! qui non Brutum quendam, ſed Trigam Amicorum conjunctiſſimorum infelici triennii curſu proh dolorem! perdidi. Recenti enim vulnere usque luget Academia SCHEFFERUM: Luget ALLMACHERUM: Luget Haſſia mea STRAUSSIUM, Anteceſſorem meum Deſideratiſſimum; quô triplici ſanè infortuniô ita ſauciatus ſum, ut parùm abſit, quin Beatorum Manibus heîc lugubria dicturus prorſus obmuteſcam. Sed obdurandus eſt animus ad infortunia, nec ingratô ſilentiô memoria illorum recondenda eſt. Adeò enim Virorum de Publicô benè meritorum fama tacenda non eſt, ut in cineribus excitandi ſint laudum igniculi, quò latiùs ſpargantur diſſeminenturque virtutum radii. Vivat poſt funera virtus, quò mortuorum ſervetur vita, hæcque viventibus in exemplum concedat. Jubet id antiqua XII. Tabularum lex, dum: *Honoratorum*, inquit, *Virorum laudes in concione memorantur, easq́ cantus ad tibicinem proſequuntur.* Jubet id natura omni-

bus inſita eique ſororians conſuetudo, quæ & in mediâ Barbariâ viventibus ad Amicorum exitum triſtem exprimit ululatum. Quicquid enim apud Nos demortuis honoris ac elogii parentationibus, campanis, cantibus perſolvitur, id omne Gentiles olim ritibus de roſtro dicendo ac præficarum fletibus urnas implendo peragebant. Adeò nempè grata fuit ab omni ævo demortuorum recordatio, cumprimis qui uſpiam in celebritate vixêre, ut non ad vitam & mores tantùm, ſed & naturam ipſam jus hoc accommodatum deprædicent. Unde non *CHRISTIANIS* uſitatum iſtum recordationis morem tantummodò præſcripſit Religionis Chriſtianæ amor, pietas in defunctos atque charitas, ſed à longis retro ſeculis id omninò obſervatum eſſe Antiquorum monumenta habent. *JUDÆIS* ſanè haud inſolens olim erat laudes ac præconia dicere Viris arte Marteque claris. Sic Abnero, Duce inter exercitus militares Saulis præſtrenuô, manu ſicariâ ac funeſtâ Joabi interemptô, quid Davidis luctus vehemens expreſſit? quàm laudes ſupremas egregio Duci ſuperaddidit, dum dixit: *Nequaquam ut mori ſolent ignavi mortuus eſt Abner; Manus Tuæ ligatæ non ſunt, & pedes Tui compedibus non aggravati &c. Num ignoratis, quòd hodiè Princeps & Maximus ceciderit in Iſraël?* Sic Jonathanem de turba Maccabæorum egregiè meritum non ſolùm univerſus planxit populus, laudes & facinora ejus decantando, ſed & frater Simon in cedrum immortalis laudis & perennantis gloriæ Mauſolæum ſplendidum erexerat, poſitis columnis magnis, armis ad illas in memoriam æviternam ſuſpenſis. Penes *ROMANOS* non minùs inoleverat conſuetudo funeralibus hujusmodi honorare defunctos, quod tamen maribus tantùm honoratioribus primùm competebat, utut paulò poſt ad fœminas ſimiliter cultiores honos ille devolutus ſit. Poſteaquam enim â Gallis Romani in anguſtias redacti, neſciebant pecuniæ ſubſidia colligere ad amovendas hoſtium fatigationes, Romanæ Matronæ

tronæ monilibus, clinodiis & quicquid ornamenti erat pretioſi ſpontè in Curiâ collectis juvabant Rempublicam preſſam, hinc & obtinuerunt, ut poſt fata Matronis Nobilioribus honos iſte conferretur. Sic Quintus Filius pietate erga Matrem Pompiliam ductus, hunc laudandi morem obſervavit. Memorabile quoque eſt exemplum, quô ipſum etiam Octavium Auguſtum duodecim annorum Puerum in laudandâ Juliâ Avia ſua ſecutum Suetonius autor eſt. Competebat autem ſupremum hoc officium iis, qui mortuum ſanguine proximè attingebant, teſte Polybio, unde non tantùm à filiis defuncti factitatum fuit, ſed & ab ipſis Parentibus, docente exemplô Fabii Maximi, qui ob amiſſum filium dolorem moderatiſſimè ferens Orationem funebrem ſtando recitavit in forô, quod eſt apud Plutarchum in Fabio. Poſtmodùm tamen & aliis extra conſanguinitatis vincula conſtitutis id conceſſum eſt, ſicut in plerisque Europæ Academiis id omninò moris eſt, ut in Collegarum defunctorum laudem & memoriam publicè cuidam verba facienda ſint, reliquis ſimul lugubri veſtitu comparentibus, ut in Noſtrâ Ludovicianâ hôc vertente annô obſervari ſolet. Quod pietatis genus ut omninò Chriſtianum eſt, ita Legibus æquè ac receptâ usque Obſervantiâ debebatur iis, qui de S. R. I. *Academiâ Naturæ Curioſorum* unquam benè meruerunt. Quos inter, cùm haud infimi quondam ordinis eſſet *Collega Beatiſſimus*,

DN. JOHANNES FRIDERICUS Allmacher/

Med. D. Diverſorum Imp. Statuum Archiater atq; S. R. I. Acad. Nat. Cur. Adjunctus Meritiſſimus; hinc & Ejus modò Manibus à Tenuitate mea juſta perſolvenda ſunt, eòq; magis, quòd & Venerabilis Noſtri Præſidis authoritas illud urgeat & devinctiſſima, quæ cum Amiciſſimo quondam Collega mihi interceſſit neceſſitudo ſpontè quaſi exigat; id quod in cauſa eſt,

ut quæ de Vita ejus atque indole relaturus ſum, eâ, quâ in medium adferuntur facilitate atque fide acceptanda eſſe confidam.

Dum verò ab ovô, quod dicitur, rem exordior, glorioſius eſſe duco, ſi ALLMACHERUM Noſtrum ſuis potiùs, quàm ex familiæ generisque picturis & inſignibus mutuatis coloribus depingam.

Nam genus & proavos & quæ non fecimus ipſi
Vix ea noſtra puto,

parumque in eô quidem ſitum dixero, quo quis ſanguine deſcenderit, cùm omnes (quæ ſumma eſt mortalium conditio) DEI quoddam genus ſimus, ut ex Arato Paulus habet. Nihilo tamen minùs & hîc ALLMACHERUS habet, de quô ipſi gratulemur, cùm ex honeſtiſſimâ familiâ ſuos natales duxerit. Patre enim uſus eſt Præclaro & in arte ſuâ verſatiſſimo DN. *Johanne Friderico Allmachero*, Chirurgo quondam feliciſſimo: Matre verò *Eliſabetha Catharina*, ex egregiô *Schauliorum* genere prognata. Quibus utrobique Parentibus *Meiſenhemii* (quod Palatinatûs inferioris Oppidum eſt) ex legitimô thorô in lucem edebatur *Anno 1648. die 5. Decembris*, ubi paulò poſt Sacro baptiſmatis fonte ablutus, eôdem, quô Parens gaudebat nomine, vitæ libro eſt inſcriptus. Verùm uti vegetabilium ſemina, niſi fertili terræ mandata, facilè à priſtina ſuâ naturâ degenerant, ita in naturâ ferè accidere ſolet humana, ut vel optimis quibusve geniti niſi maturè excolantur, à priſtinâ ſuâ origine deflectant. Quapropter Sapientiſſimus Parens iis eundem doctrinis, quibus puerilis ætas impertiri debet, in *Scholâ Triviali*, quæ *S. Goarii* eſt, erudiri curavit. Erat autem in Puerô præter docilitatem ingenii ſumma ſuavitas oris ac vocis, ut non ſolùm celeriter arriperet, quæ tradebantur, ſed etiam excellenter pronuntiaret. Quâ ex re in pueritiâ nobilis inter æquales ferebatur, clariusque exſplendeſcebat, quàm generoſi condiſcipuli, animô æquô ferre poſſent. Paulò poſt, cùm Parentes relictô primô domi-

domiciliô *Darmſtadium* concederent, *Gymnaſio* illius loci *Principali* eſt commiſſus, ubi prima in *Humanioribus*, ut vocant, literis fundamenta jecit haud pœnitenda. Interim ſublimius erat juvenis ingenium, quàm ut ſolis Scholarum ergaſtulis inhæreret. Quare ad altiora jam contendens innatâ quâdam animi propenſione Arti Medicæ ſe devovit, ad quam ſtimulum illi ſubjeciſſe poterat egregia, quâ Pater inclareſcebat dexteritas & in curando felicitas, quam vix ex ephebis excedens laudabili quodam fervore æmulabatur. Commodiſſimam hîc occaſionem ſuggerebat manuductio Beatiſſimi DN. D. TACKII, *Archiatri Haſſo-Darmſtatini & Prof. Gieſſenſis Primarii*, qui tunc in Aula Principali verſabatur, ipſique ad ſubmiſſam Parentum exorationem per integrum anni curſum ſelectiora *Phyſices* & *Artis Chymicæ* principia inſtillavit haud vulgaria, quibus & in Theoriâ & in Praxi Medica ſemper utebatur feliciſſimè. Jactis ita ſolidè fundamentis ad Academias properabat, ut cœpta jam ſtudia urgeret & ad maturitatem altius eveheret. Primò quidem nomen dedit Inclytæ Gieſſenæ, quam eam præ aliis ob cauſam eligebat, quòd in Veſtibulo Artis Medicæ locatus faciliorem heîc ad interiora aditum obſervârit, cùm in *Anatomicis*, *Botanicis & Inſtitutionibus* addiſcendis largam hîc occaſionem nactus eſſet. Eôdem enim tempore Lipſia Nobis concedebat MICH. HEILANDUM, Anatomicum Exercitatiſſimum, Ulma verò B. LAURENTIUM STRAUSSIUM, qui cum RöTELIO pariter Doctiſſimo prima eruditionis ſuæ ſpecimina in ALLMACHERO noſtro comprobârunt. Sub oculis adhuc verſari mihi videris, Pectus quondam dilectiſſimum! quum ne dies quidem abierit, quin Hortum Academiæ ſolertia tua fatigaveris! Tuô adhuc ſudore madent tot plantarum myriades, in quibus conquirendis olim eras totus! Tuô, inquam, ſudore madet Theatrum Anatomicum, in quo perpetim intima brutorum viſcera ſcrutabâre! Tuô & ſudore madent erudita Doctorum ſubſellia, quos ad publicas & privatas horas comitabaris

baris

baris indefeſsò. Cæterùm neque ſic anguſtum erat auguſtum ALLMACHERI Noſtri ingenium, ut ſoli Patriæ ſolo adhæreſceret; quin exactô ſeſquienniô in Illuſtri Ludoviciana, Celebres Saxoniæ Academias viſitabat, quas inter Jenam pro ulteriori ſtudiorum matre ſeligebat. Ad *Praxin* enim addiſcendam animus proclivis erat, cujus methodum haurire poterat à Feliciſſimo quondam & in Academiis non minùs, quàm Magnatum aulis Celeberrimô GUERNERO ROLFINCIO, quô Ductore *Generaliora Praxeos futura monita* adeò ſibi reddidit percognita, ut ad τὸ τεχνωθῆναι deventurus talem ſe gerere potuiſſet, qualem decet Medicum religione plenum. Aſt ne hoc quidem ſine præviâ manuductione tutò & impunè attentari poſſe ſibi perſuadebat, cùm occaſio præceps ſit & experientia fallax. Adeò quidem, ut

In Cathedrâ multos dicant curarier ægros
Ad lectum paucos convaluiſſe malo.

Ut ergò hâc quoque in parte ſibi conſuleret, allectus famâ & virtute Inclyti Medici, DN. FRANCISCI de le Bõe SYLVII Lugdunum in Bataviam contendit, quem cum ſpiſsâ Commilitonum catervâ ad populoſiſſimum, quod iſtic locorum eſt, noſocomium indies comitatus *Praxin Clinicam* ad ægri lectum obſervare, genuinas morborum cauſas indagare methodôque haud vulgari ſelectiſſima quævis pharmacorum genera adhibere non tam vidit, quàm perdidicit. Quæ quidem ſolertia ita feliciter illi ceſſit, ut habita XXI. Junii Anno 1672. publicè Diſputatione Graduali *de Morbis Caſtrenſibus* omnium & Procerum & Civium Academicorum applauſu ſummis in Arte Medica honoribus & Privilegiis donatus & in DOCTOREM Medicinæ more Majorum proclamatus, vitæ ſuæ Academicæ ultimum colophonem impoſuerit. Jam benevolo cujusvis judicio relinquo, utrum concinniori unquam methodo arduum Artis Noſtræ ſtadium pertranſiri poſſit, cujus admirandum in ALLMACHERO Noſtro videas compendium. Sicut enim ars longa, vita brevis, ita ſola metho-

methodus utrobiq; certum eſt remedium. Sola, inquam, methodus eſt, quâ per compendium ire & intricata Artis præcepta ſolidè diſcernere licet. Methodus eſt, quæ ſaluberrimum pharmacorum ſelectum inſtituere: Methodus eſt, quæ morbos incurabilibus adſcriptos citò, tutò & jucundè ſublevare docet. Huic ergô toto ſtudiorum curſu ſalutariter inhærens ALLMACHERUS Noſter, non potuit non Praxin ſibi feliciſſimam inde promiſiſſe, quam bonis quoque avibus *in Imperiali Francofurto* primùm auſpicatus eſt, quò Parentes Ejus dilectiſſimi paulò antè abierant. Ita enim in primô ſtatim Praxeos exortu ſeſe geſſit, ut ob Ejus in gerendis rebus agilitatem & medendo felicitatem Officium Medici Ordinarii, ſeu, ut loquuntur, *Phyſicatus Aſchaffenburgicus* illi ſpontè ſit delatus, quô integrô biennii tractu laudabiliter eſt defunctus. Cæterùm hoc adhuc in illô deſiderari videbatur, quòd conjugalis unionis vinculô ſolutus dulci Vitæ Medicæ adjutorio deſtitutus eſſet. Ut enim fert hominum verecundia, ſequior ferè ſexus, (qui Medicorum meſſis eſt) Practicis Junioribus, in cœlibatu viventibus ægrè ſæpè ſe concredere ſolet. Aſt huic pariter incommodo facilè obviam ibatur, dum in Patriam reverſus Anno 1675. die 29. Septembris Nobiliſſimam & omni Virtutum genere decoratiſſimam Virginem ANNAM ELISABETHAM ex honeſtâ PETTMANNIORUM familiâ oriundam legitimo ſibi matrimonio junxit, quacum XI. annorum ſpatio honorificè & ut Maritum Chriſtianum decet, pacificè agens VI. Liberorum Parens eſt redditus, trium Filiorum ſcilicet, totidemq́ue Filiarum, è quibus unicus usque Filiolus, binæq́ue Puellæ adhuc ſunt in vivis, reliquis DEO in primis ætatis incunabulis ſtatim redditis. Vix cœptô hôc conjugiô altera illi vocatiò obtingebat, quà in *Archiatrum Illuſtriſſimorum Comitum in Wertheim* hujusq́ue *Civitatis Phyſicum* Ordinarium adſciſcebatur. Quô quidem officiô per integrum decennium ita laudabiliter eſt defunctus, ut Magnatum gratiam, Civium admirationem omnium denique applauſum brevî ſit lucratus,

tus, quem fuſis etiam lachrymis ſatis comprobârunt, cùm trienniô jam elapsô Franconiâ excederet, & aliorum deſideriis Francofurtum revocatus Wertheimenſibus ſuis valediceret. Quum enim navali hinc itinere abiturus Mœnum conſcenderet, agmine factô cives concurrebant, gemitibus aëra, lachrymis navigia, votis verò inclytam Medici familiam adeò replebant, ut reciprocis utrobique ſuſpiriis ſummum exinde dolorem conteſtati ſint. Quamprimùm verò ad Francofurtenſes ſuos rediit, Praxi ſtatim diffuſiſſimâ & inſolitâ tantùm non obrutus, tantâ illic dexteritate uſus eſt, ut non Civium modò, ſed & diverſorum S. R. I. Principum, aliorumque Magnatum animos caperet, quorum lateribus indies affixus hæſit. Erat enim in illô pietas ſincera, candor infucatus, humanitas & comitas inconſueta, quâ non parùm modò amicitiam, ſed & Magnatum gratiam facilè merebatur. Recuperaverat ſic in ALLMACHERO Illuſtre Francofurtum, quod in Divini jam SCHEFFERI obitu perdiderat, cujus veſtigiis in Praxi æquè ac communi vitâ inſiſtebat ita, ut dubitaveris, uter alterutrum pietate & candore ſuperârit. Recuperaverat in eô S. R. I. Academia Naturæ Curioſorum (in cujus conſortium jam Anno 1679. receptus erat) quem in B. SCHEFFERI locum pro Adjunctô renuntiaret: Quô quidem officiô adeò nihil prius habuit, ut omnem ad ejusdem incrementa lapidem moveret. DEUS immortalis! quàm cordatus erat & quàm expeditus, cùm paulò ante obitum, Totius Academiæ Curioſæ nomine coram *Eminentiſſimo* atq; *Reverendiſſimo Principe Electore* DN. FRANCISCO ANSHELMO, *Archi-Epiſcopo & Electore Moguntino* &c. &c. compareret & ſubjectiſſimâ devotione Celſitudinem ejus & Clementiam in totius Collegii partes exoraret. Quod adeò feliciter illi ceſſit, ut non univerſa modò Academia, ſed & aliquot in ſpecie membra *Eminentiſſimi Protectoris noſtri* Gratiam reapſe ſunt experti, quam ſubjectiſſimâ modò gratitudine deveneror. Non dicam de aliis à Beatiſſimo Collega præ-

ſtitis

ſtitis officiis. Loquantur hîc *Obſervationes* ejus *in Miſcellaneis* conſpicuæ? Loquantur commercia literaria cum benè multis Academiæ membris inſtituta, è quibus filiali prorſus amore deperibat Præſidem Noſtrum Per-Illuſtrem DN. D. VOLCKAMERUM, cujus tantô flagrabat deſideriô, ut ejus videndi gratiâ peculiare iter Noribergam verſus meditatus fuerit, cùm votis ſecundis triſtem ſimul viduitatis ſolitudinem illic permutandi animus hæreret. Aſt ô ſpes hominum fragiles! ô fallacia conſilia! Hæc enim tunc maximè cogitantem morbus gravis & malignus occupavit & quidem eô ipsô, quô Conjugem ſuam ex ſimili affectu ſurreptam deplorabat annô. Quô autem ille animô morbum ſævientem, quô mortem certam jam & imminentem tulit! quot quantasque moribundus animi verè Chriſtiani ſignificationes dedit? Quâ ſubmiſſione animi peccata ſua confeſſus eorum ſibi veniam à DEO dari petiit? Quâ veneratione Sacroſanctam Euchariſtiam excepit! Quibus omnibus jam armatus & munitus, cùm totô morbi tempore mentis ſuæ compos fuerit, nihilq; aliud quàm Chriſtum, Chriſtum DEUM ſuum in ore perpetuò habuerit, ad eum quem ſperabat unum, cui fidebat uni, ut quidem ſperamus ac cupimus, in medio ætatis vigore, anno ſcil. XXXVIII. evolavit. Sed quid Academia Noſtra, cui Te tanquam maritus uxori deſponderas Anima Beatiſſima? Quid pupilli Parentibus orbati? Quid tot ægrorum myriades, qui Te tanquam Phœbum tutelarem venerabantur? Quid amici quos mœſtos reliquiſti atque triſtabundos? O deſideratiſſimum omnium bonorum pectus ad Nos redi, ſi fieri poteſt, redi.

Aſt quid ego hæc votis plusquam puerilibus opto
Quæ nullus nobis fertq; feretq; dies.

Scilicet illuc abiit, unde negant redire quemquam. Ferenda igitur ſunt animô pacatô, quæ mutari nequeunt. Hoc unum adhuc ſupereſt, ut TE, Virorum decus lugeamus, non quòd malè Tibi evenerit, cùm abiiſti: Beati enim, qui in Dominô

moriuntur, requieſcunt namque à laboribus ſuis & opera eorum inſequuntur Eos; ſed quod nos tam anxiè excruciat & quidem meritò, quòd Tua in morte tantum amicitiæ naufragium patiamur, quam gratâ tamen memoriâ recolemus

— — *dum ſpiritus hos reget artus!*

Vale, Collega Conjunctiſſime, Medicorum Coriphæe! Vale decus Academiæ, Civium deſiderium, Collegarum deliciæ, ægrorum ſolamen, humanitatis exemplum! Vale & in Domino requieſce! Vos autem, *PROCERES ACADEMIÆ*, in medium conſulite, quò tanti Viri jactura tempeſtivè reſarciri, ſartaque conſervari poſſit Societas DEO Proximoque Sacra, cui proſperos rerum ſucceſſus, incrementum atque perennitatem voveo ſempiternam! D. *Giſſæ-Haſſorum Calendis Septembris Anno 1688.*

EPICEDIA.

I.

NOn omnis morior, cum Chriſto qvippe reſurgo,
 In cœlum comite hoc me præeunte feror.
Nil Libitina valet, pars corporis optima cœlum
 Occupat æternâ qvâ fruitur, reqvie.

Sic

ALLMACHERUS ex tumulo,

In cujus memoriam hæc ſcripſit

JOH. GEORG. VOLCKAMER M.D.
Archiater Cæſareus, Comes Palatinus, S.R.I. Nobilis, Acad. Leop. Imperialis Præſes, Coll. Med. Norib. Senior perpetuus.

II. *Omnes*

II.

OMnes Naturæ Myſtæ tua funera ZETHES,
Plangunt ô! noſtri ſtella coruſca Chori.
Exactè poteras Naturæ pandere vires,
Præbens artifici pharmaca ſcita manu.
Hinc TE urbis proceres, cives, plebs omnis amabat,
Hoc quoq; Principibus nomine charus eras.
Occidis Ipſe quidem aſt famâ ſuper æthera notâ,
Æternùm vivis, lætus in arce Poli.

D. JOH. MICH. FEHR. S.R.I. Acad. Nat.
Cur. Ex-Præſes d. Argonauta, Med. Cæſ.

III.

SCHEFFERUS* periit (vah nomen amabile quondam!)
SCHEFFERUS Phœbi Gloria ſumma mei;
Quò non candidior, quò nemo fidelior unquam,
Doctrinæ Medicæ Lux, & in Arte potens;
Dimidium cordis, mea conſolatio ſola
Occidit! Heu paucis: Summus Amicus erat!
Hujus jacturam mihi compenſare volebant,
Atque ALLMACHERUM ſubſtituêre Dii.
Quàm brevis hæc fuerit, Dii teſtes eſte, voluptas,
Vix annus periit, tunc mihi & Ipſe peris,

ALLMACHERE, mei gratiſſima portio cordis,
Cui dederatq́; ſuos Ipſus APOLLO vices!
Vah non una olim TE manſit ovatio, quando
TU de morte ſatis multa tropæa dabas.
Nunc TIBI non proſunt, quæ quondam pluribus, artes,
Dum TE dira febris corripit, atque necat.
Vah quoties medicabaris præſentibus herbis,
Atque ægris præſens TU Deus Ipſus eras.
Nunc Ars muta jacet, nunc alma ſcientia ceſſat,
Artificisq́ue manum mors inopina ligat:
Parte tamen meliore Tui ſuper alta perennis
Aſtra volas, venies in gremiumq́; DEI;
Clio laude Virum dignum vetat eſſe ſepultum,
Quin vocat è tumbis, & ſuper aſtra locat.
TUq́; VALENTINI præluſtris adorea Phœbi
Non omnem pateris dexteritate mori.
SCHEFFERI manes ornâſti, nunc quoq; ſummum
ALLMACHERO offers officium atq; fidem:
Per TE cùm vivi vivant & mortui Amici,
Æternum Titan vivere TE faciet!

m. f.

GEORGIUS FRANCUS, D. P. Prim. & Univerſit. Heidelberg. ProCancellar. Aliquot S. R. I. Elect. & Princip. Conſil. & Archiater.

IV. Dum

IV.

DUm parat ad vota ALLMACHER tranſire ſecunda,
Et matrem ſoboli quærit ubiq; bonam:
Huc ades! huc! Salvator ait; Tibi Sponſus ero ipſe,
Quid Tibi cum Sponſa? Sponſus ego ipſe Tuus.
Dixit, & in cœlos Medicum perduxit ovantem,
Mixtus ubi Superis gaudia mille capit:
Gaudia mille capit, nec morbum ſentit atrocem,
Nec premit aut luctus, vel dolor ullus eum:
Perpes ubi requies illi, atque æterna voluptas,
Perpetuus ſplendor, gloria, riſus, amor.

Nobiliſſimo D. D. ALLMACHERO, Medico, dum viveret, feliciſſimo καὶ χαριεστάτῳ, Prædeceſſori, Collegæ, Amico deſideratiſſimo ultimi honoris monumentum paucis hisce lmq; ponere voluit, debuit

τ' ἀνώτερα καλλίω

JUSTUS FRIDERICUS DILLENIUS,
Med. Lic. Ejusdemq; in Illuſtri Ludoviciana
Profeſs. Publ. Ord. & Academicus
Naturæ-Curioſus.

V.

HEu mihi quæ refero! quàm triſte Academia fatum
Luget & egregias naufraga perdit opes!
Vix dum bis ſteterat glaciatus frigore Mœnus
Quod Tua SCHEFFERI gloria funus erat.
Mox ſtruit inſidias vitæ exitioſa malignas
ALLMACHERE Tuæ dira calore febris.

Vah

Vah quàm vera nimis ſimul ac fera dicta Poëtæ
  Quisquis & ille fuit: Vis ſine febre mori.
Vis ſine febre mori quondam Celeberrime PERSEU
  Fulgida Teutonici Stella beata Chori?
Vis ſine febre mori cunctis dulciſſime ZETHES,
  Cui prior emeritum ceſſerat ante locum?
Scilicet aſtutâ caditis febre ambo malignâ
  Quæ quondam Veſtrâ ſæpè fugata manu.
Non juvat hîc venas vivô ſpoliâſſe cruore,
  Non valet alkermes nec panacea juvat.
O curas hominum! quantum eſt in rebus inane,
  Ipſe perit Medicus dum famulando juvat.
Aſt quid iniqua cano? quâ dicam fronte perire
  Quem vitæ requies, quem DEUS ipſe manet?
Non perit in Chriſto quisquis valedixerit Orbi,
  Hoc ſine diſcedens qui perit, ille perit.
Tu Chriſti vitam, Chriſti Tu caſtra ſecutus
  ALLMACHERE Dei vivis in arce poli.
Vivis in arce poli, quò nulla moleſtia mundi
  Pervolat: Hâc felix terque quaterque vale!

l.mq;

MICHAEL BERNHARDUS VALENTINI,
Med. D. S.R.I. Acad. Nat. Cur. Collega
& in Illuſtri Giſſena Profeſs. Phy-
ſices Ordin.

INDEX
Ephemeridum Imperialis Academiæ LEOPOLDINÆ Naturæ Curioſorum
Decur. II. Anni VII.

A.

Abdominis ſonitus Viperæ inſtar clamoſus. 23
Abietum & pinorum florentium crocus pluviarum ſulphurearum cauſa. 369
Abortus certô tempore & ſeptimanâ ſæpè accidens. 348
præcautio. 171
Abſorbentia alvum quandoq; laxant. 242
Abuſus Aquæ Reginæ Ungariæ. 296
Acicula ab anſere & anate deglutita in ventriculo reperta. 64
à puella deglutita & per alvum rejecta. 169
ventriculum perforans. 143
Aër in eo animalia & vegetabilia generari negatur. 32. App.
paluſtris febris intermittentis cauſa. 414
ratio. 415. ſeqq.
Æris vulgaris & fulminei differentia. 8
Ætitarum ſpecies rariores. 3
Alimenti nativi inopia famem excitat. 39
Aluminis uſus adverſus lumbricos. 358
Alvi excrementa & cum illis materia tophacea rejecta. 349
per vulvam rejecta. 135. App.
fluxus triplex differentia. 180
obſtructio ab inteſtini recti coalitu. 266
decocto cæparum ſoluta. 96
cum colica, ſacculo, ſuillo ſtercore repleto & in aqua cocto, curata. 97
ſmegmate aqua calida ſoluto, reſerata. 97
Alvum laxant quandoque abſorbentia. 242
ſolicitantia remedia varia. 96
Alvus & per eum Calculi rejecti. 262. 379. 460

Ammonis Cornu ex agro Brunshuſano & Gandersheimenſi deſcriptum. 163. App
Amuleta quomodo operationes ſuas perficiant. 86
Amuletum contra veneficia. 85
Anaſarca decocto radicum Vincetoxici curata. 105
Anatome Aſthmatici. 22
calculi veſicæ ſignis, ſine tamen calculo defuncti. 284
canis verminoſo ventriculi tumore laborantis. 261
caponis inedia enecti. 36
capreæ, quæ ex hauſtu lixivii diarrhœa occubuit. 47
Carduelis fame peremtæ. 39
Cardialgia periodica vernali extinctæ fœminæ. 12
Diarrhœâ afflictæ canis. 40
Empyemate defuncti canis. 232. 233
Epilepticæ fringillæ. 78
feces per umbilicum excernentis puellæ. 25
Gallinæ Iliacæ. 64
Glandiorum. 58
Gravidæ mulieris. 381
Gruis pinguedine ſuffocatæ. 71
Hermaphroditæ creditæ porcellæ. 61
vitulæ. 62
Hernioſæ gallinæ. 79
Anatome Hydropicæ poſt paracentheſin. 353. 356
Hydropicorum. 146. 265. 275
Lienum. 60
Mollitie & dislocatione oſſium laborantis fœminæ. 449
morbidi canis. 74
morboſorum non omni caret uſu. 36
Ovillorum uterorum, embryis intus ſceletis. 42
pancreate ſpoliati canis. 246
partu difficili mortuæ canis. 76
picis glandariæ epilepſia enectæ. 77
renum & partium adjacentium non rectè ſe habentium. 48
ſcirrhorum. 67
ſonitum in abdomine viperæ inſtar clamoſum ſentientis Vinitoris. 23
ſuppreſſione menſium laborantis hydropicæ. 265
tumorem ſupra pubem durum & dolentem cum ſuppreſſione menſium ſentientis mulieris. 15
turturis pinguedine ſuffocatæ. 69
ventriculi Siluri piſcis. 80
ventriculorum intus latitantibus aciculis. 63
tophis intus concretis. 47

Ana-

Anatome veſicæ monſtroſæ. 79
veſicularum fellis & partium adjacentium non rectè ſe habentium. 54
urinæ ſuppreſſione extinctæ. 12. 150
uteri ſuilli fœtibus diſparis magnitudinis. 68
Anethum evporiſton antivenereum. 288
Anevriſma curatum. 390
magnum, nullis remediis cedens, ſponte tamen evaneſcens. 385
Animalia in aëre generari negatur. 32. App.
Animata Noſologiæ venuſta Synopſis. 111. App.
Animi deliquii causâ unguentum ranunculare. 157
Annona pluvia in Curonia. 19. ſeqq. App.
Anomala febris. 411. ſeqq.
Antimonii ſulphur quomodo ex eo parari poſſit Lap. Bezoar mineralis. 426
Antinephriticus Jaſpis, ejusque effectus probatus. 4
Antipathia fabuloſa inter vitem & braſſicam.
virginis cum baccis cynosbati rariſſima. 292
Anus hirciſſans. 452
occluſus. 13. & 111
Aphonia totalis ſemeſtris in Aſthmatico-ſcorbutico-hyſterica. 251
ratio. 256
Apoplexiæ imminentis remora, verbera. 128. App.
Apri cerebrum antipodagricum. 151
Aqua frigidâ febris ardens feliciter curata. 130
Aqua fortis uſus externus in Cephalalgia ſalutaris & noxius. 406
Reginæ Hungariæ abuſus. 296
Aquoſus uteri fluxus, cum quadam hydropis ſpecie. 187
Aranea inq; illis curioſa quædam obſervata. 112
exuvias ſerpentum inſtar deponunt, & à narcotico opii fœtore exanimatæ concidunt. 112
Ardor urinæ immenſus & diuturnus. 93
Arenulæ per alvum excretæ. 379
Armoniacus ſpiritus ad ℈iiij. pro una doſi ſalutariter aſſumtus. 405
Armorum impenetrabilitatis veritas & vanitas. 307
Arteriæ emulgentes geminæ in unico rene. 50
Arterioſo ſanguini occultum ineſt acidum. 100. ſeqq. App.
Arthritis à vacca collecta. 363
Aſcites in muliere ſeptuagenaria curatus. 105
Aſthma capite & pectore terram verſus inclinato, mitigatum. 23
convulſivum & flatulentum. 199. 202. ſeqq.
ejus cauſæ. 223. 224
hæreditarium toti familiæ. 252

Aſthma periodicum optimo ſucceſſu curatum. 238
ſcorbutico-hyſtericum. 249
ejus cauſa. 249. 252. 256. ſeqq.
curatio. 257
ſuffocativum mirandum. 153
Auri oleum in febb. petechialibus & putridis admirandi effectus. 85
Aurium menſtruus fœtor. 157. App.
tinnitus & ſurditatis curatio. 163
Aurum ſolvens ſpiritus ex ſale fixo lapidis hæmatitidis. 424
ſpiritus ſalis marini volatilis. 168

B.

Balienſium Inſularum rota de curru quod ajunt, Lunæ magna tempeſtate de cœlo lapſa. 6
Balſami de Tolu præſtantia. 455
Bezoar mineralis ex ſulphure antimonii. 426
Bezoardica Theriaca deſcripta. 270
Biliarium ductum in bobus & ovibus ſæpè replent vermes. 31
Biliarius calculus argillæ mollitie in vacca Epileptica. 55
ductus cruſta tartarea in vacca Epileptica obductus. 55
Bilioſi calculi per alvum rejecti. 460
Bilis in quavis corporis parte ex cruditate generatur. 41
tartarea quomodo Epilepſiæ poſſit eſſe cauſa. 56
Biſtorta radicis virtus antifebrilis. 366
Bombardarum prohibitio & vera & vana. 310
Braſſicam inter & vitem antipathia fabuloſa. 113
Brutorum contagioſi morbi invadunt etiam homines & contra. 364
Bubonocela etiam ſexus ſequior eſt obnoxius. 61
Bubonum fiſtula. 25
Bufones toxici ſui vim ad oculos anterioreſque capitis partes convocare poſſunt. 323

C.

Cachexia cum pleuritide ſæpiùs recurrente. 417
rationes & cauſæ. 418. ſeqq.
Cadaver vivum. 265
Caducus dyſenteriæ averruncus. 135. App.
Calculi per alvum excreti. 262. 349. 379. 460
bilioſi per alvum excreti. 460
catulos parvos referentes in liene vetulæ reperti. 263
colicæ cauſa. 350
cum menſibus per umbilicum exeuntes. 431
in pene ſubſiſtentis, felix per ſuctionem extractio. 127
per tuſſim & vomitum redditi. 262
veſicæ ſigna ſine calculo. 282
Calculo afflictus puerulus quadriennis. 241
Calculorum generatio unde & quomodo fiat? 95

Calculos ſolvens remedium. 263
Calculus biliarius argillæ mollitie in vacca epileptica. 55
casei figura. 263
clavatus. 150
veſicæ lethalis. 94
ſine Lithotomo prodiens. 108
Canis arterias emulgentes geminas in uno rene habens. 50
diarrhœa afflicti anatome. 40
morbidi anatome. 74
in partu mortuæ anatome. 74
pancreate ſpoliati anatome. 246
rabidi morſus. 113
morſu inductum venenum poſt octo annos excitatum. 380
verminoſo ventriculi tumore laborantis anatome. 26
Cantharides Diabetis lethalis cauſa. 149
etiam externè ſi applicantur, mictum cruentum & ſtranguriam excitant. 264
Cantharidum ſumtarum noxa. 450
Capillitium viride. 298
Capillorum luſus varius. 299
Caponis inedia enecti anatome. 36
Capra pariens fœtum humano analogum mortuum & ſimul caprum. 328
Cardialgia periodica vernalis. 12
ejus cauſa rarior. 13
Carduelis fame peremtæ anatome. 39
Carnis nauſea ob disciſſum gallum oviparum. 88
Carnis ſtructuram an veteres ritè cognoverint. 38
Carnoſa excreſcentia ſupra carneam oculi tunicam. 385
Caſei figuram referens calculus. 263
Caſtratus Cervus. 323
Cataracta depoſitio in utroque oculo feliciter celebrata. 433
Catechu ſeu terræ Japonicæ tinctura in gelatinam ſponte contracta. 377
Catulos parvos referentes calculi. 263
Caudatus puer. 230
Cautela in veſicatoriis adhibenda. 264
Cauterium actuale mortem inducens. 91
Ceparum decoctum in obſtructione alvi ſalutariter adhibitum. 94
Cephalalgia bimeſtris accedente auris dolore intolerabili poſt ruptum abſceſſum evaneſcens. 235
corroſivo formicarum liquore curata. 144
per tonſuram curata. 294
Ceræ uſus internus cum malo cydonio in dyſenteria. 183
Ceraunia metallica. 5
Ceraunei lapides eorumq; figurarum varietas unde? 6
generantur in nubibus. 7
glandibus plumbeis admixti omnia perforare creduntur arma. 8
Cerebrum apri antipodagricum. 151

Cervinis pedibus præditus vitulus hermaphroditus. 395
Cervus caſtratus in venatione lethaliter globulo transfoſſus. 323
venatorem modo ſubitaneo & raro occidens. 345
Chalazæ alterius in ovo figura ſingulari. 460
China Chinæ alia ſubſtitui poſſe putatur. 361
Chronicos morbos radicitùs tollens Panacæa ſub forma pilulari. 84
Chyloſus & albus ferè ſanguis ſine ſanitatis damno aliquot annis durans. 326
Chymica experimenta. 424
remedia non omnibus promiſcuè ſunt utilia. 97
Cinnabaris nativæ & antimonialis vis dejectoria. 306
Coccos nucis germinatio. 467
Cochleæ hæmodias cauſa. 141. App.
Cæcitas aliqualis ex barbæ & pilorum tonſura. 294. 295
ſubitanea Epilepſiæ prodromus. 311
Coitus, & poſt eum Vomitus cum dyſuria ordinarius. 157. App.
Colica cum alvi obſtructione, ſtercore ſuillo exteriùs applicato, curatur. 97
ex calculis. 350
Colorum immutationem concernentia experimenta varia. 105. App.
Colubros cum excrementis emittens animal. 113. App.
Concionator & Cantor epilepticus. 285
Conſervæ ſpagyricæ virtus in Tympanite. 102
Contagium brutorum tranſit etiam in homines & vice verſa. 364
Convulſiones epilepticæ mirabiles. 260
puerperio ſolutæ. 176
ratio. 177. ſeqq.
à purgante reſinoſo excitatæ. 313
Cor ſuillum ultra viginti glandiis obſitum. 58
Cordis pinguedo per totum ejus parenchyma granulatim in aſthmatico diſperſa. 22
Cornu Ammonis Gandersheimenſe & Brunshuſanum deſcriptum. 163. App.
Corona ſerpentum. 129
Corroſivo formicarum liquore curata Cephalalgia. 144
Cortici Chinæ Chinæ alia ſubſtitui poſſe putantur. 361
Crapula & vomitus non niſi eadem numero horâ deſinens, quâ crapula cœperat. 396
Crocus Martis per præcipitationem paratus. 424
Cryſtalli Nitri. 316
Cryſtallinus humor in oculo canis venatici à ſede ſua pulſus & uveæ accretus. 29
Cuculi pullorum excluſio vera. 330

Cumi Gummi planta Japanenſium. 133
Curioſa verè Curioſa. 84
Cutis verſicolor & exulcerata, à menſibus retentis. 145
Cydonii mali cerâ adimpleti uſus in dyſenteria. 183
Cynosbati baccæ & cum illis antipathia Virginis rariſſima. 292

D.

DÆmoniaci quomodo ab Epilepticis aliisq; naturaliter ægrotantibus dignoſcendi. 165
Dæmoniacos in Evangeliis, multi credunt Epilepticos. 165
Decocto Radicum Vincetoxici Anaſarca curata. 105
Dejectoria abſorbentium virtus. 242
Cinnabaris nativæ & antimonialis vis. 306
Deliquium animi ab unguento ranunculari. 157
Dentes maxillares à nimio ſtridore in Epileptica contracti. 176
Dentium ſtupor à cochleis. 142. App.
Diabetes lethalis ab uſu cantharidum externo. 149
Diæta brevioris frugaliorisque noxæ. 145. ſeqq. App.
Diarrhœâ afflictæ canis anatome. 40
Difficilis partus medicamentis feliciter facilitatus. 154
Dulcia ſingularem viperæ inſtar ſonitum clamoſum & motum in Vinitore cauſantes. 23
Dyſenteria animata cum vertigine nocturna. 158. App.
biennis epidemica. 178
ejus cauſa & curandi methodus. 181. ſeqq.
Epilepſia curata. 133. App.
Dyſenteriæ cura. 137. 297
deſperatæ cura. 149
Dyſtocia à pomis. 132. App.
Dyſuria cum vomitu poſt coitum ordinaria. 154. App.

E.

Effigies ſudans. 331
Elementorum artificioſa præparatio. 439
Elephantum oſſa ſubterranea. 446
Embryonum ſceleta in utero ovillo reperta. 42
Empyema ex intermiſſa paracentheſi lethale. 232
Emulgentes arteriæ geminæ in cane. 50
Ephemeridum lectionis utilitas. 482
Epidemicorum morborum procreatio. 178. 193
Epilepſia cum dentium fractura ob nimium ſtridorem. 176
curat dyſenteriam. 133. App.
enectæ fringillæ anatome. 78
picis glandariæ anatome. 77
à plumis paſſerum. 133. App.
pulvere Rad. Valerianæ curata. 142
quomodo à tartarea oriatur bile. 56

Epilepſiæ prodromus cœcitas ſubitanea. 311
ſpecies rarior. 374
Epilepſiam excitantes lumbrici. 357
à tabaci fumo foveri exemplum notabile. 373
ratio. 374
Epilepticæ convulſiones à purgante reſinoſo excitatæ. 313
Epilepticæ vaccæ pori biliarii cruſtâ tartareâ obducti. 55
Epilepticus Concionator & Cantor. 288
Errores in Medicina quandoq; ſingulares. 404
Exanthematibus præſentibus in febb. epidemicis, an venæ ſectio adminiſtranda. 198
Excreſcentia carnoſa ſuper corneam oculi tunicam. 335
Exotica præſidia domeſticis non ſunt præferenda. 150 App.
Experimenta circa pancreas nova confirmata. 243
vulgi non ſemper ſunt deliramenta. 136. App.
Exſangue corpus. 24
Exſangues in Vinitore venæ. 24

F.

F*Æces* per umbilicum lethaliter prodeuntes. 24
Fagus & in eo fur è patibulo pendulus naturæ penicillo depictus. 453
Fame enecti caponis anatome. 36
carduelis anatome. 39
Famem inopia alimenti nativi cauſat. 39
Febre epidemicâ laborans malè tractata in phthiſin prolapſa. 191
Febres ardentes, in iis potum negare idem eſt ac occidere. 101. App.
intermittentes à vermibus. 216. App.
Febricitantium ſanguis verminoſus. 32
Febrifuga radicum biſtortæ & tormentillæ virtus. 362
Febrifugi Limacum lapilli. 465. ſeqq.
Febris anomala. 411. ſeqq.
ardens ejusq; mira per frigidam cura. 130
in eo venæ ſectio ſalutaris & noxia. 197
Hungarica Phantaſiæ corruptæ cauſa. 162
intermittens ab aëre paluſtri inducta. 414
cum convulſionibus mirandis. 176
ratio & cauſæ. 177
lactea. 161
tertiana duplex. 407
immodico menſium fluxu curata. 399
Feggo Planta Japanenſium. 135
Fermentationis requiſita. 103. ſeqq.
Fermentum urinæ ſymbolicum quale. 102. ſeqq.
Ferrea Nux juglans. 1
formationis ejus probabilis ratio. 2
Oſtrea. 1

Ferreæ duritiei lignum. 132
Feſt machen iſt wahr und falſch. 307. 310
Ficoſax Planta Japonica. 134
Fiſtula circa bubones. 23
Flexibilitas & mollities oſſium. 397
Flores nitri. 306
Fluoris albi regurgitatio. 170
Fœcunditatis menſtruum vegetabile nix. 132
Fœniculi aquatici uſus ſalutaris in hydrope. 147
Fœtum humano analogum pariens capra. 328
etiam nutritii ſucci copia obruit. 172
per os nutriri in utero, exemplum ſingulare. 394
Fœtus intra abdomen rupto utero excluſus. 16. 17. 450
absque funiculo umbilicali natus. 392
leporini extra uterum reperti. 45
monſtroſus. 237. 429
quaſi mortui per ſuctionem in vita reſtitutio. 125
vitulinus per os & vulvam fruſtillatim excluſus. 155. App.
in utero mortuus vi quaſi expulſus. 320
Fons Polzinenſis miraculoſus. 138. & 483
Formicarum corroſivo liquore curata Cephalalgia. 144
Fringillæ Epilepticæ anatome. 78
Fumi tabacini noxa. 373
utilitas. 92
Fungi calyciformes ſeminiferi. 303
querni ſingulares. 100
Fur è patibulo pendulus in fago naturæ penicillo depictus. 453
Furioſus tabaci fumo curatus. 92

G.

Gallinæ hernioſæ anatome. 79
Iliacæ anatome. 64
Gallus oviparus nauſeæ carnis cauſa. 88
Gangræna à piſo. 134
Gelatina Sabinæ ejusq; uſus. 146
Gemini eorumq; rara animi & corporum ſimilitudo. 334
Generatio animalium mineralium & vegetabilium in aëre. 1. App.
qualis ex ejus conſideratione ſperandus uſus. 50. App.
Geodis ſpecies rarior. 3
Germinatio Nucis coccos. 467
Piſtaciæ. 371
Gewehr verſagend zu machen/ iſt wahr und falſch. 310
Glandia in Lepore reperta. 58
piſcibus reperta. 58
quid? 59
Glandiorum anatome. 58
Glanduloſus ab omento dependens tumor herniam vel bubonem mentiens. 21. 23
uteri tumor adnatus externus. 15
Glans imperforata. 13. 14
Glaucoma apparenter tale in cane venatico. 29. 35

Glaucoma apparet nonnunquam in optimè videntibus. 35
Globus lapideus materiâ pingui repletus in ſepulchro repertus. 473
vitulinus. 47
ejus generationis ratio. 48
Grana tilli numero centum in uno die adoleſcenti propinata. 426
Gravidæ mulieris anatome. 381
Gruis pinguedine ſuffocatæ anatome. 71
Grylli tympanorum tubarumq; ſonitu enecati. 90
Guttæ ſerenæ primordia ex varioliſ. 161

H.

HÆmatitidis ſal fixum ejusq; ſpiritus ſolvunt aurum. 424
Hæmodia à cochleis. 141. App.
Hæmorrhagia narium vapore ſtyptico Aëtii curata. 145
umbilicalium vaſorum in recens natis lethalis. 365
Hæmorrhagiæ in fœmina frequentes, poſt menſium ſuppreſſionem rariores. 199
ratio & cauſa. 201. 202. ſeqq.
ſpontaneæ internæ & externæ notabile exemplum. 376
Hæreditaria phthiſeos curatio. 430
Hectica cum Hemicrania curata. 158
Hecticæ ſpecies. 216
ejus cura. 217
Hemicrania cum hectica curata. 168
Hepatis boum, ovium & murium, in convexo ſæpè reperti tumores lumbricis gravidi. 31
Muſtelæ uſus in ſuffuſione. 335
Hepatocele. 11
Hermaphroditæ creditæ porcellæ anatome. 61
vitulæ anatome. 62
Hermaphroditi perfecti non reperiuntur. 62
Hermaphroditus vitulus pedibus cervinis. 395
Herniæ & variæ circa eas conjectura & notamina. 18
quomodo faciliùs reponendæ. 19
Hernioſæ gallinæ anatome. 79
porcellæ anatome. 61
Hirciſſans anus. 452
Homines caudati. 230. 231
Humidi nativi inopia ſitis cauſa. 39
Hungariæ Reginæ aquæ abuſus. 296
Hydatides venarum. 385
Hydropicæ magnam corporis molem præ ſe ferentis anatome. 146
poſt paracenteſin anatome. 353
ex ſuppreſſione menſium anatome. 265
Hydropicorum liquor ferè corroſivus. 277

Hydrops

Hydrops abdominis ſaccatus cum veſicæ & uteri defectu. 274
ejus generationis ratio. 277. ſeqq.
fœniculo aquatico feliciter curatus. 147
in ea paracenteſis fruſtrà tentata. 355
Hypercatharſis à nimia Jalappæ reſina excitata. 24. 183
ratio. 186
Hypochondrii ſiniſtri dolor periodicus feliciter curatus. 239
Hyſterica paſſione mulieres laborant fluxu menſium etiam naturaliter ſe habente. 254
pro obſeſſa malè habita. 159
Hyſtericarum paſſionum cauſæ. 160. 253. ſeqq.
Hyſterico-Scorbuticum Aſthma. 249
ejus cauſa. 249. 252. 256
curatio. 257

J.

J*Alappæ* radices in nimia doſi exhibitæ noxa. 24. 183
cur facilè hypercatharſin excitent? 186
Jaſpis antinephriticus ejusq; effectus ſingularis. 4
Icterus mammarum. 135. App.
niger cum ſcabie ſicca. 108
Idioſyncraſia inter uxorem & maritum ſingularis. 403
Iliaca paſſio curata. 214
non ſolùm à contorſione, ſed & unius inteſtini in alterum intruſione cauſatur. 65
Iliaca paſſio repentinæ mortis cauſa. 462
Iliaca gallinæ anatome. 64
paſſionis cauſa rarior. 21
Impenetrabilitatis armorum veritas & vanitas. 307
Inedia enecti caponis anatome. 36
ſanguis abſumitur. 40
Vide *Fames*.
Inguinis tumor gelatinoſus in puero pro hernia habitus. 20
Intemperies ventriculi vaga lethalis. 289
Inteſtina quædam à cervo lethaliter læſa, illæſâ cute. 346
peritonæo & abdominis muſculis peculiari membranâ in puella fæces per umbilicum excernente adnata. 25
Inteſtini recti coalitus alvi conſtipationis cauſa. 266
Inteſtinorum tenuium valvulæ conniventes. 42
Inteſtinum jejunum, lumbricorum latorum in cane domicilium. 74
Isnoaky Japanenſis planta. 132

K.

K*Yrama* planta Japanenſium. 134

L.

L*Ac* cum ſanguine unâ vice è mammis effluens, ſine ulla alterius commixtione. 89

Lactea febris. 161
Lactei tubuli ad mammas tendentes Hippocrati non fuerint ignoti. 161
Lapides Ceraunei. Vide *Ceraunei.*
Lapideum prunum exſiccatum. 1
Lapilli Limacum. 465
Lapis Bononienſis lucifer, pruno exſiccato ſimilis. 3
globoſus, materiâ pingui repletus in ſepulchro repertus. 473
Leporina mumia. 45
Leporini fœtus extra uterum reperti. 45
Lepus glandiis laborans. 54
Lienum anatome. 60
Lienis calculi catulos referentes. 263
mutilatio indemnis. 293
Ligatura, an venenum aſcendens intercipiat? 272
Lignum ferrei duritiei. 132
Limacum lapilli. 465
Linguæ tumor inſignis. 95
Lochia nimia. 158
Lumbrici epilepſiam excitantes. 357
novum adverſus eos remedium. 454
per umbilicum lethaliter prodeuntes. 25
Lunæ juxta mutationes, mammæ & auctæ & imminutæ. 141. App.
Lupulus remedium inſigne anthelminticum. 454
Lymphatica vaſa à ſima hepatis parte ad glandulas conglobatas ducere inq; illis ſe exonerare experimento probatur. 248
Lymphaticorum vaſorum nova in teſtibus communicatio. 432

M.

MAgneticum emplaſtrum à multis tantoperè laudatum in hernia fruſtrà applicatum. 19
Malacia in puella bimula. 143
Maleficia ſuffitu curata. 152
Maleficiati pueri caſus memorabilis. 258
Mamma mentulata. 228
Mammæ & ex illis lactis loco ſanguis exſuctus, mortis cauſa. 89
ad phaſes Lunæ auctæ & imminutæ. 141. App.
Mammarum icterus. 135. App.
Martis crocus per præcipitationem paratus. 424
Solaris Tincturæ quibusdam in morbis effectus ſalutaris. 359
Materia tophacea cum alvi excrementis ejecta. 349
Mathematico-Phyſica theoremata. 55. ſeqq. App.
Maxilla ſuperior in utroque latere in fœtu monſtroſo fiſſa. 237
Meatus urinarius extra-ordinarius. 13. 14
Medicamenta extranea domeſticis non ſunt præferenda. 150. ſeqq. App.
ſimplicia optima. 152. App.

Melan-

Melancholia uterina feliciter curata. 165
Meliſſæ liquor & ſal volatile. 463
Menſes & cum eo calculi per umbilicum prodeuntes. 431
Menſium fluxus immodicus febre tertianâ curatus. 399
fluxu ordinario exiſtente nihilominùs mulieres eſſe poſſunt hyſtericæ. 254
retentio cutem verſicolorem & exulceratam reddens. 145
Gelatina Sabinæ curata. 146
graviſſimorum morborum mater. 171
Mentulata mamma. 228
Mercurio currente Ileos feliciter curatus. 214
Mercurius metallorum copiosè & facilè obtinendus. 339
Metalla & quædam circa ſolutionem & præcipitationem eorum notanda. 425
in nube fulminea poſſunt generari. 6
Metallica Ceraunia. 5
rota ex nubibus magnâ tempeſtate in Inſulis Balienſibus delapſa. 6
ſpatula ſummo palmæ Indicæ faſtigio fulmine immiſſa. 7
Metallicum dolium in Inſula Serou cum tonitru ex nubibus delapſum. 6
Metallorum Mercurius copiosè & facilè obtinendus. 339
vitrificatio. 115
Meteororum contemplatio, an ſpectet ad Medicos. 50. App.
Miaco Bana planta Japanenſium. 133
Microſcopicum Rorismarini examen. 294
Salviæ examen. 468
Microſcopii Tortoniani fabrica. 442
Mola carnoſa in utero hydropicæ. 147. 265
Mollities & flexibilitas oſſium. 397. 447
Mominoky planta Japanenſis. 133
Mons Inſulæ Serou terræ motu & igne disruptus. 6
Monſtroſus fœtus. 237. 429
Morbillorum cura, 137
Morborum variorum evporiſta vulgi ſalutaria. 137. App.
Mors ob ſanguinem è mammis exſuctum. 89
Morſu canis rabidi inductum venenum poſt octo annos excitatum. 386
Morſus canis rabidi. 153
ſerpentis curatus. 266. ſeqq.
Motus vitalis in ventriculo Siluri à reliquis viſceribus ſoluti, ultra unius diei ſpatium durans. 81
Mumia leporina. 45
Mus in vertiginem actus. 378
Muſtelæ hepatis uſus in ſuffuſione. 335
Mutilatio lienis indemnis. 293

N.

NÆvus maternus equi forma & piſcis. 428
Napelli antidota. 158
Narcotica natura præditus vermis. 436
Narcotico ab opii odore exanimes araneæ concidunt. 112
Natura decrementum alterius incremento alterius penſat. 52
multa facit cum ratione quorum nos non capimus rationem. 48
Nauſea carnis ob disciſſum gallum oviparum. 88
Nautilus velificans & remigans. 8
Necroſis tibiæ & totius ſubitanea. 225
Nifun Schin Srogat planta Japanenſis. 135
Nitri flores & cryſtalli. 306
Nix fœcunditatis eſt vegetabile menſtruum. 132
Nummus à puero biennali deglutitus feliciter excretus. 164
Pruſſicus in capreæ ventriculo repertus. 47
Nutritii ſucci copia fœtum etiam in utero obruit. 172
Nutritionis fœtus in utero per os exemplum ſingulare. 394
Nux juglans ferrea. 1
ejus formationis probabilis ratio. 2

O.

OBſeſſa falsò credita, hyſterica. 159
Oculi ſuper corneam excreſcentia carnoſa. 335
Oculi pupilla anguloſa in cane, ejusq; cauſa. 29
cataractæ depoſitionem non admittit. 34
tophus in fringilla epileptica. 78
tumor juxta iridem feliciter curatus. 435
Odontalgia ranunculo nemoroſo curata. 351
Odontalgiæ violentæ cauſa, vermis dentis inquilinus. 332
Oleum Auri in febb. petechialibus admirandi effectus. 85
Omentum in aſcite defuncto integrum. 22
in hydropica corruptum, peneq; conſumtum. 356
inteſtino ileo adnatum & quodammodò ſphaceloſum, Iliaci morbi & tenſivorum circa præcordia dolorum cauſa. 21
Omina non ſemper ſunt nuda nomina. 87
Ophthalmia phthiſeos cauſa. 114
Opii fœtor, ab eo araneæ concidunt exanimes. 112
Orificium uteri in ove concretum, partus negati cauſa. 44
Orthopnœa. 218
ejus cauſæ. 219. 222. 224
cura. 221
Oſcheocele horrenda, cum hydrope aſcite. 455

Oſſa elephantum. 446
microcoſmi calcinata, & ſpectriformis exinde apparitio. 315
Oſſeæ laminæ, ductus ureterici. 49. 52
Oſſeum perioſteum. 384
Oſſium mollities & flexibilitas. 397. 447
pubis cartilago media mollis & ſpongioſa in primipara. 461
vincula in gravida laxa & remiſſa. 384
Oſtrea ferrea. 1
Ovilli embryis intus ſceletis anatome. 42
Oviparus gallus diſſectus, nauſea carnis in fœmina cauſa. 88
Ovum & in eo Chalazæ alterius figura ſingularis. 460

P.

PAlma Indica ejus ſummo faſtigio fulmen ſpatulam impegit æneam. 7
Panacéa in forma pilulari omnes morbos radicitùs tollens. 84
ejus materia & præparatio. 85
Pancreas & nova circa illud experimenta confirmata. 243
Pancreate ſpoliati canis anatome. 246
Paracenteſis in hydrope fruſtrà tentata. 355
Paralyſis cum macie & doloribus. 172
Paralyſis cauſarum ratione varia curationis methodus. 173
à ſtanno. 156
Partu difficili mortuæ canis anatome. 76
Partus difficilis medicamentis feliciter facilitatus. 154
in obeſis perſæpè cauſa eſt pinguedo 76
veſica turgida. 76
humani via inſolita. 450
Paſſerum plumæ epilepſiæ cauſa. 133. App.
Pediculares morbi. 130. App.
Pedicularis urina. 130. App.
Pericardium carnoſum. 22
Periodica cardialgia vernalis. 12
tuſſis curata. 291
Perioſteum oſſeum. 384
Phalæna maxima. 475
Phantaſia corrupta poſt febrem Hungaricam. 162
ratio. ibid.
Phthiſis ex febre Epidemica malè curata. 191
hæreditaria curata. 430
ex ophthalmia. 114
Pica feliciter curata. 421
ejus cauſæ. 423
in puella bimula. 143
Picæ glandariæ Epilepſia enectæ anatome. 77
Pinguedine repletus tumor pro hernia falsò habitus. 21
ſuffocatæ gruis anatome. 71
turturis anatome. 69

Pinguedo per totum cordis parenchyma granulatim quaſi in aſthmatico diſperſa. 22
in obeſis difficilis partus cauſa. 76
ſine ſanitatis damno aliquot annis per urinam & vomitum excreta. 346
Pinorum & abietum florentium crocus, pluviarum ſulphurearum cauſa. 369
Piſa in abſceſſu. 134. App.
Piſces laborant glandiis. 58
Piſcem referens nævus maternus. 428
Piſtaciæ germinatio. 371
Piſum gangrænæ cauſa. 134. App.
Pleuritis ejusq; cauſæ. 410
ſæpè recurrens in Cachectica. 417. ſeqq.
Pluvia in Curonia annonæ & bracteæ ſingularis. 19. App.
ſulphurea. 367
ejus cauſa & materia. ibid. ſeqq.
Pluviæ prodigioſæ & quid de iis ſentiendum. 5. App.
vegetabilium cauſæ. 27. ſeqq. App.
Podagricum dolorem demulcentia remedia varia. 151
Polzinenſis fons miraculoſus. 138
Pomum δυςοκίας cauſa. 132. App.
Porcella hernioſa. 61
Porcellæ hermaphroditæ creditæ anatome. 61
Potulenta non ſolùm præbent urinæ materiam. 104. App.
Potum in febribus ardentibus negare idem eſt ac occidere. 101. App.
Præputium largiùs retractum incriſpatum. 14
Procidentiæ uteri exciſæ felix eventus. 98
Prodigioſæ pluviæ. 5. App.
Prohibitio tormentorum bellicorum & vera & vana. 310
Prunum exſiccatum lapideum. 1
Pubis media cartilago in primipara mollis & ſpongioſa. 461
oſſium ligamenta in gravida laxa & remiſſa. 384
Pudendo ſuillo urinæ incontinentia curata. 148
Puerulus quatuor annorum calculo afflictus. 241
Pullorum cuculi excluſio vera. 330
Pulmonum ſcirrhus. 356
Pulſum debitus inveſtigandi locus. 342
Pulſus per triginta ſex horas ante obitum ceſſatio. 343
Pulveris ſclopetantis præparatio. 104
Pupilla in cane venatico non exactè rotunda, ejusq; cauſa rarior. 29
oculi ſi anguloſa eſt, cataractæ depoſitio non eſt tentanda. 34
Purgans reſinoſum convulſionum epilepticarum cauſa. 313
Purgantium remediorum diverſitas. 96

Puru-

Purulenta variolarum materia per urinam criticè excreta. 344
Puſtulæ manuum ſingulares gangrænam minantes. 10

Q.

Quadrifolium triſolium. 327
Querni fungi ſingulares. 100

R.

Rabidi canis morſu excitatum venenum per octo annos excitatum. 380
morſus. 153
Lupi morſus. 209
variorum exinde ſymptomatum analyſis. 211
quomodo methodicè tractandus. 213
Radicis Jalappæ in nimia doſi exhibitæ noxa. 24
Ranunculare unguentum animi deliquii cauſa. 157
Ranunculo nemoroſo curata Odontalgia. 351
Regiones cur privatos ſuos habeant morbos. 415
Regurgitatio fluoris albi. 170
Renes in ove ſolito majores & minores. 50
ſuccenturiati gemini renum alteri annexi. 49
Renum in canibus conformatio rarior. 48
uſus verus in quo conſiſtat. 98. ſeqq. App.
Reſpirationis difficilis cauſa. 254. 255
Riſus Sardonius ejusq; cauſa. 318
Riſus involuntarius plurium annorum innoxius, tandem lethalis. 317
Roriſmarini fabrica ſub microſcopio examinata. 294
Rotula ſclopetaria naturâ ſic efformata. 1

S.

Sabina Gelatina ejusque in obſtructione menſium uſus. 146
Sacculus ſero limpido repletus ſub teſticulo in Nobili pro hernioſo falsò habito, poſt ſectionem repertus. 20
Sal Tartari volatile. 426
Salamandra in igne viva & mortua. 439. 441
Salis marini ſpiritus volatilis ſolvit aurum. 168
Salivatio diuturna cum metu gangrænæ. 9
Salvia glandiferæ folium ſub Microſcopio examinatum. 468
Sanguis chyloſus & albus ſine ſanitatis damno aliquot annis durans. 326
concoquitur etiã extra vaſa in corpore optimè valente. 67
Sanguis cruſtoſus è vena ſecta, & quid de eo ſentiendum. 72. ſeqq. App.
per inediam abſumitur. 40
Sanguis cum lacte unâ vice effluens ſine ulla alterius commixtione. 89
è mammis exſuctus, mortis cauſa. 89
reliquas partes dum deſerit, cur in ventriculum ſolum ſe exoneret? 40

Sapo vide *Smegma.*
Sardonius riſus ejusq; cauſa. 318
involuntarius plurium annorum innoxius, tandem lethalis. 317
Scabies ſicca cum ictero nigro. 108
Scirrhorum anatome. 67
Scirrhus pulmonum. 356
Sclopetantis pulveris præparatio. 104
Sclopetaria rotula naturâ ſic formata. 1
Scorbuti Thuringiæ hæreditaria cauſa. 142. App.
Scorbutico-hyſtericum Aſthma. 249
ejus cauſæ. 249. 252. 256
curatio. 257
Secundinarum temerè abjectarum noxa. 152
Seminiferi fungi calyciformes. 303
Seminiferorum & lymphaticorum vaſorum in teſtibus nova communicatio. 432
Serpentes cum excrementis emittens animal. 113. App.
Serpentis morſus curatus. 266. ſeqq.
Serpentum coronæ. 129
inſtar araneæ exuvias ſuas deponunt. 112
Serum ubi à ſanguine ſeparatur. 98. ſeqq. App.
Siluri piſcis, ventriculi anatome. 80
Similitudo corporis & animi rara in geminis. 334
Sitis cauſa inopia alimenti humidique nativi. 29
Smegmate aqua calida ſoluto alvus duriſſima ſoluta. 97
Sonitus abdominis viperæ inſtar clamoſus. 23
Sonitus tympanorum funeſtus. 90
Spaſtica ſymptomata uterina. 159
Spatula ænea quam fulmen impegit in ſummum palmæ Indicæ faſtigium. 7
Speculorum confectio. 340
Spectriformis apparitio ex oſſibus Microcoſmi calcinatis. 315
Sphacelata veſica. 284
Sphacelus tibiæ & totius. 225
Spina ventriculum perforans. 143
Spina ventoſæ conſtitutio rarior, amputatione feliciter curata. 280
Spiritus Salis Armoniaci ad Scrup. quatuor feliciter pro una doſi aſſumtus. 405
volatiles pingues ex capite mortuo C. C. & Sale Aceti albo. 425
urinæ, & quædam circa deſtillationem ejus notanda. 425
Sputi rejectio matutina copioſa à Tabaco. 375
ratio. ibid.
Stannum paralyſeos cauſa. 156
Steatomaticus abdominis tumor in puerulo nondum trienni, rarus & admirandus. 470
Stercoreus ſudor. 134. App.
Stercus vaccæ nigræ Epilepſiæ remedium. 133. App.
Sterilitas ab auribus abſciſſis. 161. App.
Sterilitatis cauſæ variæ. 166
cura in fœmina Bernenſi. 166
Stomacacen à vacca collectum. 363

Stran-

Stranguria à cantharidibus excitata. 264
Stupefactiva animalium quorundam vis. 436. 437
Suctionis ope fœtus quaſi mortuus in vitam reſtitutus. 125
uſus in extrahendo è pene calculo. 127
in vulneribus. 127
Sudans effigies. 331
Sudor ſtercoreus. 134. App.
Suffitu curata maleficia. 152
Suffocativum aſthma mirandum. 153
periodicum curatum. 238
Suillo pudendo urinæ incontinentia curata. 148
ſtercore colica cum alvi adſtrictione feliciter curata. 97
Sulphur anodynum verum. 426
antimonii, quomodo ex eo lapis Bezoar mineralis parandus. 426
Sulphurea pluvia. 367
ejus cauſa & materia. ibid. ſeqq.
Superfœtationes. 319
Surditas aurium curata. 163
Surditatis cauſæ. 164
Sympathia ſingularis duarum gemellarum. 334
inter maritum ejusque uxorem. 409
Symptomata uteri ſpaſtica. 159

T.

T*Abaci* fumo Epilepſiam foveri, exemplo probatur notabili. 373
Tabacini fumi utilitas. 92
Tabacum ſputi rejectionis matutinæ copioſæ cauſa. 373
ratio. ibid.
Telæ ſingularis pluvia in Curonia. 19. App.
quid de illa ſentiendum. 42. App.
Teneſmi cauſa & cura. 107
Tenia aſcendit ſupra colon. 42
in inteſtinis canis diarrhœâ afflictæ reperta. 41
Tenſivorum circa præcordia dolorum cauſa rarior. 21
Termites per urinam excreti. 478
in puella bimula. 143
Terræ catechu tinctura ſpontè in gelatinam concreta. 377
Teſtium tumor. 457
Theæ Chinenſis Icon. 486
alia ſubſtitui poſſe ſimplicia putatur. 362
Theoremata Phyſico - Mathematica. 55. App.
Theriaca Bezoardica deſcripta. 270
Theriacæ in morbis venenatis excellens uſus. 269. ſeqq.
Thuringia ſcorbutica. 142. App.
Tibiæ & totius necroſis ſubitanea. 225
Tilli grana numero centum in uno die adoleſcenti propinata. 426
Tincturæ Martis ſolaris in quibusdam affectibus effectus ſingularis. 359
Tinnitus aurium curatus. 163
Tonſura & per eam cephalalgiæ curatio. 294. 295
Tophacea materia cum alvi excrementis ejecta. 349
Tophi quadrati pecudi lethales. 48

Tophus oculi fringillæ epilepticæ. 78
vaccinus inter excrementa repertus. 45
vitulinus. 47
ejus generationis ratio. 48
Tormentillæ radicis virtus antifebrilis. 362
Tormentorum bellicorum prohibitio vera & vana. 310
Trifolium quadrifolium. 327
Tumor glanduloſus ab omento dependens, herniam aut bubonem mentiens. 21.23
inguinis gelatinoſus in puero pro hernia habitus. 20
pro hernia falsò habitus, pinguedine repletus. 21
linguæ inſignis. 95
Tumor oculi juxta iridem, feliciter curatus. 435
ſingularis Sarcocele falsò creditus. 20
ſteatomaticus in puero nondum trienni, rarus & admirandus. 470
Tumor teſtium. 457
ventriculi verminoſus cum folliculo. 26. ſeqq.
uteri glanduloſus adnatus externus. 15
Tumores cum folliculo inter rariores numerantur. 29
in hepatis convexo murium, ovium & boum reperti. 31
lumbricis gravidi. 31
nervis carent. 34
nutriuntur à ſanguine arterioſo. 30
an vegetabilis, animalis, aut mixtæ ſint naturæ. 30
Turturis pinguedine ſuffocatæ anatome. 69
Tuſſis & cum eo calculi rejecti. 262
periodica curata. 291
Tympanitis & in eo ſalutaris conſervæ ſpagyricæ effectus. 102
Tympanorum ſonitus funeſtus. 90
Tympanum metallicum ex nubibus in Inſula Serou cum tonitru delapſum. 6
Tzumaky Japanenſis Planta. 132

V.

VAcca epileptica & varia circa ejus veſiculam felleam notatu digna. 55
Vaccæ nigræ ſtercus Epilepſiæ remedium. 133. App.
Vaccinus tophus inter excrementa repertus. 45
ſingulare ægrè parturientibus præbet remedium. 45
Vagitus uterinus infauſtus. 86
Valerianæ radicis admirandus in Epilepſia uſus. 142
Valvulæ conniventes inteſtinorum tenuium. 41.42
geminæ in vena emulgente, quarum hiatus alter verſus cavam, alter verſus renem ſpectabat. 49.51
Variolæ, guttæ ſerenæ incipientis cauſa. 162
Variolarum materia purulenta, criticè per urinam excreta. 344
Vaſa an, & quomodo diſpereant. 51.52
Vegetabilia in aëre generari negatur. 32. App.

Vegetabilium pluviarum cauſa. 27. App.
Vena an ſit ſecanda. 74. ſeqq. App.
cui ſit ſecanda. 85. ſeqq. App.
quando ſit ſecanda. 91. ſeqq. App.
quantum ſit ſanguinis emittendum. 90. ſeqq App.
quomodo ſit ſecanda. 87. ſeqq. App.
Venæ ab omni ſanguine vacuæ. 24
Venæſectio in febre Epidemica & ſalutaris & noxia. 197
an in febribus conveniat. 78. ſeqq. App.
an in malignis præſentibus exanthematibus conveniat. 198
qui eam nunquam admittant, & quid de argumentis huc facientibus ſentiendum. 74 ſeqq. App.
& quæ circa illam notanda. 74. ſeqq. App.
Venæſectionis in morbis malignis utilitas. 408
varia notabilia. 72. App.
Venenum per annum in corpore latens, feliciter expulſum. 84
bufones ad oculos anterioresq; capitis partes convocare poſſunt. 323
bufonum. 322
an ligatura facta non ulterius aſcendat. 267. 272
morſu canis rabidi inductum, poſt octo annos excitatum. 380
Venerem arcet crebrior anethi uſus. 288
Venereus appetitus auribus abſciſſis penitus extinctus. 161
Ventriculi intemperies vaga lethalis. 289
Siluri piſcis anatome. 80
tumor verminoſus in cane. 26
Ventriculum perforans ſpina & acicula. 143
Ventriculus Siluri extra corpus ultra diei ſpatium vitam trahit. 81
ab eo totum œconomiæ animalis dependet negotium. 425
Verbera imminentis apoplexiæ remora. 128
Vermes in ductu llioſo boum & ovium reperti. 31
febrium cauſa. 116
lati, in canis inteſtino jejuno reperti. 74
multorum morborum cauſæ. 111. ſeqq. App.
in ſanguine febricitantium. 32
non ſolis victitant ſordibus. 33
per umbilicum lethaliter prodeuntes. 25
Verminoſus ventriculi tumor cum folliculo. 26
Vermis dentis inquilinus, odontalgiæ violentæ cauſa. 332
Vermis narcoticâ virtute præditus. 456
ex naribus puerperæ infelicis, poſt mortem erumpens. 17
quadratus. 480

Vermium in tumoribus cum folliculo repertorum generationis ratio. 32

Vertiginoſus mus. 378

Veſica liquore lacteo repleta in vitulo. 79
ſphacelata. 284

Veſica turgida partum reddere poteſt difficiliorem. 76

Veſicæ calculi ſigna ſine calculo. 282
calculus lethalis. 94
coalitio. 79
defectus in hydropica. 274.276
fermentum ſymbolicum quale? 102. App.
monſtroſæ anatome. 79
omnia inſunt fermentationis requiſita. 103. App.

Veſicatoria & in iis adhibendæ cautelæ. 264

Veſicula fellis non niſi per accidens eſt neceſſaria. 56

Veſiculæ fellis in epate ovillo defectus. 55
ſuillo defectus. 54

Veteres an carnis ſtructuram ritè cognoverint. 38

Vexillum, Turcis poſt derelictam Viennam ereptum, mortem raptoris ſui indicans. 87

Vincetoxici radicis decocto Anaſarca curata. 105

Vini ſpiritûs nimius uſus, hydropis cauſa. 225

Vinum Franconicum in febre petechiali innocuum. 287
optimum animi deliquii remedium. 207
à quibus parciùs bibendum. 209

Viride capillitium. 298

Viſûs debilitas ex barbæ & pilorum tonſura. 291.295

Vitam ventriculus Siluri piſcis ultra unius diei ſpatium ex corpore extractum trahit. 81

Vitem inter & braſſicam antipathia fabuloſa. 113

Vitrificatio metallorum. 115

Vitulæ hermaphroditæ creditæ anatome. 62

Vitulus hermaphroditus, cervinis pedibus. 395
nullius generis. 62
in utero putrefactus per os & vulvam ejectus. 155. ſeqq. App.

Umbilicalia vaſa, & de iis varia mulierum deliramenta. 392

Umbilicalis funiculi defectus in fœtu humano. 392

Umbilicalium vaſorum hæmorrhagia in recens natis lethalis. 365

Umbilicus, & per eum calculi ac menſes prodeuntes. 431
feces lethaliter prodeuntes 24

Unguentum ranunculare animi deliquii cauſa. 157

Vomitus & cum eo calculi rejecti. 262
& crapula non deſinentes, niſi hac numero hora, quâ crapula inceperat. 396
diuturni cauſa. 136
diuturnus lethalis. 83.205
& dyſuria poſt coitum ordinarius. 157. App.

Vomi-

Vomitus & cum eo pinguedo aliquot annis ſine ſanitatis damno excreta. 346
Ureter inq; illo Laminæ oſſeæ repertæ. 49. 52
Urina cruenta à cantharidibus excitata. 264
pedicularis. 130. ſeqq. App.
& cum ea pinguedo aliquot annis ſine ſanitatis damno excreta. 346
& cum ea termites excreti. 143. 478
& per eam variolarum materia criticè excreta. 344
Urinæ ardor im̃enſus & diuturnus. 93
elementa. 96. ſeqq. App.
generationis modus. 98. ſeqq. App.
parecbaſis. 95 ſeqq. App.
ad eam facientia vaſa. 96. 98. ſeqq. App.
incontinentia pudendo ſuillo curata. 148
inſpectio, & quid de illa ſentiendum. 104. ſeqq. App.
materiam non ſola præbent potulenta. 104. App.
meatus extraordinarius. 13. 14
Officina vera non ſunt renes ſed veſica. 98. ſeqq. App.
cur rubeſcant intenſiùs. 101. ſeqq. App.
ſanorum ſimiles & quid de iis in febb. malignis ſentiendũ. 94. ſeqq. App. 106. App.
Urinæ ſpiritus, & quædam circa deſtillationem ejus notanda. 425
ſuppreſſione extincti anatome. 12. 150
Urinariæ veſicæ uſus alius, quàm hucusq; creditus. 96. App.
Uromantia & quid de illa ſentiendum. 104. ſeqq. App.
Uteri aquoſus fluxus cum quadam hydropis ſpecie. 187
defectus in hydropica. 274. 276
glanduloſus tumor externus adnatus. 15
orificium in ore concretum, partus negati cauſa. 44
ovilli embryis intus ſceletis anatome. 42
procidentiæ exciſæ felix eventus. 98
Uteri ſuilli fœtibus diſparis magnitudinis anatome. 68
Uterina melancholia curata. 165
ſymptomata ſpaſtica. 159
Uterinus vagitus infauſtus. 86
Utero rupto fœtus intra abdomen excluſus. 16. 17
Uterus & extra illum reperti fœtus leporini. 45
Vulva clauſa ſpontè rupta concipiens & pariens. 160. App.
& per illam excrementa alvi rejecta. 135. App.
Uvulæ non animadverſa amiſſio eamq; concomitantia incommoda. 400

FINIS.

Errata in Anno VII. Dec. II. Eph. Nat. Cur.

PAg. 6. lin. 2. pro puncto ponatur comma. p. 6. l. 8. leg. Euronothum. p. 6. l. 14. tonitru. & l. 31. foramen. p. 7. l 15. fulmineo. p. 10. l. 27. antimoniat. p. 23. antepenult. rugitum. p. 24. antep. queſta. p. 28. l. 17. iſte. p. 32. l. 26. ovulis. p. 41. l. 27. diſſectis. p. 44. l. 16. quoad. p. 45. l. 23. quoad. p. 46. l. 12. ſecretoria. p. 62. penult. del. punctum. p. 77. l. 14. vaſis. p. 80. l. 17. immerſum. p. 81. l. 9. parenchymati. p. 93. l. 15. deſcribam: ad urinam creberrimè. p. 101. l. 15. amittunt. p. 109. l. 5. fragar. p. 110. l. 16. flaved. p. 127. l. 15. ſæpiuſcule. & l. 19. fota. p. 153. l. 7. compare. p. 162. l. 5. ortam. p. 162. l. 7. elati. p. 166. l. 21. ſymphyſis. p. 167. l. 6. ſperata. p. 167. l. 12. applicet. p. 173. l. 20. admittunt. p. 175. l. 32. fuſoria. p. 177. l. 4. ceſſatio. p. 179. l. 6. multos adoriretur. p. 179. l. 10. fortes. p. 182. l. 8. dejectio, propter. p. 184. l. 10. eſt. p. 188. l. 26. del. ut. p. 194. l. 14. fibrillis, turgens. p. 196. l. 29. augebat. p. 202. l. 2. calores. p. 205. l. pen. aliquod. p. 213. l. 6. Cum enim. p. 214. l. 6. rabiei. p. 214. l. 12. ãã. p. 218. l. 23. nodulo. p. 221. l. 19. aurum. p. 222. l. 9. cogerer. p. 227. l. 6. usque. p. 237. l. 11. quidem. p. 260. l. 28. tranſilirent. p. 271. l. 5. corr. ℥vj. del. vel. p. 276. l. 29. figuram. p. 306. l. 8. quas. p. 306. l. 9. allegatas. p. 306. l. 11. eas. p. 308. l. 18. incuteret. p. 313. l. 17. inſequebantur. p. 347. l. 9. chariſs. p. 356. l. 31. pro ovi: leg. qvæ. p. 362. l. 17. datus. p. 367. l. 22. Non. p. 372. l. 15. patronis. p. 377. l. 12. externæ. p. 390. l. 15. interdicebatur. p. 403. l. 13. poſt: Bartholini del. comma. p. 405. l. 15. aſſumturam. p. 411. l. 26. Galliis. p. 411. l. ult. ſpirituum. p. 422. l. 16. pro puncto fiat comma. p. 422. l. 23. avis p. 423. l. 17. variæ figuræ. p. 404. l. penult. ab. p. 438. l. antepen. ſufferimus. p. 443. l. 16. poſt: G.H. add. Unde etiam objectum A. B. majus & propius apparet, quaſi extenſum eſſet & collocatum in G. H. p. 445. l. 16. eisdem. p. 469. l. 2. ovulorum. p. 469. l. 29. ovulis. p. 470. l. 14. verè.

In Appendice.

PAg. 8. lin. 31. carnes. p. 21. l. 9. quoad. p. 59. l. 7. DIC. p. 59. l. 29. del. comma. p. 62. l. 4. GH. p. 62. l. 21. Prop. 4. add. lib. 5. p. 62. l. 22. ad calorem. p. 63. l. 9. figura tertia. p. 64. l. penult. del. comma. p. 66. l. 30. tertia. p. 66. l. ult. quarta. p. 67. l. 3. tertia. & pen. tertia. p. 68. l. 3. ſexta. p. 70. l. tertia. p. 73. l. 15. tres. p. 73. l. 16. Neccarini vini. p. 80. l. 12. quàm. p. 85. l. 13. leg. Ann. I. p. 97. l. 3. lixivioſo. p. 99. l. 10. cis. p. 105. l. 31. ſpiritu. p. 105. l. 32. dat. p. 117. l. 32. Cornel. p. 118. l. 8. poſt: perſuaſerat add. punctum. p. 130. l. penult. aperta. p. 137. l. 9. æſtate. p. 138. l. 31. gt. p. 144. l. ult. lilia. p. 152. l. 27. del. punctum. p. 205. l. 18. uno. p. 213. l. 5. petrigno. p. 220. l. 10. ad modum. p. 241. l. antepen. direxerat. p. 247. l. 19. Ephemerides.

In Progreſſu.

Pag. a. 2. lin. 5. leg. catenis. P. a. 3. lin. 28. Collectionis. P. 4. lin. 8. Auguſtâ. P. b. 3. lin. 21. effrenem. P. b. 4. lin. 9. Directoratum. P. c. 2. l. 5. S. R. I.

Bericht an den Buchbinder.

Beygelegte 3. unpaginirte Kupffer werden eingebunden; das erſte / als das Wappen der Academiæ Nat. Cur. zu Anfang deß Progreſſus: das andere / die effigies Vollgnadii, zu deſſen Memoria ad paginam 228. die Allmacheri memoria ad paginam 264. in Appendice.